



CONSIDERATIONES
SEU
SERMONES
PRÆDICABILES,
SUPER
PRINCIPALES VITÆ CHRISTIANÆ
VERITATES
ET
EVANGELIA
DOMINICALIA ET
FESTIVA
Duplici Tomo Comprehensi

AUTHORE
A. R. D. MATTHÆO BEUVELET, Presbytero
Seminarij Archiepiscopalis Parisiensis, primo Gallicè editi
nunc Latinè prodeunt.
Labore & Industria
A. V. P. F. BONAVENTURÆ GOFFA, FF. Minorum
Recollectorum SS. Theologiæ Lectoris Jubilati, & Conventus
Moguntini p. t. Guardiani.

Opus utilissimum non solum Communitatibus & Seminariis Ecclesiasticis omnis generis Clericorum, Beneficiariorum, sæcularium, & regularium, verum etiam & laicis universis, ad sui status obligationumque suarum perfectam notitiam assequendam, ipsa praxi, & opere potissimè comprobandam.

Cum approbatione D. D. & Privilegio Cæsareo.

MOGUNTIÆ,
Sumptibus JOANNIS BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.
ANNO M DC LXIX.



Reverendißimo Illuſtrißimo, Prænobili, ac Generoſo Domino

DN. JOANNI ab HEPPENHEIM

Conducto Saal Metropolitanæ, & Cathedralium Eccleſiarum Moguntinæ, Wormatienſis, Herbipolenſis reſpectivè Præpoſito, & Capitulari, Eminentiſſimi Principis & Electoris Moguntini intimo Conſiliario, Cameræ Præſidenti & Locum tenenti Moguntiæ &c. Domino ſuo Gratioſiſſimo.

Reverendißime & Gratioſißime Domine &c.



QUi Doctoris munere in Eccleſia fungitur cum ſana doctrina opera juſtitiæ conjungit, ut verbo ſimul, & exemplo Auditores inſtruat; ne, ſi dixerit, & non fecerit, illius dicta factis deficientibus erubeſcant. Quod probè perpendens Adm. Rever. Dn. MATTHÆUS BEUVELET, & ut utrumque in nullo deficiens præſtaret; juxta Eccleſiaſtici documentum excogitavit vias ſapientiæ, & abſcondita ipſius recognoſcens, quaſi inveſtigator perſecutus eſt, & conſtitit in viis illius. Nam divina præcepta, & cœleſtia Sacramenta, quæ Sapientiæ vias, ejuſq; arcana verè interpretari poſſumus, ita diligenter inveſtigavit, didicit ita ſtudioſè, ita meditatus accuratè aliis propoſuit meditanda; ut quod ſana doctrina intellexit, docuit, & haud dubie opere perficiens ſingulari methodo, & zelo ſpeciali omnibus, & maxime Eccleſiaſticis perficiendum expreſſit. Vero quippe Chriſti JESU, qui opere prius, quam ſermone docuit, qui cœpit facere, & docere, Spiritu ductus. & animatus, eodem univerſos animari cupiens ſubtiliſſimam illis vivendi traxit lineam, quâ primò in ſe rectificati, facta ſæpe ſuper ſe ſeriâ, & moroſâ reflexione ab exterioribus ad interiora retracti, &

 revocati

revocati malis omnibus remotis augmentum sumant , & perficiantur in bonis. Verum enim vero sibi ob oculos ponentes status sui magnitudinem, suarum recogitantes eminentiam functionum, ac ministerii sibi commissi ponderantes sanctitatem, quâ sanctè tractent, & munda administrent mundè, dici sibi in tenebris, & in aure quasi furtivè venas divini Job. 4. v. 12. susurri suscipiente audiunt, quæ eos in lumine dicere, & aliis prædicare super tecta oportet. Quo motivo sancta Synodus Tridentina sapientissimè ordinavit, ut Ecclesiasticis functionibus, & ministeriis deputandi cura , & solicitudine Reverendissimorum Episcoporum religiosè educarentur, ac Ecclesiasticis disciplinis instruerentur, ut prius in se perfectè instructi , & religiosè educati idonei essent alios in necessariis veræ doctrinæ instituere, & in operibus sanctæ vitæ præcurrere. Ut cum Ecclesiæ Ministrorum numerus augetur, augeatur & meritum; ne de illis verbũ Prophetæ queat verificari: Multiplicasti gentẽ, non magnificasti lætitiã, ne ubi divinã flectere misericordiam obligantur, iram irritent, & ne, ut ait S. Bern: filij iræ ministri sint gratiæ: Et qui pacis, & reconciliationum instrumenta esse tenẽtur, fulmina belli, & excommunicationis convincantur. Quod omnino, ut præcaveretur præmemoratus Author ad omnem omnibus virtutem sternens viam, eamque triplicem, utpote purgativam , quâ liberentur à malis: Illuminativam, quâ illuminentur , & solidentur in veris; Et unitivam , quâ firmentur , & stabilientur in bonis : eam tripliciter cum Sapiente describens. Utpote S. Bonaventura instruente : Ad discretionem boni , & mali informans rationalem, ad rejectionem mali animans irascibilem , & ad dilectionem boni excitans concupiscibilem. Et hæc, REVERENDISSIME DOMINE suis ille Gallis idiomate communicavit Gallico; ego autem & alieno rogatu excitatus, & motu proprio animo omnibus serviendi, cum communem bene agendi contineant disciplinam, non solùm unumquemq; privatum dirigant ad vitam secundum Deum instituendam , sed & erudiunt universos, & qui præsunt, & qui subsunt. Illos instruunt , ut prosint præcipiendo, hos , ut non desint verè obediendo. Hæc cunctis profutura, ingrata nullis, omnibus, ut confido, utilissima, Latinitate donata fretus Tua , REV. DOMINE , benevolentia, sub tuo, multis ad hoc inductus motivis, elegi depromere patrocinio. Et primò quidem doctrinâ instructus Apostolicâ, non ignorans pietatem ad omnia esse utilem, habere promissionem vitæ , quæ nunc est , & futuræ , illis potissimè afficeris &

ris & delectaris singulariter, quæ multos ad justitiam erudiunt, ac pietatem; triplicem diei spiritualis in te differentiam perfectè dignoscens, ac distinguens: utpote primò mane inchoans, dum nova luce mentem tuam irradiante ad tui ipsius cognitionem pertingens, te ex te posse nihil animadvertens tibi ipsi diffidens, ac compatiens roborari ab eo continuo requiris, quo confortante, cum Apostolo, nihil non potes. Ut S. Anselmus egregiè expressit, Spiritus sanctus ait pietatem menti inspirat, dum eam sibi compati, pieque recolere facit, quam misera erit, si à Deo separata fuerit. Unde, Sapiens in Proverbiis: Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit utque ad perfectum diem, quo divinum numen, & Deum firma apprehendens claritate, illi propter se, & propter suam infinitam bonitatem perfecta adhæret charitate, illum omni prosequens cultu religionis; illum omni amore dignissimum judicans, vult proximum sibi in eadem adhæsione sociari, qua Deo, immobiliter adhæret & adhærere cupit. Et tunc advesperascit, & fit initium quietis, in illo extra quem quies nulla dari potest, ac dies spiritualis efficitur triplici gaudens diei differentia, Matutina in suæ miseriæ, & deficientiæ scitâ cognitione; meridiana in perfecta Dei excellentiæ infinitæ agnitione posita, & vespertina in proximi indigentiæ compassione constituta, ut in anima pia docet experientia.

Quod ipso facto evenit, dum homo in suo interiori perfectam sui victoriam in se est reformatus, Deo per omnimodam subjectionem, & obedientiam conformatus, & proximo per indefectibilem æquitatis, & Justitiæ æquabilitatem omnino consociatus; funiculo hoc triplici virtutis religatam medio vitam inter mortales ducit immortalitate dignam & inter homines Angelicam ac in terra degens superna per desiderium penetrans conversatur in cælo, ita sine intermissione studens innocentiæ, ac disciplinæ conservandæ vel restituendæ. In quo Reverendissime Domine præclare insudare dignosceris zelo honoris, & domus Dei accensus, facto, & exemplo ostendis, quid alios facere oporteat. In te, siquidem apprime, quod quondam Seneca de supremo Urbis pronunciavit Principe, *tibi non magis, quam soli latere contingit.*

Alterum est, ut leges sinceræ gratitudinis observans vitium vitans ingratitudinis, qua Deo nihil est odibilius, aut hominibus abominabilius, hæc levi munusculo tibi in recognitionem multiplicium beneficiorum in me, in Conventum nostrum Moguntinum, ac in totum Seraphicum Ordinem

 Colla-

Collatorum animum teſtarer non ingratum, fluento gratiarum, favorum, ac beneficientiarum non exſiccantem: Verum magis memoria nunquam intermoritura ad ſuas remittentem origines, ut amplius fluant; omnibus abundantes, ſibi in nullo unquam deficientes illo præſtante, qui ex ſe & in ſe inde fluens omnibus, & pro omnibus ſuperabundat.

Accedit ad hæc Præpoſituræ Metropolitanæ Moguntinæ Tibi non ita pridem diebus iſtis omnium ſuffragante voluntate, conſenſu, & congratulatione delata ac collata ſublimitas tuis debita virtutibus, & meritis juſtè ſuo jure requirens & congratulationis affectum, & noſtræ in te obſervantiæ ſymbolum, ac qualemcunque gratæ mentis cum omnis boni, fauſtique adprecatione teſtificationem. Patere igitur REVERENDISSIME, & GRATIOSISSIME DOMINE, PRÆLATE DIGNISSIME, hunc mecum qualemcunque conatum ad te omni fiducia advolantem, ſe tuæ tutelæ tota committentē affectione, tuo inſignitum charactere prodire, patere ſub tuo clariſſimo nomine illum orbi univerſo exhiberi. Nullum pone te protegente pertimeſcat adverſarium aut ullum te patrocinante verebitur conſpectum in omnib⁹ apud omnes irreprehenſibilis tuo munere evaſurus. Nos autem interim aſſiduè nocturnis pariter & diurnis precibus & ſacrificiis ad thronum divinæ accedentes miſericordiæ, miſericordiarum patrem rogabimus, & ſupplicabimus; ut te majori indies gratiarum augens omnipotens cumulo, faciat plenitudine adepta dierum & meritorum in tempore, ad illam pertingere, qui una omnes & ſibi junctos in æternitate, indiviſibili replet bonorum plenitudine. Ita animitus adprecans maneo.

Reverendiſſimæ & Gratioſiſſimæ Domin. Tuæ

Servulus obſervantiſſimus

Fr. Bonaventura Goſſa.

Conſen-

Consensus Admodum Reverendi Patris Ministri Provincialis.

Liber, cui Titulus: Considerationes seu Sermones super Principales veritates Christianas & Ecclesiasticas duplici tomo compræhensas, primùm Authore R. Adm. Domino Matthæo Beuvelet Presbytero Seminarij Archiepiscopalis Parisiensis Gallicè compositus, nunc in Latinitatem conversus studio & operâ V. A. P. T. Bonaventuræ Goffa Provinciæ nostræ SS. Theologiæ Lectoris Iubilati & Conventus nostri Moguntini pro tempore Guardiani; servatis Sacris Concilij Tridentini & Ordinis Constitutionibus, utiliter imprimi poterit. Datum Moguntiæ in Conventu nostro Fr. Minorum Recollectorum die 14. Septembris 1668.

F. Bernardinus Vetvveis Provinciæ Rhenanæ FF. Minorum Recollectorum seu strict. observantiæ Minister Provincialis.

Facultas R. A. P. Ministri Provincialis pro Typographo.

Virtute Privilegij S. Cæsareæ Majestatis super impressione & distractione Librorum per Fratres Minores Regularis aut strictioris observantiæ concessi, Ego infra scriptus facultatem facio Joanni Baptistæ Schönvvettero Bibliopolæ Francofurtensi, ut imprimat ac distrahat Librũ intitulatum: Considerationes seu Sermones super Principales verita-

veritates Christianas & Ecclesiasticas, &c. Latinitati donatum à Ven. Adm. P. Fr. Bonaventura Goffa Provinciæ nostræ Rhenanæ S S. Theologiæ Lectore Jubilato & Conventus nostri Moguntini pro tempore Guardiano cum plenario usu Privilegij Cæsarei præfati. Actum Moguntiæ in Conventu nostro Fr. Minorum Recollectorum Die 14. Septemb. 1668.

(L.S.)

Fr. Bernardinus Vetvveis Provinciæ Rhenanæ FF. Minorum Recollect. seu strictioris observantiæ Minist. Provincialis.

Facultas & Censura Ordinarij Moguntini.

TRactatus Rev. Dom. Matthæi Beuvelet Doctoris Theologi Parisiensis inscriptus · Considerationes, & Sermones super principales vitæ Christianæ veritates, & super Evangelia Dominicalia, & festiva, idiomate Gallico ab Authore primum conscriptus, dein per Rev. Pat. Bonaventuram Goffa Ord. Min. Recollectorum Lectorem Jubilatum, & Moguntini Conventus in præsentiarum Guardianum Latina veste donatus, jam à pluribus Catholicæ ecclesiæ Doctoribus censitus, & probatus, severe, nec absq; compendio Catholicæ pietatis, ac devotionis in lucem prodibit. Sic censebamus Moguntiæ in ipso festo præsentatæ Dominæ nostræ. Anno M. DCLXVIII.

P. de Walenburg Episc. Mis. Suff. Pro. Vic. & Lib. Censor.

A. G. Volusius D. Consil. & Sigillifer. Mogunt.


CONSI-

CONSIDERATIONES

Super

PRINCIPALES VITÆ CHRISTIANÆ VERITATES.

TOMUS PRIMUS.





TOMI PRIMI INDEX.

Prima Pars complectens veritatis vitæ purgativæ.

Meditatio.

)()(2 19. Ex

56. De

SECUNDA PARS.

Compræhendens veritates vitæ illuminativæ.

Meditatio.

De Virtutibus magis necessariis Christianis.

De Spe.

De Charitate.

De Charitate proximi.

59. *De*

Meditatio.





MEDITATIONES CHRISTIANÆ VITÆ.

PARS PRIMA.

Quæ comprehendit veritates vitæ purgativæ,

MEDITATIO I.

De creatione in generali.

I. Consideratur status mundi ante creationem, & quomodo Deus illum ex nihilo creaverit seu extraxerit.

II. Quid nos in nihilo eramus.

Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Psal. 99. v. 3.

PUNCTUM I.

Considera primò abyssum nihili, ante omnem creationem; in quo creaturæ omnes ante creationem mundi delitescebant, nullum esse actuale habentes: hoc est, quod agnoscens Iob ajebat: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt.* Iob. 10. v. 8. Tunc primò, nec erat cœlum, nec erat terra, nec erat aqua, nec erat ignis, nec erant homines, nec erant Angeli, nec Reges, nec regna erant, nec res ullæ: *Quoniam qui vivit in æternum,* Eccl. 18. v. 1. *creavit omnia simul.* Placuit Deo, qui in omni æternitate ex se erat, & fuerat beatus, existens solus ex natura sua omni perfectionum genere cumulatus, sine creaturis; ut modò cum illis; producere ex illo nihilo mundum hunc, & creaturas universas in illis, ut glorificaretur, laudaretur, & amaretur; ac ejus in earum productione innotesceret potentia, sapientia in directione, & bonitas in conservatione. *Dominus*, ait Isaias: Isa. 45. v. 18. *creans cœlos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes ejus est. Non*

Sap 2. v. 2 *in vanum creavit eam, ex nihilo*, ait Sapiens: *Nati sumus.* Et ipse Dominus
Esa 55. v. 22 Deus apud Prophetam ait: *Manus meæ tetenderunt cœlos.* Admirare hanc Dei potentiam, lauda ejus sapientiam, ama bonitatem in se & in omnibus ejus creaturis. Creaturas ex se æstimes parùm, vel nihil, quia ex se, & in se nihil sunt; totum suum esse, ex Deo, & in Deo habentes.

PVNCTVM II.

COnsidera, quomodo tu ante mundi creationem, & tot mille annorum series, postquam mundus creatus fuisset, delitescebas in tuo nihilo, & in eo adhuc delitesceres, nisi Deus purè, bonitatis suæ manifestatione, bonorum tuorum non egens, te ex illo extraxisset,
Iob. 14. v. 16 *Operi manuum tuarum porrigens dexteram*, & relinquens tot aliarum creaturarum milliones, quæ etiamnum jacent in abysso hujus nihili, quæ fideliùs ei serviviſſent, eum ferventiùs glorificaſſent, & intimiùs eum dilexiſſent, quàm tu.

Considera paulò attentiùs, quid in illo tuo eras nihilo? in illo quid sciebas? quid poteras? quid faciebas? quid valebas? & reperies per omnia nihil. Ecce divitiæ tuæ, ecce origo tua, ecce nobilitas tua, potentia tua, totum esse tuum. Meritò coram Deo, ex nihili tui recognitione & recogitatione te humilians, confunderis, cum Psalmista rogans ad
Psal. 37. v. 8. Dominum: *Opera manuum tuarum ne de-*
Eccl. 10. v. 9 *spicias. Quid*, ait Ecclesiasticus, *superbis terra & cinis? Vnde superbis homo?* in-
In forma honestæ vitæ. quit S. Bernardus, *cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori.* Illa tria semper in mente habeto. Quid es? quid eris? & quid fuisti? quid fuisti? quia sperma fœtidum: quid es? quia vas stercorum: quid eris? quia cibus vermium. Pro hujus primæ meditationis fructu, fac firmam hodiè, hac hora, hoc momento resolutionem sæpè horum reminiscentiam ante oculos habendi, reiterans hujusmodi crebrò recogitationem inde ut sumas materiam se humiliandi: quia humilitas, & cognitio sui ipsius, est fundamentum totius vitæ, & perfectionis Christianæ, Ecclesiasticæ, & Religiosæ, juxta illud: γνῶθι σεαυτόν. Magnum S. Ambros. in Psal 118.
sanè munus, si homo se ipsum cognoscat; quo sensu Propheta: *Substantia*, ait, Psal 38. v. 6
mea, tanquam nihilum ante te. Si ego Ioan. 8. v 54.
glorifico, inquit Christus, *me ipsum, gloria mea nihil est. Qui se existimat aliquid esse*, Gal. 6. v. 3.
Apostolo teste, *cùm nihil sit, ipse se seducit.*

MEDITATIO II.

De creatione hominis.

I. Quantum homo, super omnes alias Creaturas sit exaltatus.

II. Excellentia hominis ex hoc, quòd sit imago Dei, & ad quid hic titulus ipsum obliget.

Quid est homo quòd memor es ejus? gloriâ & honore coronâsti eum. Psalm. 8. v. 5.

PVNCTVM I.

COnsidera, quòd Deus, non contentus, quòd te in hoc mundo creaverit, potens te reponere in numero creaturarum insensibilium, ut in numero lapidum, arborum, aut aliarum insensibilium, aut omni ratione destitutarum, ut in numero serpentium, vermium, & gradientium super terram; vel in numero ju-

ro ju-

ro jumentorum, aut aliorum animalium irrationalium, tibi esse nobilissimum omnium tribuerit, te hominem creans, hoc medio constituens te super omnia opera manuum suarum. Opus magnificum est homo, ait S. Ambrosius. *Magnum opus Dei es, O homo, & magnum est, quod tibi dedit Deus, immensum hoc universum ob tui amorem & servitium condidit,* illud totum cum omnibus in eo contentis, subjiciens potestati & imperio hominis. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Propter illum, O Domine! est, quòd totum visibilem hunc creaveris mundum; propter ejus sanitatem, propter ejus commoditates, & oblectationes, propter servitium ejus & usum, universa operatur natura, ea ratione, quòd vel si unicus esset homo in mundo; cœlum, terra, & omnia elementa ei non minùs soli servirent, quàm modò omnibus serviunt, & obsequuntur. Eadem de causa tibi Angelos suos dedit, tibi ut assisterent, te defenderent, dirigerent, instruerent, & deducerent. *Angelis suis mandavit de te*; ita ut verè dicatur de omnibus, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt, *omnia vestra sunt*, quia nihil est, quod non sit tuum, vel propter te. Admirare hanc Dei in te bonitatem, & hanc necessariam ex illa elice consequentiam; quòd universæ creaturæ corporales & spirituales tuis sint deputatæ servitiis, commodis, & utilitatibus, te vicissim ex parte tua obligatum demonstrent, Deo tuo reddere omni diligentia, & sollicitudine omne servitium, obedientiam, & obsequium.

In Psal. 8. — Psal. 81. v. 8. — Ps. 90. v. 11. — 1. Cor 3. v. 22.

PUNCTUM II.

CONsidera, quòd Deus pro complemento omnium tibi concessorum bonorum, te hominem creaverit, tibi tribuerit rationem, quâ à cæteris animantibus distinguereris, quo medio cælavit, & impressit in fundo animæ tuæ, suæ divinitatis imaginem. *Signatum est*, ait Psal. *super nos lumen vultus tui Domine.* Primo, ut te doceret vivere vitâ humanâ, hoc est, hominis ratione utentis, non vita brutali, hoc est, animalis ratione omninò expertis, ut actiones tuæ, non vehementia passionum, & inclinationum brutalium præcipitentur, sed suaviter ratione dirigantur. Secundò, ut innueret, te omnes tuas actiones, desideria, & cogitationes dirigere ad res futuras, & immortales, & te erigere super communem vivendi modum hominum, qui more bestiarum, & animalium rationis omnis expertium, adhærent duntaxat considerationi præsentium & sensibilium, non aliter ac talpæ lumine destitutæ oculorum, terræ continuò adhærent, solis terrenis inhiantes, terrena sola sapiunt, *quorum finis interitus. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. Cognosce te ipsum homo*, ait Ambrosius: *Cognosce te ô anima; quia non de terra, non de luto es; quòd insufflavi in te Deus, & fecit te in animam viventem. Faciamus hominem*, inquit Deus, *ad imaginem & similitudinem nostram.* Examina nunc attentiùs & sinceriùs ô homo! qua ratione, & quo modo usus sis illo thesauro pretioso, à Deo tuo tibi tàm gratiosè concesso, & dic cum S. Bernardo: *Erubesce anima, divinam, in pecorinam commutâsse similitudinem. Erubesce volutari in cœno, qui de cœlo es.* O curvæ in terras animæ & cœlestium inanes, erubescite vos degeneres à conditione vestra, voluntariæ in interitum tende-

Psal. 4. v. 7. — Philipp. 3. v. 19. — S. Ambros. in Psal. 108. — Gen. 1. v. 26 — Serm. 24. in Cant.

tendere. Omnes curvi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus, impetu vadens ad
Ier.8.v.6. prælium. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

MEDITATIO III.

De fine hominis, & primò de illo, quod ejus finis non eſt.

I. Quid per finem rei alicujus intelligatur.

II. Homo non eſt creatus ad honores, divitias, voluptates hujus vitæ, ut ad finem.

III. Cœcitas hominis in eo.

Notum fac mihi Domine finem meum. Pſal. 38.

O Domine, fac mihi innoteſcere, quis ſit meus finis, ad quem tendere debeo, ad quem me creaveris, ut videam, an non declinem.

PVNCTVM I.

CONſidera, dum quis loquitur de fine hominis, id intelligi per finem, quod poteſt hominem reddere perfectum, beatum, & plenè ſatisfactum in hoc, & in futuro ſæculo, ex eo, quòd finis, bonum, & beatitudo ſolùm diſcrepent terminis, & idem omninò, & abſolutè ſignificent. Hæc porrò proprietas eſt finis, reddere rem, cujus eſt finis, beatam, perfectam, & quietare omnimodè.

PVNCTVM II.

COnſidera II. huic inhærens principio, quòd homo non ſit creatus ad ullam rem in hiſce inferioribus mundi partibus reperibilem, quia nulla eſt reperibilis res in hoc mundo, quæ poſſit hominem reddere beatum, perfectum, & plenè quietatum: non enim ad divitias poſſidendas creatus eſt, cùm ſint hæc bona, ipſo multò inferiora, longè ab eo diſtantia, quòd hominis beatitudo eſſe queant, & ipſum plenè quietare. *Divitiæ*, teſte S. Bernardo, *ſunt bona, quæ poſſeſſa onerant, amata vulnerant; amiſſa cruciant*; rectè à Salvatore ſpinis comparatæ: *Quod in ſpinas*, ait, *cecidit, hi ſunt, qui à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur. Avarus*, ait Eccleſiaſtes, *non implebitur divitiis, & qui amat divitias, fructum non capiet.* *Lib. de Converſ. ad Cler.* *Luc. 8. v. 24* *Eccl. 3. v. 9.*

II. Nec potuit eſſe creatus homo ad honores, ad munera, & ad dignitates hujus mundi. Honores porrò, prærogativæ, munia & dignitates inter homines, multis implicantur inquietudinibus mentis, variis intercurrentibus anxietatibus, dubiis, & difficultatibus, quæ ſæpiùs etiam minùs dignis dantur, qui iis ad ſuam, & multorum utuntur damnationem. *Dives*, ait Pſalmiſta, *cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Vnde S. Auguſtinus: *In ipſa*, ait, *miſeria, inquietudine defluentium ſpirituum ſatis oſtendis, quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem, quidquid te minus eſt, ac per hoc non ipſa ſibi: Hoc tantùm ſcio, quia male eſt mihi præter te, non ſolum extra me, ſed in me ipſo, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.* *Pſ. 48 v. 18.* *Lib. 3. Confeſſ. cap. 4*

Nec voluptates III. & ſenſuum oblectationes, quæ convertuntur in mœrorem, quibus beſtiæ, & animalia irrationabilia

nabilia æquè plus quàm homines oblectantur, quæque corpus solum, partem hominis ignobiliorem, concernunt, nequeunt esse hominis beatitudo, ipsum ultimatè quietans: quia appetitus hominis nequit satiari, & quietari, nisi attingentiâ objecti, eminenter continentis accumulationem omnis boni, quod est solus Deus, juxta Psalmistam: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Beatus, cujus est Dominus Deus ejus. Et satiabor cùm apparuerit gloria tua.* His subscribit S. Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et quòd scientiæ creatæ, & intellectus cognitiones, quæ perfectiores in dæmonibus, licèt miserrimis, & damnatis miserabilissimè, reperiuntur, esse nequeant hominis beatitudo, facilè innotescit.

Psal.143. v.16. *Ps.16.v.15.* *Lib 1.Conf. cap.1.*

PVNCTVM III.

CONsidera infelicitatem & miseriam plurimorum hominum, qui se in hisce bonis apparentibus acquirendis occupant, ac si essent eorum finis ultimus, creati essent ad accumulandas divitias, ad honores acquirendos, ad divitias vanas degustandas, ad apparendos sciolos. Erubesce nunc, ô anima mea! quòd hucusque te ita occupaveris, ad hujusmodi bona acquirenda apparentia, tantâ sollicitudine. His vanis, caducis, & transitoriis ex hac hora, & eorum desiderio viriliter renuncia, de cætero te seriò ad æterna & immortalia conversurus, dicens cum Psalmista: *Filii hominum usquequò gravi corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Anima rationalis rebus creatis occupari potest, satiari non potest*: Iuxta Ecclesiasten: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas! Quid habet ampliùs homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?*

Psal.4 v.3. *S. Bernard. super Ecce, nos relinquimus omnia.*

MEDITATIO IV.

De fine hominis in hac vita.

I. Cum Deus sit finis.
II. Omne nostrum studium esse debet, ut illi serviamus.

Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. Eccles.12.v.13.

COnsidera, cùm finis hominis non sint, nec bona fortunæ, nec etiam bona corporis, nec etiam bona animæ, nec ullum reperibile in natura creata, aut creabili; necesse est, ut sit ipse Deus ejus finis ultimus, prout ejus principium est, nobis ut innotescere facit. Apoc. 1. *Ego sum*, ait, A. & O *principium & finis.* Illi ergò soli serviendum, adhærendum, & ille solus amandus, & timendus, juxta verba Ecclesiastici: *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Ergò, si hoc est omnis homo, absque hoc nihil erit omnis homo. Et Deus apud Prophetam: *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, formans te Israel. Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo, meus es tu, & omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, & feci.* Et: *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Salvator.* Ideò Isa.50. subjungit Dominus ulteriùs: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis, propter me, propter me faciam, ut non blasphe-*

Apoc 1. *Isa.45 v.10* *Isa.48.v.11.*

blasphemer, & gloriam meam non dabo alteri. Deus igitur solus est omne principium, à quo omnia procedunt, & finis, ad quem omnia referri debent: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Hoc innuitur in primis rudimentis Christianæ doctrinæ, dum instruimur, nos venisse in hunc mundum, ad cognoscendum, & amandum Deum. Hanc veritatem firmâ fide imbibe, & propugna.

Prov 6. v. 4

P V N C T V M II.

CONsidera, quòd cùm non sis ob alium finem creatus, quàm ad cognoscendum Deum, amandum eum, & ei serviendum; totus tuus conatus in hac vita non debet aliò tendere, nisi ad amorem ejus, & servitium, quod ejus Majestati exhibere poteris. In eo solo requiem invenies, ut benè S. Augustinus agnovit, dum ait: *Væ animæ audaci! quæ speravit, si à te recesserit, se aliquid melius habituram, versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia; & tu solus requies.* Ita agnovit, & verè agnovit Sanctus ille, divino prorsus amore succensus. Hoc Salvator noster docere voluit, dum dixit, *unum solùm necessarium esse*; quia uno hoc dempto, omnia deficiunt. Honores nulli sunt, illo non reservante, divitiæ evanescunt, illo non ditante, voluptates displicent, illo non delectante, & illo non docente, scientiæ non sunt. Manet verificatum S. Augustini dictum: *Nullibi subsistentiam ullam rei ullius inveniri, nisi per eum, per quem subsistunt omnia. Fecisti,* ait, *nos Domine ad te, & inquietatum est cor nostrum, donec requiescat in te, in quo sola requies & subsistentia invenitur.* Illi gratias indesinenter referas; quòd te ad finem tàm nobilem creaverit, admirabundè dicens cum S. Iob: *Quid est homo, quia magnificas eum?* & cum Regio Propheta: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Deus *cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

S. Aug lib. 6 Confess. cap. 16.

Iob. 7. v. 1.

Ps. 72. v. 25.

P V N C T V M III.

COnsidera, quomodo major pars hominum, qui cùm non deberent vivere, nisi ut placerent Deo, illi servirent, illum quærerent, & amarent, videntur duntaxat vitam degere, suis ut serviant appetitibus, proprio indulgentes amori, cogitant potiùs, suas quomodo dirigant actiones, ut ditescant, suis ut satisfaciant desideriis, quieti studeant propriæ, vel magni magis fiant, quàm ut Deo placeant, ut ejus servitio sese impendant. Verùm juxta Psalmistam: *Oculos suos* statuerunt declinare in terram, juxta proprias concupiscentias ambulantes.

Psal. 6 v. 11.

Videas, & seriò perpendas, an non in horum numero contineearis? an non accessorium anteponis principali, ut principale accessorium constituas? *Porrò unum est necessarium, quid turbaris erga plurima? Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Nemo vestrum,* ait Apostolus, *sibi vivit, & nemo sibi moritur, sive enim vivimus, Domini sumus; sive morimur, Domini sumus.* Cùm ergò solius Christi & Dei servi simus, ejusque solius judicio damnandi, seu absolvendi, & salvandi, cur ergò illi soli non servimus, illum solum timemus, amamus, laudamus, & deprecamur?

2. Petr. 3. v. 3.
Luc. 10 v. 24.
Matth 16.
Rom. 14. v. 7. 8.

CONTINUATIO PRÆcedentis Meditationis.

De fine hominis in hac vita.

I. Rationes nos obligantes vivere solùm Deo, hoc est, ad illum amandum, & serviendum.
II. Quid sit Deum amare?
III. Quid sit Deo servire?

Non frauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Eccl. 14. v. 14.

PUNCTUM I.

COnsidera continuando hesternam meditationem, obligationes, quas habes soli Deo vivendi, hoc est, non vivere nisi ut illum ames, illi servias, illi adhæreas. Ratio præcipua est, quòd sis totus illius, non tuus, quòd nequeas nec de te disponere, nec de ulla tua actione, sine præjudicio honoris illius: *Non estis*
1. Cor. 6. v. 19. *vestri*, ait S. Paulus, *empti estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in cor-*
Eph. 2. v. 10. *pore vestro. Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Quid tàm tuum*, ait S. Augustinus, *quàm tu, & quid tàm non tuum, quàm tu, si alicujus est, id totum, quod tu es?* Ergò cùm id totum, quod tu es, sit Domini, potest Dominus mandare, quod volet, ut volet de te disponere, quemadmodum figulus de luto suo, quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, & disponere. *O-*
Eccl 33. v. 3. *mnes viæ ejus secundùm dispositionem ejus, sic homo in manu illius, qui se fecit.* Exigere ergò potest à te plasmator tuus, & Deus tuus, qualiacunque placuerit servitia, tu, dum exigit, obligaris, ne vel nutu repugnes, minùs contradicas, quasi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me, & figmentum dicat fictori suo, non intelligis.

PUNCTUM II.

COnsidera, quid sit amare Deum. Hoc est Deum amare, odisse, quod ille odit; & amare, quod ille amat, & quod à te amari cupit. Hoc est in omnibus, & per omnia illi placere, & placere illi intendere. Facis tu hoc? Seriò considera, & considerando efficaciter desidera.

PUNCTUM III.

COnsidera, quid sit servire illi. Hoc est non duntaxat orare, jejunare, aut qualecunque opus bonum exercere, sed ejus placitum facere, & omnes ejus voluntates adimplere. Ita ut quemadmodum nulla vitæ nostræ actio datur, motio, seu intentio, quam non velit Deus à nobis in suum dirigi obsequium: necesse etiam est, ut nulla pars, vel actio, de communioribus etiam vitæ nostræ, sit, quæ non ea intentione Deo placendi, & obsequendi exerceatur. Quia si detur, quæ non ea intentione prodeat, hæc pars, seu actio, quantumvis parva illa sit, sic exclusa, species furti erit, seu potiùs sacrilegii à nobis commissi, non aliter ac operarius toto die obligatus in commodum Domini sui laborare, si aliquot diei horas in suum commodum impenderit, in præjudicium sui Domini, furtum committit injustè defraudans. Hoc ut præcaveamus, monet Apostolus: *Videte itaque fratres*, ait, Eph. 5. v. 15.
quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea Iac. 1. v. 4.
nolite fieri imprudentes, sed intelligentes,

quæ

quæ sit voluntas Dei. Vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. Quod Colossensibus Apostolus adprecatur, dicens: *Salutat vos*, ait, *Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. Creator quippe*, juxta S. Gregorium, *omnium in parte non est, & tunc minùs invenitur, quando is, qui totus ubique est, in parte quæritur.* Numera jam, si potes, universas annorum, dierum, horarum, imò & momentorum vitæ tuæ actiones, si potes, & in libra æquitatis ponderans, vide an una ex decem sit in Deo, & propter Deum purè facta omnibus perfectionis in ea circumstantiis à Deo requisitis, circumamicta. Quo supposito, & nondum tibi concesso, quia nulla adhuc evidentia demonstrato, novem aliæ ubi sunt? Quomodo infructuosæ evanuerunt reprobatæ? Nonne hæc villicationis tuæ tam malè administratæ ratio magna est tibi reddenda? Tot actionum summo sacrilegio Deo subtractarum in fines summè honori, gloriæ, & servitio Dei præjudicantes? Si ergò de præteritis restitutio nobis sit impossibilis, futuris saltem remedium adhibere conemur. Aut enim, teste S. Augustino, & veritate ipsâ convincente, Dei sumus, aut Diaboli? non datur medium. Si enim actiones nostræ ad Deum non referuntur, Deo summo sacrilegio subtrahuntur, nos adversario nequissimo subjicientes. *Tu qui es*, ait Apostolus, *qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit, nihil est medium.* Ex quo benè concludit idem, dicens: *Non estis vestri.* Quia nempe estis aut Dei, aut Diaboli. Vt simus Dei, monet idem Apostolus: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite: sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.*

Coloss. 1. v. 12.

Lib. 6. moral. cap. 15.

Rom. 14. v. 4.

1. Cor. 6. v. 19.

1. Cor. 10. v. 31.

MEDITATIO VI.

De fine hominis post hanc vitam.

I. Quis finis nobis sit à Deo post hanc vitam destinatus.

II. Quæ inde eliciendæ conclusiones.

III. Reflexio pro resolutione facienda in hoc passu.

Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Rom. 6. v. 22.

PVNCTVM I.

Considera, quomodo Deus non contentus, quòd in hoc mundo te creaverit, illi ut servias, adhæreas, & illi intimè adhærendo, plena fruaris mentis quiete, tibi reservaverit etiam post hanc vitam, plenam infiniti boni possessionem, quâ æternaliter in beata, & abyssali bonitatis suæ absorptus plenitudine; volens ut præmium innumerorum obsequiorum, quæ illi in hac miseriarum valle debes, aliud non sit, quàm gloria æternalis beatitudinis suæ. Eò suspirans clamabat Regius Propheta: *Quid mihi*, inquit, *est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Divinæ igitur bonitati, quâ potes, mentis demissione, gratias agas, quòd te ad tàm eximium, & excellentem finem destinaverit, & non posuerit in terra portionem & felicitatem tuam.

PUN-

PUNCTUM II.

COnsidera huic inhærens veritati, cùm hîc non habeas permanentem civitatem, quòd debeas velut advena & peregrinus tendere ad tuam patriam, juxtà Apostoli verbum: *Non habemus hîc permanentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Velut viator transiens, nulli rei terrenæ, quam vides in tuo transitu, adhærere, vel affici debes, quæ vel in minimo te queat retardare à prosecutione tui itineris ad cœlestem patriam, ad quam creatus es, & tendere debes. Hoc agnovit Propheta, dicens: *Advena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes Patres mei.* Et: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Patriarcha Jacob, Pharaoni interroganti: *Quot essent dies annorum vitæ illius? Respondit: Peregrinationis meæ dies parvi & mali sunt.* Secundò, quemadmodum singuli passus peregrinantis, sunt tot approximationes ad finem itineris, ita actiones nostræ esse debent quasi singuli passus, quibus approximamus, & pergimus ad æternam vitam, patriam cœlestem repetentes. Tertiò, sicut omnes peregrinantium, & ad suam anhelantium regionem, cogitationes, desideria, & sermocinationes non sunt, nisi de patria, quò tendunt festinanter, ita quoque omnes nostræ cogitationes, affectiones, & sermones de patria cœlesti, ad quam pergimus, si benè gradiamur, & anhelamus, solùm esse debent, juxtà illud Christi: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Eò porrò tendunt omnia desideria, quò cor inclinatur. Quartò, quemadmodum nec temporum difficultates, nec itinerum longitudo, nec impedimenta viarum, aut quævis aliæ accedentes pœnalitates impediunt peregrinantes, quò minùs suum prosequantur iter inceptum: Sic nos oportet non pertimescere, vel apprehendere in hac via vitæ ad vitam directè difficultates, molestias, & labores nobis subeundos. Cùm Apostolus asseveranter dicat, & veraciter asserat: *Quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur nobis in cœlis, ubi Pater noster, qui in cœlis est, suos semper super merita remunerat.*

Psal. 38. & 118. v. 54.

Gen. 47. v. 9.

Matth. 6. v. 7.

Rom. 8. v. 18.

PUNCTUM III.

SIcne usque in hanc horam nostram vitæ degendæ consuetudinem servavimus? Ut nostra conversatio in cœlis esse nunquam desierit. Et potuerimus cum Apostolo dicere veraciter: *Conversatio nostra in cœlis est.* Si hujus sæculi advenæ & peregrini simus ad cœlestem patriam, quem facimus progressum hanc felicem patriam tandem attingendi? Eheu! minima nos objecta retardant, divertunt, & cogitationes nostras avertunt à Deo. Conversatio nostra, cogitatus nostri, nostræ intentiones & affectiones, quæ deberent, Apostolo monente, & verè docente, esse in cœlis, omnes in terra reperiuntur, & remanent rebus implicatæ terrenis, sursum sese elevare non valent ad Christum, ut Christianæ dicantur, & sint. Ipse quippe est Christianus duntaxat, qui & in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus, teste S. Augustino: *Hîc ergò nos hospites & advenas esse oportet, & ut tales nos gerere, anhelantes, & se-*

Philip. 3. v. 20.

S. Aug. super Psal. n. 32.

& festinantes sine remora ad patriam. In quo si defecerimus usque modò, ut haud dubiè animadvertemus multum nos defecisse, nos si benè inspexerimus. Meliùs ergò de futuro faciamus. Et maximè dum in Dei servitio sese ingesserit aliqua difficultas, & molestia, in nobis ipsis recollecti, & ab omnibus impertinentibus & distrahentibus abstracti recogitemus patriam cœlestem benè tanti valere. Hæc cogitatio animavit & excitavit sanctos Martyres tanto cum gaudio pati, animos semper promptos reddidit plura pati. *Aspiciebant enim*, ait Apostolus, *in remunerationem pretio nullo æstimabilem,* rememorantes ejusdem Apostoli verbum: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus in nobis operatur.* Hoc excitatus aculeo S. Leo, dicebat: *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri, quo gloria æternitatis acquiritur.*

Hebr. 11. v. 6.

1. Cor. 4. v. 17.

MEDITATIO VII.

De mediis à Deo homini concessis ad suum finem consequendum.

I. Deus dedit duplicia media homini ad se perveniendi.

II. Penes hominem est illis benè aut malè uti.

III. In quo sit situs horum bonus usus.

Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valdè bona, Gen. 1. v. 13.

Quod intelligi debet non de naturali duntaxat & physica bonitate, sed de morali, quâ redduntur aptissima ad exequendam omnem Dei voluntatem, quia ea creavit, ut homini ad salutem suam deservirent.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd Deus creaverit hominem eo fine, ut in hac vita ab illo amaretur, honoraretur, & sibi debitè serviretur, & se illi in altera & immortali vita, clarè, & facie ad faciem videndum ostenderet: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Illi ad hunc à se intentum finem assequendum, multa dedit & constituit media, quæ partim sunt naturalia, cujusmodi sunt totius universi creaturæ, quæ sunt velut tot libri nobis aperti, in quibus legamus & instruamur, quid illæ sint in se, & nobis. *Opera Domini universa bona valdè.* Et Psalmista: *Magna*, ait, *opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Sunt enim omnes creaturæ velut specula nobis exposita & proposita, quæ earũ nobis ostendunt perfectiones & utilitates. In his intuens Regius Propheta, admirans has rerũ creatarum perfectiones, hisce delectatus ait: *Quia jucundâsti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum.* Hoc est, ait S. Augustinus: *si quid boni fortè facio, ad quod me creâsti, factura manuum tuarum exultabo, nisi enim te formaret ad opera bona, non posses, nisi opera tua mala.* Ob quod exclamat idem Propheta: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Nimis profundæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hac.* Utpotè ad quid illi data sint, & quomodo oporteat illis uti, non abuti, & frui: Ille enim abutitur, & fruitur creatis, qui hæc plus amat, & æstimat, quàm Deum, eorum factorem, eum potiùs

1. Cor. 13. v. 12.

Eccl. 19. v. 21.

Psal. 110. v. 2.

Psal. 91. v. 6. & 7.

potiùs offendens, quàm creaturæ usum malum deferens: Alia sunt homini data supernaturalia, & omninò gratuita ut Incarnatio Filii, Gratiæ, Sacramenta, &c. per quæ homo sanctificatur, & proximè disponitur ad suum finem.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quòd universæ creaturæ (intelligo per creaturas, divitias, paupertatem, honores, depressiones, sanitates, morbos, æstimationem apud homines, infamiam, vitam, mortem, & generaliter, quicquid accidit, vel accidere potest in decursu vitæ humanæ,) sunt ex se indifferentes; & quòd earum bonitas, vel malitia dependeat à nobis, qui illis utimur. Hoc est dicere, ex bono & malo usu, quem eligimus, fideli siquidem homini mundus totus divitiarum cœlestium congregandarum occasio est. *Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala.* *Fascinatio porrò*, ut ait Sapiens, *nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Hinc Apostolus: *Omnia*, inquit, *munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia.* Quod uni ob bonum usum est causa salutis, idem alteri ob malum usum causa erit damnationis. Multum ergò importat scire, omni, quod alicui occurrit, in toto vitæ suæ decursu benè uti. Et ab hoc.

Eccl. 39. v. 30.

Sap. 4. v. 12.

Tit. 1. v. 15.

PUNCTUM III.

COnsidera tertio, quòd bonus usus omnium rerũ creatarum, in nobis duo comprehendat. Primum est, ut illas intueamur velut subsidia à Deo data, ad ipsum perveniendi, illi placendo, & serviendo, quâ ductri ratione, indifferentes, & promptos nos esse oportet ad eorum usum, vel non usum. V.G. oportet nos esse indifferentes ad paupertatem, sicut ad divitias; ad humiliationem, sicut ad honores; ad morbos, sicut ad sanitatem; ad longam vitam, sicut ad brevem; quia bono usu unius æquè pertingemus ad eum finem nostrum, ac alterius; utrobique enim æqualiter attingitur. Oportet nos semper cum Propheta ingemiscere corde & ore: *Paratum cor meum Deus, cantabo & psallam.* Psal. 50. v. 8.
Juxtà Doctoris Seraphici doctrinam: *In omni quod obvenerit, laudato semper Dominum, bonum malumque fuerit, hunc solum specta terminum.* Secundò, seriò nobis eæ præferendæ sunt aliis, quarum usus nos perfectiùs & securiùs dirigit ad finem nostrum, & salutem: Quia licèt usus omniũ eò nobis deserviat, quarundam tamẽ usus propinquat magis, & faciliùs attingit metam salutis. Hoc instructi documento, præferemus paupertatem divitiis, humiliationem honoribus. *Vanitati porrò*, docente Apostolo, *subjecta est creatura non volens.* Rom. 8. v. 20.
Sicne usque ad præsens usus es creaturis, & mediis à Deo tibi ad tuam salutem concessis? Usus ne es eis magis ad Deum amandum, laudandum, honorandum, & illi fideliùs serviendum? Non credis, quòd creaturæ, quibus abusus es, consurgent contra te in judicio. *Quando pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos?* Sap. 5. v. 21.
Ideò omnis creatura ingemiscit, & parturit, ait Apostolus, *usque adhuc.* Rom. 8.
Perversus est ordo, ut docet S. Augustinus, *frui utendis, & uti fruen-*

Eccl.36.v.5. fruendis. Considera, sicut *omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in* Sap.14.v.11. *mala convertuntur. Omnes creaturæ Dei factæ sunt in tentationem, & in muscipulam pedibus insipientium*; pedibus sapientium in victoriam, salutem & gloriam.

Meditationes de homine Christiano, & de excellentia Christianismi.

MEDITATIO VIII.

I. Totum malum Christianorum provenit ex defectu cognitionis Christianismi excellentiæ.

II. Hæc excellentia Christianismi nequit meliùs haberi, quàm ex effectibus Baptismi.

III. Et per Scripturas.

Videte vocationem vestram, 1. *Cor*. 1. *v*. 26.

Hoc est fratres, animadvertite & honorate statum, ad quem vocati estis per Baptismi vestri susceptionem.

PUNCTUM I.

Considera, quòd causa potissima, & universalis omnium deordinationum, exorbitationum, & deformitatum, quę in vita Christianorum animadvertuntur, hæc sit, quòd nunquam se reflexerint debitè, & fide firmâ apprehenderint dignitatem, magnitudinem, & excellentiam Christianismi. Quî enim fieri potest, ut Christiani reddant Deo, quod illi debent, & vivant vitâ status sui suo competenti, prout Deus illud ab eis justè requirit, destituti sui status, & obligationis sui Christianismi cognitione, & notitiâ firmâ? Hæc justa est Dei querimonia apud Prophetam: *Desolatione desolata est terra, quia nullus est*, ait, *qui recogitet corde.* Ier.12. v.11. *Nescierunt, neque intellexerunt*, inquit Psalmista, Psal.81. v.5. *in tenebris ambulant.* Et Oseas: *Non est* c.4.v.1.2. 14. *scientia Dei in terra, maledictum, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, populus non intelligens vapulavit.* Eidem subscribit Job, dicens: *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Ex defectu porrò veritatis agnitæ, sanctitas deficit à filiis hominum, sine qua nemo salvatur, testimonio Psalmistæ: *Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Psal.11. v. 2. Ex quo concluditur, summè necessarium esse, perspectas habere veritates, sanctitatem, & obligationem Christianismi concernentes, & eò magis id necessarium esse Ecclesiasticis & Religiosis; quòd esse nequeant boni aut Ecclesiastici, aut Religiosi, nisi boni convincantur Christiani, propter quod omnes semper debent rogari & deprecari cum Propheta affectu, & effectu ad Dominum: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua, da mihi intellectum, & vivam.* Psal. 118. v. 18.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd cùm porta Christianismi sit Sacramentum Baptismi, nō possumus cognoscere meliùs excellentiam & dignitatem Christiani nominis, quàm per admirabiles hujus Sacramenti effectus, & titulos, honores, quos sacra pagina, & sancti Patres illi tribuunt. *Christianismus* ex S. Cypriano *est mors criminum, & vita virtutum.* Epist.2.ad Donat. Tres effectus principales

habet Baptismus. Primò, ex abundantia divinæ gratiæ, quam recipit baptizatus, omne delet peccatum, novam creaturam producens, vitam illi divinam communicat, quod Apostolus docuit Rom. 6. *An ignoratis*, ait, *quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Secundò, facit filios Dei adoptivos, & divinæ consortes naturæ. Tertiò, dat illis jus ad regnum cœlorum, quod totum in Baptismo à Christo suscepto, evidentiùs demonstratum est. Baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua, *& ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hæc sunt benè in Baptismo à Christo suscepto, qui quodammodò fuit nostri Baptismi figura, consideranda. Advertit primò Evangelista, quòd Christus baptizatus in Jordane, ut ascendit de aqua, cœli ei aperti sunt, & vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus.* In quovis porrò baptizato hæc tria in re reperiuntur. Primò, baptizato in ultimo indivisibili intrinseco Sacramenti, cœli aperiuntur, quia in illo instanti, si desineret esse inter mortales, continuò in cœlum reciperetur. Secundò, vox Patris auditur, quia illo eodem instanti, illum Pater æternus, seu tota sanctissima Trinitas generat spiritualiter, & ejus de facto constituitur filius, eum scribens in libro vitæ, hisce verbis: *Hic est filius meus dilectus.* Ita in veritate contingit omni baptizato. Quis satis unquam æstimabit, aut æstimare poterit has filii, & hæredis Dei qualitates, & titulos verè existentes, & reales, & non duntaxat exteriùs denominantes: Quæ non hoc nomen Christianismi, dum benè intelligitur, continuò mysteria continet, quæ & involvit, & patescere facit? Quæ & sufficientia sunt ex se, omnem hominem sanæ mentis convincere ad magis æstimandum Christianismum, quàm omne aliud in hoc mundo reperibile nomen. *Non enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri.*

Rom. 6. v. 3. & 4.

Mat. 3. v. 16.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, hac de causa Baptizatos vocari à S. Paulo Apostolo Sanctos: *Omnibus sanctis*, ait, *qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu. Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Hic est finis electionis, quâ electi sumus, quâ per gratiam Spiritus sumus regenerati, ut simus sancti, ut simus immaculati, ut in charitate semper in conspectu ejus ambulemus. Hæc nobis incumbit cura, & obligatio nobis imposita est. *Vobis igitur*, inquit S. Petrus, *honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo positi sunt.* Et subdit de verè credentibus: *Vos autem*, ait, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus*

Eph. 1. v. 1.

1. Pet. 2. v.

pulus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Genus electum appellat Christianos, nempe in populum & familiam Deo specialiter dicatam: *Regale sacerdotium,* hoc est, eximium, illustre, magnificum, regalem involvens, imò superans dignitatem. *Gens sancta,* sanctitate verâ internâ corda purificante, & Deo verè, ac divinitati consecrante, non solùm externa, & legali exteriùs duntaxat sanctificante. *Populus acquisitionis,* hoc est, acquisitus, coëmptus, Syriacè redemptus Deo Christi sanguine sacratissimo in speciale peculium, possessionem, & hæreditatem. *Ut annuncietis virtutes ejus, qui de tenebris vos vocavit:* Id est, eximia & magnifica opera divinæ potentiæ, sapientię, & bonitatis, exhibita per Christum. *Agnosce,* ait S. Leo Serm. de Nat. *ô Christiane dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenerari.* Et Apostolus: *Gratias,* inquit, *Deo, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Examina nunc, ô anima Christiana, an unquam Deo gratias egeris pro tantis in te collatis gratiis, favoribus, & beneficiis? Recognovistine unquam, ut oportet, beneficium vocationis tuæ? Recogitâsti aliquando quales per sacrum Baptismum contraxeris obligationes? Conformâstine modum vitæ tuæ degendæ magnis illis titulis, & gloriosis qualitatibus Regis, Sacerdotis, & Sancti. Imò unam ex decem actionibus tuis elicuistine his magnis tibi tàm excessivis à Deo factis favoribus conformem? Vide, & agnosce dignitatem tuam, quâ non tantùm liber, sed & sanctus, sed & justus, sed & filius, nec solùm filius, sed & hæres, nec solùm hæres, sed & frater Christi, nec tantùm frater, sed & cohæres, nec tantùm cohæres, sed & membrum, non membrum tantùm, sed & templum, nec templum tantùm, sed organum effectus es Spiritus sancti, fide purificantis corda omnium cum in veritate requirentium. Quem ita si requiras, maturè pondera.

S. Chrysost. ad Neoph.

Act. 15. v. 9.

MEDITATIO IX.

De vita nova & divina in Baptismo recepta. Primus hujus Sacramenti effectus.

I. In quo hujus vitæ novitas sita.
II. Cui rei hanc S. Apostolus comparat.

S*I qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova,* 2. Cor. 5. 17. Ita exprimit Apostolus primum Baptismi effectum, qui est renovare, & reformare hominem totaliter, & ipsum in novam transferre creaturam in Christo. Ad hujus proinde mysterii profunditatem attingendam, & fructum ex eo consequendum

PUNCTUM I.

COnsidera primò, in quo hæc renascentia, & hæc renovatio interioris hominis consistat, nempe secundùm Apostolum, in duobus. Primò in exspoliatione veteris hominis, hoc est, rejicere, & renunciare omnibus vitiis, peccatis, passionibus inordinatis, & inclinationibus malis in peccata trahentibus, & com-

& compellentibus, quæ sunt tot velut membra corporis veteris hominis, qui crucifixus est cum Christo Salvatore nostro, & mortuus in morte Christi. *Duo*, ait S. Basilius, *homines sunt, vetus & novus, Adam vetus, & Christus novus, ille terrenus, iste cœlestis: illius imago vetustas, istius imago novitas.* Unde Apostolus ad Romanos: *Vetus homo noster*, ait, *simul crucifixus, ut destruatur corpus peccati. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Ut Apostolus suos docet Galatas. Ad hanc ergò hominis interioris renovationem exigitur, ut factæ exspoliationi veteris hominis, succedat novi induitio, vel velamentum nequitiæ, & maledictionis cedat vestimento gloriæ, & benedictionis, ut evacuatio pusillanimitatis, & omnis vitii sit induitio fortitudinis, & omnis boni, juxtà Apostolum ad Colossenses: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Et ad Romanos: *Sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam, ne feceritis in desideriis. Induimini* Jesum, id est, ait, ornate, & armate vos iis maximè virtutibus, quæ in Christo eluxerunt, & ex his insignibus omnes agnoscant vos esse domesticos, servos, imò & filios Christi, & curam carnis, mundi, & dœmonum, ne feceritis in desideriis, id est, quidem mala desideria, & suggestiones malæ ad malum locum invenire poterunt apud vos, sed non prævalebunt adversus vos, undique spiritualibus munitos præsidiis. Ut verificetur illud Isaiæ: *Ecce creo cœlos novos, & terram, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor.* Et illud Doctoris Angelici: *Recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces, & opera.*

S. Bas. serm. 30. inter par. vos.

Rom. 6. v. 6.

Gal. 6. v. 15.

Coloss. 3. v. 9.

Rom. 13. v. 14.

Is.

PUNCTUM II.

Considera secundò, divinus hic Apostolus hunc exspoliationis veteris hominis, & interioris renovationis, ut sensibiliùs & efficaciùs nobis imprimat conceptum, unam morti, resurrectioni alteram comparare. Unde ad Rom. scribens: *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, & simul resurrectionis erimus.* Hoc est, si illi assimilemur in morte ejus, assimilabimur & in gloria resurrectionis ejus. Assimilari quippe in morte ejus, est ipso facto renunciare, & mori mundo, diabolo, sibi ipsi, omnibus affectionibus, & uno verbo, toti vitæ sensuali, eo modo, quo Dominus noster Jesus Christus mortuus vitæ naturali, & mortali, hoc est, nulli ulteriùs motui inordinato naturæ pravæ, aut cuivis seordinatæ inclinationi vivere, quo sensu Apostolus ait ad Colossenses: *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Id est, per Baptismum ingredimini statum hujusmodi, qui astringit vos, ut vobis ipsis sitis mortui, mundo, diabolo, & actibus ejus, reviviscatis cum Christo vobis incorporato, vita omninò sanctâ, & divina in Deo absconditâ. Talis sit planè vita vestra, qualis est Christi Jesu, ea ex causa Apostolus ad Titum c. 3. v. 5. Baptismum appellat lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti. Et ad eundem c. 2. *Apparuit gratia Dei Salva-*

Rom. 6. v. 5.

Coloss. 3. v. 3.

c. 2. v. 11.

Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, piè, & justè vivamus in hoc seculo exspectantes beatam spem. Huic consentiens S. Augustinus: *Omnis*, ait, *qui Baptismum Christi desiderat, vitam novam concupiscit: Transeat ergò à vetustate, ut perveniat ad novitatem: Prius enim fuit Testamentum vetus, homo vetus. Nunc autem Testamentum novum, canticum novum, propter hominem novum. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Considera nunc ô homo Christiane, reflexisti tene unquam super has voluntariè assumptas obligationes? hisce ad amussim satisfecisti? In nullo deviâsti unquam ab iis? Cogita & recogita seriò, si benè tibi ipsi mortuus sis. Mortuus non movetur, non sentit, si in altum elevetur, sive deprimatur in imum, si impetatur stercoribus, sive suavibus recreetur odoribus, ille est indifferens, sive injuriis oneretur, & maledictis, sive laudibus honoretur, & præveniatur benedictionibus, manet immotus, imperturbatus, & insensibilis: Es tu talis? Ecce quid sit, qui baptizatus est. Idem est ac homo mortuus mundo, & sibi ipsi. Ecce primum in Christianismum ingressus. Hoc est, quod Dominus nobis clamat, & imponit, ejus dum nos servitio obligamus, & consecramus. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Hæc est vitę novitas, tot nobis sacrorum eloquiorum inculcata monitis: *Ut in novitate vitæ ambulemus*, & serviamus in novitate spiritus, ut suis Apostolus suadet, & inculcat Romanis, & ad Ephesios: *Renovamini*, ait, *spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem.*

[Margin: August. — Luc. 9. v. 23. — Rom. 6. v. 4. & 7 v. 6. — Eph. 4. v. 23. & 24.]

MEDITATIO X.

De secundo effectu Baptismi, de filiatione adoptiva.

I. Quantus sit titulus filii Dei adoptivi.
II. Quæ inde commoda proveniant nobis.
III. Quid nos in ea filii qualitate debeamus.

Videte, qualem charitatem dedit vobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus, 1. Ioan. 1. v. 7.

PUNCTUM I.

Considera primò magnitudinem, & excellentiam gloriosi hujus tituli, quòd per Baptismum filii Dei adoptivi fiamus, quia si ipso facto tanti faciamus filios Regum & Principum in terra, eò præcisè motivo, quòd personæ, à quibus trahunt originem, tantæ apud omnes sint excellentiæ & æstimationis, quantæ ergò erit excellentiæ, honoris, & gloriæ, filius esse illius, respectu cujus omnes Reges & Principes terræ minus æstimantur, quàm atomi? *Non enim accepisti spiritum servitutis iterum in timore, sed accepisti spiritum adoptionis filiorum Dei*, ait Apostolus. Et ad Galatas: *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Judæi Deum appellabant Dominum, Deuteron.: *Et nunc Israëel*, ait Moyses, *quid Dominus tuus petit à te, nisi ut timeas ipsum, & diligas ipsum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata ejus?* Nomen Patris Christianis reservabatur, velut filiis dilectis Patris sui omnes adimplentibus voluntates. Quo motus B. Joannes referens gratias, & favores nobis vi mysterii Incarnationis concessas, hunc primatum inter

[Margin: Rom. 8. v. 15. — Gal. 3. v. 26. — Deut. 10. v. 12.]

inter cæteras tenere voluit, velut omnium aliarum fundamentum: *Dedit eis,* inquit, *potestatem filios Dei fieri,* hoc est, ut communicarent in jure bonorum, hæreditatis, & excellentiarum filiationis divinæ, illisque gratiâ donaret, quod natura dare non poterat. *Omnia dona excedit hoc nomen, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem,* ait S. Leo, *fastigium est nobilitatis inter filios Dei computari.* S. H. S. P. Chrysol. Serm. de Orat. Dom.

Ioan. 1. v. 12.

S. Leo Serm. 9. de Nat.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò gratias, favores, & prærogativas ex hac filiationis divinæ voce nobis provenientes. Prima: Quòd fruamur jure Deum appellandi nostrum Patrem, gratiâ huc usque inauditâ, nullo modo effatu exprimibilis, aut creato attingibilis conceptu, ex quo magna cum fiducia ad ipsum in omni nostra adversitate, vel mentis anxietate recurrere, ut filii ad Patrem. *Ob hoc dedit Spiritum filii sui in cordibus nostris,* ait Apostolus, tribuentem nobis & petendi audaciam simul, & impetrandi assecurationem, omne illud, quod nostræ congruerit saluti. *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii in corda vestra, clamantem: Abba Pater.* Et S. Petrus: *Maxima nobis & pretiosa promissa donavit, ut divinæ per hæc efficiamur consortes naturæ.* Judæi vanè gloriabantur in Evangelio, habere se Patrem Abraham; de quo Joannes Baptista illos meritò redarguit dicens, ne velitis dicere, ait, intra vos: *Patrem habemus Abraham.* Quasi diceret, non sufficit, quòd sitis filii Abrahæ, nisi opera Abrahæ faciatis. Abraham Pater est omnium nostrûm, nempè qui ex fide Abrahæ justificantur, non illi verò, qui ex lege existimant justificationem haberi. Ex quo Apostolus illud evidentiùs ostendit: *Justificati ergò,* ait, *ex fide, pacem habemus ad Deum Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & habemus accessum in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ac si diceret, non tantùm gloriamur, nos habere Patrem Abraham; quia ex fide, quâ Abraham justificatus est, & constitutus Pater omniũ credentiũ, justificamur, sed & gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei. Quod maximum est, quod nobis dari potest. Secundo ex jure filiationis divinæ Deus specialem gerit nostri curam, in eo debitum veri Patris exequens multò perfectiùs, curâ majori, amore ferventiori, & affectu teneriori, quàm parentes carnales filiorum suorum carnalium curam habeant. Quod Christus exprimens in Evangelio: *Nolite ergò,* inquit, *soliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Confirmat illud ipse Deus apud Prophetam dicens: *Etsi oblita fuerit mater infantis sui, ego tamen non obliviscar tui.* Cui congruentissimè Salvator apud Matthæum: *Patrem,* ait, *nolite vobis vocare super terram, unus enim est Pater vester qui est in cœlo.*

Gal. 4 v. 16.

2. Petr. 4.

Ibid. cap. 5.

Mat. 6. v. 31.

Isa 49. 15.

Mat. 23. v. 9.

PUNCTUM III.

COnsidera, non sufficere Deum habere Patrem, sed & oportet eum respicere ut Patrem, honorare, amare ut Patrem, & in omnibus obedire ut Patri. *Filius enim honorat Patrem,* ut ipse

Deus per suum Prophetam testatur: *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?* Hic verò honor situs est in duobus. Primò, in illo, ut filialis habeatur continuò timor ob oculos, ne Pater tantus, tàm beatus & benignus offendatur. Et secundò, ut intendatur illum imitari, quantum possibile erit. Huicque Apostoli præcepto conformari: *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.* Siquidem vanè gloriamur de nomine filii Dei, si actiones Dei filio dignas non exerceamus. Ob hoc hortatur Isaias Propheta: *Attendite*, ait, *ad Abraham Patrem vestrum, ut filii Abrahæ sitis, opera Abrahæ facite.* Cui Aquila Evangelica subscribens: *Omnis*, ait, *qui ex Deo natus est, non peccat, in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli.*

Eph. 5. v. 10.

Isa. 51. v. 2.

1. Ioan. 3. v. 9. & 10.

MEDITATIO XI.

De tertio effectu Baptismi, & de jure ad regnum Dei.

I. Infelix status, in quem peccato primi parentis homo redactus erat.

II. Misericordia illi ex illo extractus est.

III. Cœcitas hominum non illud recognoscentium.

Si Filii, & hæredes, Rom. 8. v. 17.

Si simus filii Dei, erimus & infallibiliter hæredes.

PUNCTUM I.

Considera primò perfectiùs hujus tertii magnitudinem beneficii, nobis per Baptismum collati, ut penetres, & attingas intimiùs infelicem statum, in quem nos noster primus parens peccato suo simul & nostro, qui omnes in illo, & cum illo peccaveramus, redegerat, privans illo medio omnem suam posteritatem jure, quod habere potuerat ad hæreditatem paradisi, & æterni regni, & dans pro omni æternitate illam pignori, velut victimam maledictam justitiâ Dei justè determinante, & judicante flammis cremandam sempiternis, in quo illud Prophetæ Ezechielis verificabatur: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Natura porrò*, inquit S. Augustinus, *non tantum facta est peccatrix, sed etiam genuit peccatores. Quia* Apostolo teste: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, beneficio lavacri regenerationis in verbo vitæ vitam amissam omine meliori reddentis.

Ezech. 18. v. 12.

Tract. 2. de Bapt. pag. 34.

1. Cor. 20.

PUNCTUM II.

Considera secundò Dei infinitam bonitatem, & misericordiam immensam, ut hanc contractam culpam elueret, & hominem suis pristinis juribus, favoribus & privilegiis restitueret, non inveniens creaturam ullam, quæ ad hoc sufficeret, unigenitum filium suum in terram mittere voluit, & ipso facto misit; ut factus homo similis nobis, eodem mortalitatis involutus velamine. Et illud in cruce propter homines exuens & deponens, illos pœnis eximeret æternis, & gratiæ pristinæ amissę & gloriæ restitueret, primis eos afficiens favoribus, & privilegiis jure æquiori & firmiori. Hoc ipse ore suo sacro placuit omnibus depromere, ne ullus esse possit ambigendi locus: *Sic Deus*, ait, *dilexit mundum, ut filium unigenitum daret.* Et alibi: *Ego veni, ut vitã habeant, & abũdantiùs habeãt*, utpote vitã gratię & glo-

Ioan. 3. v. 16.

Ioan. 10. v. 10.

riæ, quod clariùs exprimens, ait: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Communicans in eadē mecū gratia viæ, & gloria patriæ. Quod prævidens Psal. & ad tantam obstupescens pietatem & liberalitatem, ac ipsum alloquens Salvatorem
Psal. 55. v. 8. tàm pium & liberalem: *Pro nihilo*, ait, *salvos facies illos.* Hoc est, omninò gratis, nihil inde exspectans præmii aut
Gal. 3. v. 13. remunerationis. *Immò, Christus redemit nos de maledicto, factus pro nobis maledictum.* Considera jam ô anima mea, & obstupesce! quomodo, quod filio tanti stetit, seu constitit, tibi tàm vili detur pretio, ut illud, quod ipse pretio sanguinis sui pretiosissimi tàm carè emit, vendatur tibi tàm vili: Quia non est necesse te effundere sanguinem, ut ipse fecit non semel, verùm sæpiùs & vicibus repetitis, copiosissimè sanguinem suum fudit, adhuc tenellus ac parvus in sua circumcisione effudit, jam magnus factus, qui nunquam non magnus fuit, in horto, offerens Patri æterno sui sacrificii in cruce primitias: *Et factus est*, ait Evangelista, *sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Effudit in flagellatione, in coronatione, in crucifixione, in cruce vi-
Joan. 19. v. 34. vus, effudit & mortuus, dum ad aperturam sui sacratissimi lateris: *Continuò exivit sanguis & aqua.* Tanti Christo constitit redemptio, sanctificatio, & glorificatio nostra, quod expressit
Eph. 10. v. 7. Apostolus ad Ephesios: *In quo*, ait, *habemus redemptionem, per sanguinem ejus.* Nos autem, satis est, ut veniamus ad participationem tantorum & infinitorum bonorum, ut lavacro aquæ baptizemur, ita consortes ejus gratiæ & gloriæ efficimur.

PUNCTUM III.

Considera tertiò cæcitatem, in qua fuisti, & fortè adhuc es, quòd tàm parùm æstimaveris hanc cœlestem hæreditatem, ad quam vocatus es, per Baptismum, cùm illi toties peccando, renuntiaveris, præferens bona terrena cœlestibus, caduca permanentibus, & peritura æternis. Immò, præferens momentaneam & phantasticam voluptatem deliciis veris & æternis, honorem vanum veris & divinis honoribus, creaturam creatori, immò, diabolum Deo, &
illi: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Vere pro nihilo*, juxtà Psalmistam, *habuisti terram desiderabilem.* Et juxtà Apostolum: *Servivisti creaturæ potiùs, quàm Creatori.* 1. Tim. 2. v. 6. Psal. 105. v. 24. Rom. 11. v. 25.
Nunc ergò tempus est, doleas de præteritis, & meliùs disponas de futuris. Doleas te tempus datum ad salutem tuam operandam, vel neglexisse, vel non ut oportet, impendisse. Contemnas mundum, qui est hæreditas filiorum Adam, inquisiturus hæreditatem filiorum Dei. Et dic, & audacter dic: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Dic cum S. Petro: *Sufficit tempus præteritum, ad voluntatem gentium consumandam.* Et cum Apostolo: *Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de cœlo, cœlestis, qualis terrenus, tales terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes erunt. Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum illud* Joan. 18. v. 36. 1. Petr. 4. v. 3. 1. Cor. 8. v. 47. Matth. 6. v. 10.

possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. Ideò orà docente Christo: *Adveniat regnum tuum.* Et dic cum Apostolo: *Omnia arbitratus velut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Philip.3.v.6.

MEDITATIO XII.

De promissionibus generalibus, & obligationibus ex Baptismo contractis, & de fundamento totius vitæ Christianæ.

I. De earum momento.

II. Quanti SS. Patres has promissiones fecerunt.

Major est contractus fidei, quàm pecuniæ, ait S. Ambrosius lib. 10. in Lucam.

Vovete & reddite Domino Deo vestro, Psal.85.v.12.

PUNCTUM I.

Considera primò promissiones à nobis omnibus in Baptismate factas, quanti sunt æstimandæ, & quanti eas SS.Patres æstimaverint, ita ut eorum nemo, sive Græcorum, sive Latinorum reperiatur, qui earum non meminerit terminis expressis, & recommendatitiis specialioribus: Quidam dicunt esse eas solenne juramentum Deo à nobis præstitum, alii chirographum communis, & strictissimę obligationis, appellãt pactum & contractum, quo nos majestati divinæ astringimur. Et cæteri tandem vocant votum, & omnium votorum maximum. Juxta S.Augustinum, hoc votum appellantem: *Tu maximum votum nostrum.* Votum dicitur, quia solemniter factum Deo in conspectu Ecclesię, & in angelorum præsentia. Votũ, quia facit nos Religiosos Catholicæ, & communis Religionis; non aliter ac vota facta in Monasteriis personas constituunt hujus vel alterius Ordinis religiosas. Facit nos Religiosos Religionis, cujus Fundator est Chrstus homo & Deus, simul in una divina persona. Regula est Evangelium, habitus innocentia. Et tandem sicut salus Religiosi ex suæ regulæ observatione dependet; ita salus, & vita Christiani dependet ab observatione promissionum in Baptismo factarum. Inde fiet judicium, & audiet: *De ore tuo te judico.* Unde benè S. Hieronymus: *Recordare,* ait, *tyrocinii tui diem, quo Christo in Baptismate consepultus, & in Sacramenti verba jurâsti: Hæc tibi commendans, tu vicissim alia voluisti.* Et Conc. Paris. *pactum quod cum illo in Baptismate fit, à multis ex toto, à multis ex parte transgreditur. Venimus ad fontes,* inquit S.Ambrosius, *ingressus es, considera quos videris, quid locutus sis, considera, repete diligenter. Quando te interrogavit, abrenuntias diabolo & operibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Luc.19.v.22. Hieron.ad Heliodor. 6. lib. cap. 9. Lib.10 de Sacram. cap. 2. Matth.12.v.37.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd in Baptismatis susceptione ad tria nos obligemus Deo. Primò, obligamus nos ad renuntiandum diabolo, pompis, & operibus ejus. Hoc omnibus ejus suggestionibus, omnibus sæculi vanitatibus, omni peccatorum generi, aut cuivis occasioni

occasioni ad illa quoquo modo inducenti, Deo nos obligamus. Secundò, ad fidem amplectendam, ad fidem Christi Jesu, hoc est, ad redigendum omnem intellectum in captivitatem, in obsequium Christi; & fidei, omnibus ejus legibus, præceptis, & ductui Spiritus ipsius interiori, & exteriori, juxtà Ecclesiæ præscriptum, & doctrinam, tàm fidei quàm morum. Tertiò, obligamus nos ad vivendum vitâ Christi, seu in Christo, gratiæ ejus semper cooperantes, virtutes ejus in praxi, & ipso facto imitemur, charitatem, humilitatem, castitatem, paupertatem, patientiam, & cæteras ejus virtutes, quas nos verbo & exemplo docuit, sectantes. Hoc totum egregiè ex Concilio Parisiensi eruitur: *Sicut, ait studendum est Sacerdotibus, ut Auditores sui mysterium sacri Baptismatis intelligant, & Deo opem ferente, operibus compleant: Ita procurare debent, ut abrenuntiationes, quas in diabolum, suaque opera, ejusque pompas fecerunt, intelligant, & his intellectis, ne ad eas denuò redeant, invigilent. Constat unumquemque fidelem Deo in Baptismate duarum pactionum nexibus se obligare: Altera, quâ abrenuntiare Diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Altera, quâ in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credere profitetur. Necesse est, ut Prædicatores in admonendo, & auditores in discendo, & opere complendo, ad hoc ut suum periculum cavere possint, majus adhibeant studium. Abrenuntiate igitur diabolo, & penitùs eum respuere, spernere, rejicere, eique contradicere, seque & unumquemque ab eo alienare satagite.* Opera ejus sunt, quæ utique operibus

Parif. 6. lib. cap. 9. & 10.

Salvatoris contraria existunt. Primum superbia, cujus ille author est. Ecce vota, quæ in susceptione Baptismatis emisisti. Ecce chirographum obligationis tuæ. Ecce juramentum à te præstitum. Reflexistine te unquam super hæc? Vide, & seriò examina iis quomodo satisfeceris. Et cùm eo tempore ea emiseris alieno ministerio, nempe susceptorum tuorum in Baptismate te suscipientium, & pro te respondentium. Ratificastine ea unquam expressè? vel etiam habesne hæc rata? Dicisne modò corde pleno, verba, quæ S. Chrysostomus vellet dici, & repeti omni momento, aut saltem in die sæpe? *Abrenuntio tibi Sathana, & adhæreo tibi Christe.* Nihil tutius hac voce, inquit Sanctus ille magnus, si ipsam per opera exhibeamus: Ne unquam absque hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis.

MEDITATIO XIII.

De prima promissione, vel obligatione in Baptismate contracta, quæ est renuntiare pompis Sathanæ, hoc est, mundo, & ejus vanitatibus.

I. Quid per mundum intelligatur.

II. Quare Salvator voluerit nos obligare renuntiare mundo, priusquam Baptismum suscipiamus.

III. Quæ inde eruantur veritates, & sequelæ.

Filioli, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, 1. Joan. 2. v. 15.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quid per mundum, & per res mundanas intelligatur; per mundum vita corrupta, deordinata, mundanis, vanis, perniciosis legibus, & perversis maximis conformis: Rectis verò Dei præceptis, & sanctis legibus omninò difformis. Per res autem mundanas, intelliguntur honores phantastici, voluptates momentaneæ, & divitiæ apparentes, in veritate deceptrices ac fallaces, quibus omnibus in Baptismate renuntiavimus. Hoc Concilium Parisiense ante memoratum, optimè sequentibus exprimit: *Pompa diaboli hæc est, quæ pompa mundi, id est, ambitio, vana gloria, omnisque cujuslibet rei superfluitas in humanis usibus, unde crescit illatio, quæ multoties honestati solet adscribi.*

Idem Concilium cap. 10.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, qua de causa Salvator Christus Jesus nos astrinxerit renuntiare mundo, priusquam lavacro sacri Baptismatis regeneremur, mundemur, & sanctificemur. Hæc causa esse dignoscitur, quòd is, qui mundo adhærens, illius legibus duntaxat dirigitur & regitur, solis inhians transvolabilibus, suæ sensualitati, placitis, & rationem omninò obnubilantibus, nequit ullâ ratione Christum amare, servire & adhærere, quia ducuntur principiis & legibus planè contrariis, & consequenter incompatibilibus, juxtà illud Evangelii: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Et illud Apostoli: *Quæ conventio*, ait, *Christi & Belial, aut quæ participatio lucis ad tenebras?* Et expressiùs illud nobis per suum Apostolum declarat Christus: Quòd mundi amatores suos reputet hostes & inimicos: *Adulteri*, ait S. Jacobus, *nescitis, quia amicitia hujus sæculi, inimica est Dei, & quicunque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.* Cui doctrinæ S. Augustinus subscribens: Qui, ait, veraciter meminit se esse Christianum, eo animo accessit ad fidem, ut huic sæculo non solùm verbis renuntiaret. Ob hoc Christus Patrem æternum deprecans: *Non pro mundo*, inquit, *rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Videsne, quòd non sit duntaxat Religiosis proprium, seu proprietas, prout usque ad præsens credidisti, mundo renuntiare, sed & omnibus Christianis convenit necessariò, vi suscepti Baptismatis, mundo & omnibus mundanis planè renuntiare. Exemplo sui Magistri & Domini, qui loquens de omnibus in generali sibi adhærere cupientibus: *De mundo*, ait, *non sunt, sicut ego non sum de mundo, non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.*

Matth. 16.

2. Cor. 14.

Iac. 4.

S. Aug. Epist. 89.

Ioan. 17. v. 9.

Ioan. 17. v. 15.

PUNCTUM III.

COnsidera tertio, te primò ex præmemoratis concludere oportere, te obligatum, quà Christianus es, mundo non tantùm renuntiare, sed & illum horrere ac abominari, hoc est, spiritum ejus fugere, maximas ejus detestari, leges & consuetudines ut diaboli laqueos evitare, ac in nullo communicare cum illo. Hocne ante credidisti? Vel nunc saltem credis? Non illi in detrimentum animæ tuæ colludis, ejus illusus fraudibus? Cupisne partem habere in regno Dei & Christi? Ecce audi, quid dicat Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Ioan. 18.

mundo. Et tu in mundo, illi serviendo, ejus obediens legibus, regnare voles? Hoc facere noli, nisi Christo renuntiare velis, & diabolo sociare. Secundò, nunquam debes otiari à bono, quidquid tibi mundus obmurmuret. Illi porrò proprium est, ordinariè sese opponere bonis, ne in bono perseverent, aut augmentum sumant, quantum potest detractione, fallaciâ, irrisione, allusione, vel aliis machinationibus avertit ab eo, quod bonum, laudabile, & virtuosum est, sub quodam velamento malitiæ in locum boni malum substituens. Ita mundus adversatur bonis, quod suis Christus in Evangelio non abscondit: *Si mundus vos odit, scitote*, inquit, *quia me priorem vobis odio habuit.* Ex quo tertiò concludere debes, vivere velle te in mundo, quasi non fores in mundo, monito Apostoli obediens: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim*, ait, *figura hujus mundi.* Quasi diceret, cave tibi à mundo, quia omnia ejus bona sunt duntaxat apparentia, falsa, & vanis illusionibus decipientia. *Ecce*, ait Ecclesiastes, *vidi cuncta, quæ sunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Huic subscribens S. Joannes Evangelista: *Mundus*, inquit, *transit, & concupiscentia ejus.* Et Christus: *Si de mundo essetis, mundus utique quod suum est, &c. diligeret.* Et alibi: *In mundo pressuram habetis sed confidite: Ego vici mundum.*

Ioan. 15.
1. Cor. 7.
1. Ioan. 2.
Ioan. 15.
Ioan. 16.

MEDITATIO XIV.

De secunda promissione in Baptismate facta, fidem Christi Domini amplectendi.

I. Obligamur hac secundâ promissione vivere fidei conformiter.
II. Quid sit conformiter vivere fidei.
III. Quomodo lumine fidei utendum.

Nos sumus filii fidei, Hebr. 10.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quamvis hoc nomen *fidelis*, sit omnibus Christianis commune, ratione fidei in Baptismo acceptæ, & professæ: Paucissimi tamen inveniuntur, qui justè hoc gaudeant nomine, defectu significati hujus nominis, in illis non plenè reperti. Quia fidelẽ esse, non est duntaxat credere firmiter, quæ Christus revelavit, docuit, & Ecclesia proponit, etiam illud ipsum exequi, & internam suam fidem opere externo declarare, & quasi complere, & perficere. *Fides*, ait S. Augustinus, *est nomen ex duabus compositum syllabis. Prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Renuntiandum est non solùm vocibus, sed etiam operibus; non tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ; non tantùm labiis sonantibus, sed & operibus pronuntiantibus. Ille verè credit*, ait S. Gregorius, *qui exercet operando, quod credit.* Doctrinæ S. Jacobi conformiter: *Tu fidem*, inquit, *habes? Ostende mihi fidem tuam ex operibus.* Non ergò sufficit, fidem Christi amplecti quoad doctrinam, & ex honestate fidei: Verùm exigitur ulteriùs, ut vitam suam

Aug. lib. 4.
Greg. Hom. 26. in Ev.
Iac. 2.

ipso facto conformet ejus directioni, exprimendo in opere, quod tenet in mente. Et qui agit aliter, non Christianè agit, nec Christianè credit, cum solâ fide Christianè credatur, quâ Christianus ex operibus agnoscitur, plenè fidei significatum complectens in dicto, & in facto fidelis.

PUNCTUM II.

Considera secundò, Christianè agere fide, in praxi, & opere suam fidem ostendere. Ex fide vivere nil aliud est, quàm intueri objecta omnia naturalia, & supernaturalia, quæ objiciuntur, & repræsentantur nobis, illâ notitiâ & cognitione, quam Deus de illis habet. Cujus fidem infudit nobis, ut illa examinemus, provideamus, ac illis secundùm hoc fidei lumen dijudicatis, & receptis, vitam nostram, & vivendi modum conformemus, & adaptemus velut regulis infallibilibus perfecti Christianismi. *Habentes*, juxtà Apostolum ad Timotheum, *bonam conscientiam, quam quidam repellentes*, inquit, *circa fidem naufragaverunt*. Et ibid. cap. 6. *Radix*, ait, *omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide.* Certè si alicui in caliginoso loco materiæ pretiosæ ostenderentur, ut inde sibi certas seligeret, ille haud dubiè ne deciperetur, quas vellet, extraheret ad lumen dijudicandas, æstimandas, & recipiendas; necesse est non aliter ut intueamur res universas apparentes, & non inexistentes mundi hujus, non in naturali, & nobis à natura indito lumine, quod illas nobis aliter omninò repræsentat, quàm in se sunt, sed in lumine fidei, quod repræsentat illas ut in se sunt, ut illas Deus videt, ne vanâ illarum excellentiæ, & pulchritudinis apprehensione decipiamur, à veritate ad vanitatem deficientes: Considerantes cum S. Augustino, quòd fideles vocemur, non rationales, & acceptô Baptismo, *dicimus*, fidelis factus est, quia fide, non ratione, Deo, & Christo vivimus, & salvamur. *Serm. 10. in festo S.*

PUNCTUM III.

Considera tertiò, ad particulariora deveniendo & descendendo, ut hoc quis lumine, & infallibili hac regula fidei utatur; oportet imprimis scire, quid fides, quoad objecta & materias, quarum quæstio movetur, doceat. Secundò, oportet elicere actum interiorem fidei, circa materiam, quæ proponitur. Ac tertiò, cognitionis, & persuasionis hujus veritatis virtute & efficaciâ agere & operari. Exempli causâ, si quis proponat sibi præsentiam Dei, scire oportet, quid fides de illa doceat, & nobis credendum proponat, ac dein actui fidei expresso, & ipso facto elicito, suas actiones, & vitam conformare, illi præcisè fidei documento inhærere & adhærere. *Et hæc est victoria, quæ vincit mundum*, S. Joanne teste, *fides nostra.* Et Apostolus: *Vigilate*, ait, *& state in fide, velut solido in fundamento stabiliti, quo irrepræhensibiles coram Deo & Christo invenimur, & sumus. Si tamen*, inquit idem Apostolus, *permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelii.* Quia sola fides est actionum nostrarum in hujus vitæ mortalis decursu, regula indefectibilis & secura. Verbi gratiâ, si quis divitias & honores hujus mundi trahat in quæstionem, re-

ctum

ctum ut judicium de illis ferat, inspicere & accuratè inquirere debet Christi de his in Evangelio judicium & doctrinam, ac illis velut oraculis veritatis & infallibilitatis insistere, suumque judicium illis conformare, divitias & honores mundanos contemnendo & rejiciendo, velut occasiones saluti & profectui spirituali nocivas & valdè periculosas. Similique de omnibus aliis rebus utens procedendi & discernendi modo. Quo medio Christianus fructum & commodum referet ex omnibus. Erit dives in paupertate, gloriosus in opprobriis, lætus in mœroribus, in afflictionibus consolatus, & contentus in omnibus Apostoli doctrinæ inhærens:
Ad Tit. 2. v. 10. *In omnibus*, inquit, *fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent.* In omnibus nempe actionibus suis, quod Apostolus sollicitè exequebatur; omnes hujus vitæ tribulationes, tormenta, & persecutiones oculo fidei intuens leves, momentaneas judicabat respectu futuræ exspectandæ in
2. Cor. 4. v. 17. cœlo retributionis: *Momentaneum hoc*, ait, *& leve tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis ea, quæ videntur, sed quæ non videntur.* Resolvas ergò, & firmissimè statuas omnes res de cætero quascunque tibi objiciendas, ut Christianus inspicere & æstimare, & hoc oculo fidei illas non pluris, quàm Deus
2. Cor. 4. v. 18. eas æstimet, faciens: *Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ verò non videntur, æterna.*

MEDITATIO XV.

De tertia promissione, seu obligatione in Baptismo contracta, quæ est adhærere Christo, & propriâ vitâ ejus vivere, ut quis queat dicere cum Apostolo: Non jam ego vivo, vivit verò in me Christus.

I. Propria vita Christi in nobis, nihil est aliud, quàm eum imitari.

II In hac imitatione consistit spiritus veri Christianismi.

III. Et sunt veri Christiani illo Spiritu Christi verè animati.

Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis, Gal. 2. v. 27.

Induere Christum Jesum, sensu Apostolico, nihil est aliud, quàm ipsum imitari, & vestimento virtutum ejus vestiri, & ornari.

PUNCTUM I.

Considera primò, præter renuntiationes, quas in Baptismate fecisti, & promissiones Christianam amplectendi doctrinam, & sanguinem etiam pro fide Christi, si ita ratio postulaverit, fundendi; promiseris quoq; vivere vitâ Christi, & spiritu Christi, ut membrum corporis Christi. Sicut n. corporis naturalis vivit membrũ vitâ sui capitis naturalis, vitâ in omnia membra sui corporis influentis. Ita quodlibet membrum corporis mystici Christianismi, & Ecclesię, vivere debet vitâ capitis sui, quod est Christus, Apostolo testimoniũ perhibente ad Eph. *Et ipsum*, inquit, *dedit* Eph. 1. v. 22.
caput supra omnẽ Ecclesiã, quæ est corpus

ipsius,

ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Christus porrò influit in omnia membra omnis Ecclesiæ, & triumphantis, & militantis, vitam gratiæ, & gloriæ, influxu duplici, & physico, & morali, seu meritorio. Influit gratiam & gloriam in omnia membra, influxu, quà Deus, physico, quà homo, influit morali, & meritorio influxu. Quo influxu vivificantur omnia membra Ecclesiæ Christi, seu corporis Christi mystici: Illa dum faciunt, hoc, quod Christus Jesus fecit, & exemplo docuit, dum in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Quia, ut S. Augustinus testatur: *Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi.* Si eo *modo*, ergò, quo ipse Christus vixit, vitam tuam instituis, hoc est uno verbo dictum: Si vitam ejus imiteris, & ejus in praxi virtutes exerceas, quarum ille nobis exempla reliquit, ut humilitatis, paupertatis voluntariæ, patientiæ, amoris Dei perfecti, obedientiæ consummatæ, & similium virtutum, quas Christus exercuit perfectissimè, & exercendas nobis reliquit: Si has, inquam, exerceas, iisdem dispositionibus, & intentionibus, eâdem charitate & affectu Deo Patri placendi & obediendi, & tandem omnia adimplendi, quæ quoquo modo sunt adimplenda, ut Deo uniri perfectè merearis, ut Christus fuit semper modo unitus perfectissimo, verè membrum capitis hujus dignosceris,
Act.17. & es potens verbis uti Apostoli: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.*
Joan.14.v.10. *Ego*, inquit Christus, *sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* Et Evangelista: *Misit Deus filium suum, ut vivamus per eum.* 1.Joan.4.v.9. *Cùm Christus apparuerit*, inquit Apostolus, *vita nostra.* Col.3.v.4. Et ad Galatas: *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Gal.2.v.2.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd in hac imitatione & similitudine, quam in vita & vivendi modo ad Christum, & ad omnes ejus vitæ rationes, & actiones nobis ab eo propositas, & ad imitandum relictas habemus, consistat propriè & essentialiter Christianismus, & essentia veri Christiani, quæ similitudo & imitatio aliud nihil est, quàm participatio hujus Spiritus Christi Jesu: Qui Spiritus Christiano constituendo ita necessarius est, ut rationalis anima hominis constitutioni necessariò imbibitur. Unde S. Cyprianus: *Christianum non se putat, qui Christianus esse, aut confunditur, aut veretur. Multi*, ait S. Gregorius, *sunt, qui Christiani videri appetunt, non esse.* S Gregor. lib. 19. cap. 19.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, hisce inhærens principiis, quàm pauci veri Christiani in hoc mundo inveniantur, cùm tàm pauci sint, qui Christum imitari, vitam ejus exprimere actibus & moribus, & ejus principiis, maximis, ac vitæ regulis insistere

ſtere conentur. Multa ſiunt propoſita, velleitates multæ ſunt, apparentiæ, & inchoationes nonnullæ, pauca verò comparent. Poſſet dici: *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* Apoc. 3. v. 2. Si comparationem vitæ Chriſti & noſtræ faciamus, inveniemus nos omninò elongatos, & remotiſſimos ab eo, quod debemus. Hoc S. Auguſtinus agnoſcens, verè nobis expreſſit: *Nemo ſe decipiat, fratres Chariſſimi*, ait, *nemo ſe falsâ ſpe circumveniat Chriſtiani nominis, non facit ſola dignitas Chriſtianum: Nihil prodeſt, quòd aliquis Chriſtianus vocatur in nomine, ſi hoc non oſtendit in opere.* Eſne de horum numero, in quibus relucet charitas, apparet humilitas, rerum omnium contemptus, patientia, quam Chriſtus nos docuit opere & ſermone, obedientia, cæteræque virtutes, verum Chriſtianum conſtituentes & ornantes reperiantur? Quomodo maximis, doctrinis, & Chriſti Salvatoris noſtri documentis, de humilitate, patientia, de abnegatione voluntatis propriæ, de obedientia, ſui abjectione, & hujuſmodi, quæ Salvator noſter Chriſtus, nos vitâ & doctrinâ docuit, inſiſtis? Fac vitæ tuæ, cum vitis infidelium, & omnis doctrinæ Chriſti, & Dei cognitionis deſtitutorum adjutoriis, comparationem. Nonne verum eſt, quòd invenies vitæ tuæ ad vitas infidelium, & eorum, qui ob ſua peccata, & demerita, non habent ſpem ſalutis, majorem affinitatem, quàm ad vitam Chriſti Jeſu? Confundaris coram Deo, & Salvatore tuo Jeſu Chriſto, qui tanti te fecit, & tu illum teterrimis peccatoribus, & hominibus ſceleratiſſimis poſtponis, illis malens per malitiam & impietatem aſſimilari, quàm Chriſto, per juſtitiam & charitatem? Noli gloriari de vana Chriſtiani nominis umbra, ſi nomini non conveniat vita. Unde benè Sanctus Tiburtius: *Virtus ipſa*, inquit, *ſancti nominis graviter fert & molestè, ſuum nomen à non ſuis amatoribus uſurpari.* T. burt. in actis ejus. *Non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraëlitæ, nec qui ſemen Abrahæ ſunt, omnes filii Abrahæ*, ait Apoſtolus, ad Romanos. Rom. 9. v. 6. 7. Et ibidem: *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Rom. 8. v. 9.

MEDITATIO XVI.

De ſanctitate Chriſtianorum, reſultante ex jam dictis de Baptiſmo.

I. Cur Chriſtiani in S. Scriptura Sancti dicantur.

II. Quid ſit ſanctitas, & in quo ſita ſit?

III. Poſſumus gratiâ DEI fieri ſancti.

Omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi, Eph. 1. v. 10.

Hic eſt ordinarius titulus, quem Apoſtolus in ſuis Epiſtolis dat Chriſtianis.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, ex omnibus, quæ in antecedentibus jam de Baptismo audivisti, non absque ratione S. Paulum appellare in suis Epistolis Christianos Sanctos, cùm ipsi sint per aquas, seu lavacrum Baptismi sanctificati; & homo per condignam hujus Sacramenti susceptionem, sanctissimè applicetur, dedicetur, & consecretur modo particulariori, medio charactere sanctitatis indelebili, qui ipsi virtute horum verborum imprimuntur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et elongatur ab omni profano mundi hujus usu, soli inposterum divino cultui & honori applicandus & consecrandus. Sic ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut hæreditas nostra sit,* inquit S. Joannes, *cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo.* Si ita sit, ut reverà est; quòd corpus tuum, & anima tua sint illâ ratione Deo per Baptismum dedicata & consecrata: quo ergò respectu, quâ circumspectione & modestiâ iisdem tibi utendum est? Si nemo, quantumvis magnus & potens, res sacras, sacris ritibus & cultibus divinis consecratas (cujusmodi sunt calices, vestimenta sacerdotalia, & hujusmodi) transferre ad usus profanos, sine conscientia summi sacrilegii, non audet. Quomodo in posterum audebis te aliis dare occupationibus, quàm in ordine ad cultum & interesse Dei? *An nescitis,* inquit Apostolus, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo. Et, nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membrum Christi, faciam membrum meretricis?* Doleas toties te sanctum hoc templum profanâsse. Proponas de futuro omnem adhibere conatum & diligentiam ad te sanctificandum, ne seducaris abusu plurimorum, qui Chimeras sibi imaginantur, dum de sanctitate cum illis quis tractat.

Eph. 5. v. 25. & 26.

1. Joan. 1. v. 3.

1. Cor. 6. v. 19.

v. 15.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, in quo præcisè sanctitas consistat. Sanctitas in generali duo importat. Primò, exemptionem ab omni peccato, & secundò importat omnium aggregationem virtutum. Hæc Propheta complexus duobus hisce verbis: *Declina à malo, & fac bonum.* Psal. 36. v. 27. Hæc verba omnes comprehendunt synopticè leges divinas & humanas, cùm leges universæ in eo sitæ sint, ut malum prohibeant, & præcipiant bonum. *In his* porrò *duobus universa Lex pendet & Prophetæ.* Matt. 22. v. 40. Ita, ut cùm dicitur, Christianum sanctum esse oportere; intelligitur, debere illum omnia peccata, peccatorumque occasiones fugere, vel minimas, & omne facere bonum, ad quod sui status conditio eum obligat. *Hoc fac,* inquit Christus, *& vives. Odite malum,* ait Amos Propheta, *& diligite bonum.* Luc. 10. v. 28. Amos 5. v. 18 Et Psalm. 7. ait: *Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Psal. 33. v. 15. Quibus subscribit Apostolus: *Odientes,* inquit, *malum, adhærentes bono: Hoc est perfectè,* Rom. 12. v. 9. ut evacuatione omnis mali & peccati, succedat repletio omnis boni & virtutis, quo sensu omnes Christianos sanctos vocat Apostolus: *Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis,* Rom. 1. v. 7.

gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo, insinuans, ut in veritate est, illos habere, quòd sancti sint & electi à Deo, non à se, vel ex se, ut demonstrabitur.

PUNCTUM III.

Considera tertio, quòd Deus te in Baptismi susceptione obligans sanctè vivere, sese pariter obligaverit suas tibi communicare gratias, toties, quoties his opus habueris, ex parte tua nisi defueris, eas non recipiens oblatas, vel non requirens, ut offerantur. Ob hoc Christus mortuus est, ut gratiâ ejus vel ultroneè oblatâ, vel deprecatoriè impetratâ adjutus Christo vivas, mortuus peccato. Lauda ergò Deum, cum gratiarum actione salutem tuam in manibus arbitrii constituisse, dum ait: *Petite, & accipietis. Ego dico vobis*, inquit Christus, *petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & pulsanti aperietur*. In tua ergò potestate salus tua sita est, quia nunquam tibi gratia deest, illi oblatæ si cooperatus fueris, vel ubi te illa egere intellexeris, eam humili requisieris oratione. Quia verum est, quod veritas promisit: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis.* Ex quo transeunter ponderes, quantæ virtutis sit oratio, ut unicum illa sit medium, gratias è cœlo impetrandi, quæ vivere nos faciunt sanctitati, & vocationi nostræ conformiter. *Elegit enim nos Deus ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.*

Luc. 11. v. 9.

Marc. 11.

Ephe. 1. v. 4.

2. Cor. 3. v. 5.

MEDITATIO XVII.

Unicum malum à Christiano fugiendum.

I. Christiani vi Baptismi suscepti, obligati sunt fugere omne peccatum.

II. Et omnes peccandi occasiones.

III. Vel minimas suspiciones, vel apparentias mali evitare debent.

Mortui sumus peccato, Rom. 6. v. 2.

Si verum est, quòd per Baptismum sumus mortui peccato, ut loquitur Apostolus, *nihil est, quod oporteat nos magis fugere, quàm peccatum.*

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd primus Christianæ sanctitatis gradus, juxta Meditationis præcedentis deductam materiam, sit fugere malum; hoc est, omne peccati genus, quod omni diligentiâ, & curâ possibili evitare debes, si veri Christiani nota gaudere velis.

Primò, quia peccatum est unicum impedimentum in hoc mundo, quò minùs tuum possis attingere finem, & ex consequenti nostræ hujus & futuræ vitæ, beatitudinis exclusivum. Illi ergò in Baptismo renuntiâsti, & promisisti nullum unquam in animam tuam illi ingressum à te permittendum. *Ab omni peccato abstinere*. Ita docebat Tobias filium suum ab infantia. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus*, ait Apostolus, *in illo?* Et cap. 6. ait: *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo. Non regnet ergò peccatum in vestro mortali corpore*. Proptereà jubemur dicere: *Abrenuntio tibi Sathana, ne ampliùs ad ipsum revertamur.*

Tob. 1. v. 10.

Rom. 6. v. 1.

Hom. ad Populum. *mur.* Ut ait S. Chrysostomus: *Qui enim faciunt peccatum*, ait Archan- Tob 12.v.10. gelus Raphaël, *hostes sunt animæ suæ.*

Secundò, quia peccatum est velut nubes impediens radios lucis divinarum gratiarum, desuper à sole justitiæ emittendarum, sine quibus salutem operari non possumus, juxtà il- Thren.3.v.44. lud: *Opposuisti nubem tibi, transeat oratio.* Hoc est, peccatum. Hanc ob causam immergebantur baptizandi totaliter in aquas Baptismi, quo totaliter purificati, & peccato mortui, secundùm Apostoli doctrinam ostendebantur, ac ita nullum ulterius habituri cum peccato commercium, sicut mors nullam cum vita communicationem habet, aut habere potest. Ita Baptizatus non debet pati peccatum ulteriùs regnare super se, non aliter, Rom.6.v.9. ac *Christus Jesus semel resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur, consepulti enim sumus cum Christo per Baptismum in mortem, ergò, mortui peccato.* Quid sit autem esse peccato mortuum, ex- Lib.2. de vita. pressit optimè S. Prosper: *Quid est peccato mori?* ait, *nisi damnandis operibus omninò non vivere, nihil concu-* Act.10. *piscere carnaliter, nihil ambire? Ut sicut qui mortuus est carne, nulli jam detrahit, nullum adversatur aut despicit, &c. Ita & his, & talibus vitiis omninò non vivunt, qui viventes Deo, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigunt.*

PUNCTUM II.

Considera secundò, non satis esse, omni renuntiare peccato, & nullam habere voluntatem, ullum unquam committendi aut admittendi peccatum. Verùm ad ostendendum illius in nobis horrorem & detestationem, oportet ad hoc eâdem diligentiâ fugere & elongare se à minimis etiam occasionibus, quantum fieri potest; quibus induci vel allici quimus ad casum in aliquod peccatum. Ad hoc monet nos Christus in Evangelio: *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te. Si oculus tuus scandalizat te*, qui una ex partibus magis necessariis viventis, *erue eum, & projice abs te.* Si tamen alicui sit occasio peccandi, præstat illo carere, quàm cum eo peccare, & mitti in gehennam. Non duntaxat ergò peccatum omni diligentiâ vitandum, sed & omnes ejus occasiones eâdem solicitudine fugiendæ sunt; quia qui amat periculum, peribit in eo, &c. *Accipe vestem*, inquit S. Ambrosius, *candidam, sanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi sine macula, ut habeas vitam æternam. Accepisti vestimenta candida, ut esset indicium, quòd exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina. Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum, ut, cùm Dominus ad judicium venerit, possis ei occurrere.*

Math.18.v.8.

Eccl.16.

Lib. de his qui initiantur. cap.7.

PUN-

PUNCTUM III.

Considera tertiò, quòd horror, quem Christianum habere oportet, peccati, se ulteriùs adhuc extendat, juxtà intentionem S. Apostoli, qui non contentus, quòd peccatum, ejusque occasiones qualescunque, omni evitentur sollicitudine: Verùm vult vitam Christiani ita puram & elongatam à macula peccati, ut umbra & suspicio vel minima, aut etiam apparens tantùm incutiat illi timorem, ut sibi præcaveat omni in occasione, vel occurrentia. Ideò ad hoc adhortans Thessalonicenses: *Ab omni*, ait, *specie mala abstinete vos.* Et hanc ob causam ad hanc omnimodam puritatem denotandam. Baptizati, continuò suscepto Baptismate, candidâ induuntur veste, cereo albo ardente illis porrecto, monentur, se jam lumine fidei illuminatos, & stolâ indutos innocentiæ, & errorum tenebras evitare, & calles rectitudinis & justitiæ observare. Sicne usque ad præsens, usque ad hoc minutum durationis ambulâsti? Nullisne unquam errorum tenebris involutus, à veritate deviâsti? Semitasne æquitatis, justitiæ, & pietatis semper tenuisti? Ut nulli unquam succumbendi occasioni cesseris. Pondera maturè, & debitâ maturitate, Christianum decente, ambula. Quia *Dominus cognovit, qui sunt ejus, descendat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini.* Apostolo hortante & rogante.

1. Thess. 5. v. 22.

2. Tim. 2. v. 19.

De gravitate peccati.

MEDITATIO XVIII.

De gravitate peccati ex ejus natura.

I. Peccatum nihil est.

II. Summum malum excogitabile.

Sine ipso factum est nihil, id est, peccatum.

Cum primus Christianismi passus seu gressus sit renunciatio peccati, ejus gravitas nequit satis cōsiderari, aut exaggerari, ut debitus illius horror, & justus timor omnibus ita imprimatur, ut apud neminem locum inveniat, cum sit subjecti proprii corruptio, quam refugit omne quod est.

PUNCTUM I.

Considera primò, quàm sit peccatum grave, horribile, & detestabile, ejus naturam & essentiam, ut in se est, si intuitus fueris, est purum nihil, rectitudinis privatio, efficientiæ carentia, deficientia, & defectus essentialiter: Et consequenter illud, qui committit & perpetrat minùs nihilo juxtà hanc Apostoli regulam. *A quo quis* superatus est, hujus & servus est. Superaris à peccato, es ergò peccati mancipium, subjectus peccato, peccato minùs, minùs nihilo, cùm peccatum sit nihil essentialiter. Quod expressit S. Augustinus: *Malum itaque nihil, quia sine ipso factum est nihil.* Huic consentit D. Thomas, definiens peccatum: *Quod sit aversio ab incommutabili bono, &* inordinata conversio ad commutabile. Et Ecclesiasticus: *Initium superbiæ hominis defectio à Deo, seu apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. Cum videritis abominationem desolationis*, id est, peccatum, *stantem in loco sancto*: Id est, in anima, quæ sedes est Spiritus Sancti, *erit*

Solilog. c. 8.

Thom. 1. 2. q. 24. art. 4.

Eccl. 10. v. 14.

Malach. 24. erit tunc tribulatio magna. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum, quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas: Plaga illius non est sanitas. Eccl. 4.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd peccatum sit maximum, quod esse potest, aut imaginari, seu concipi. Hoc est dicere, quod sit majus malum, quàm omnes pœnæ hujus & futuræ vitæ, aut quæ à Deo adinveniri, produci, & infligi in omni æternitate possent. Hujus evidens est ratio: Omnia hæc mala pœnæ privant duntaxat possessione boni finiti, v. g. honoris, divitiarum, sanitatis, vitæ, & similium: At peccatum privat infiniti boni, quod est Deus, possessione æterna. Deinde pœnæ in se bonæ sunt à Deo productæ & causatæ, juxtà illud Prophetæ: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus?* Et Ecclesiastici: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo.* Ea de causa Christus se pœnis subjecit voluntariè, illas in propria persona patiens, at peccato se nullo modo subjicere potuit, quia peccare non potuit: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Deus porrò non potest esse author mali aut peccati: *Malorum enim omnium nostrorum causa est peccatum*, ut ait S. Aug. Pœnæ malum est justum rationabile à Deo ad suam justitiam ostendendam, ordinatum. Peccatum verò essentialiter, rationi, justitiæ, æquitati, & rectæ ordinationi contrariatur; quia in se nihil aliud est, quàm omnium creaturarum deordinatio, ruina, eversio, & annullatio, quantum in se est: Ita ut Deus omni suâ potentiâ homini non posset tantum inferre malũ, quantũ homo sibi ipsi peccando infert. Eheu à tanto tempore, à quo tàm liberè & malitiosè Deum offendimus, hujusne eramus nescii? Peccatores, qui bibunt iniquitatem quasi aquam, ignorantne quantum sibi inferunt malum? *Utinam intelligerent!* quia servi fiunt peccati & nihili: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Quod intelligens Psalmista, fatetur se peccando factum nihil: *Ad nihilum redactus, & nescivi.* Ita peccator desipiens peccando fit nihil, & nihilo minus.

Amos 3. v. 6.
Eccl. 14. v. 11
1. Petr. 2. v. 22.
Deut. 32. v. 29.
Ioan. 8. v. 34.
Psal. 72. v. 22.

MEDITATIO XIX.

De gravitate peccati præcisè ex parte Dei.

I. Cur peccatum appellatur inimicus capitalis Dei.
II. Injuria, quam infert Deo.
III. Provenit, quòd unum plus displiceat, quàm omnia bona opera, quæ fieri possent, illi placeant.

Odio est Deo impius, & impietas ejus, Sap. 14. v. 9.

PUNCTUM I.

COnsidera secundò, quòd peccatum sit Dei inimicus capitalis, quia est offensa, læsio, & oppugnatio suæ divinæ majestatis, illi contrariatur in se, & in omnibus, in quibus potest, oppugnat illam in suo esse divinitatis proprio intendens illud esse infinitum, illa divinitatis abyssus, & pelagus hominis boni, si possibile foret illud destruere & annullare. Unde peccatum dicitur annihilatio Dei, & divinitatis destructio. Omnes divinas lædit & oppugnat perfectiones. Divinam bonitatem & pulchri-

pulchritudinem, quâ Deus est infinitè amabilis, exponit, velut omni indignas amore,& odio dignissimas, ejus liberalitate ingratitudine prodigiosâ abutitur, ut malum referat pro bono. Sapientiam ejus omninò contemnit, pulcherrimum suæ providentiæ perturbans, & quantum potest, evertens. Et meritò dicitur ob peccatum hominum Deus
Gen. 6. v. 6. *tactus dolore cordis intrinsecus. Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.*
Prov. 15. v. 9. *Abominatio est Domino via impii. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte*
Exod. 21. v. 17. *moriatur. Maledictus, qui non honorat*
Deut. 27. v. 16. *patrem suum & matrem, & dicet omnis populus, Amen. Nunquid non ipse est Pa-*
Deut. 32. v. 6. *ter tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te.*

PUNCTUM II.

Considera secundò, quanta fiat Deo per peccatum injuria, & quàm sit sensibilis illi dura & gravis, quippe conjuncta summo contemptui, quem habet peccator omnium divinarum ordinationum, legum, & præceptorum, qui redundat, & pertingit usque ad infinitum esse excellentiæ divinæ, qui contemptus eò est gravior, quòd ille peccatorem moveat, & impellat suas committere malitias, & nequitias exercere, non duntaxat contra Deum, sed & in conspectu Dei, Deo præsente & vidente ante oculos ejus. Ex quo conqueritur
Psal. 34. v. 16. meritò apud Psalmistam: *Subsannaverunt me subsannatione.* Quasi diceret, me summâ afficientes injuriâ, malitiosè contra me, coram me peccando summo contemptu contempserunt me, vel quasi impotentem, se vindicare non valentem, vel quasi ignorantem, & cœcum illorum malitiam non videntem, vel quasi injustum, iniquitatem & summam injustitiam approbantem. *Filios exaltavi & enutrivi, ipsi autem spreverunt me.* Isa. 1. v. 2. Justa de causa reprehendit ideò Davidem Regem per Prophetam Deus. *Quare contempsisti verbum meum, ut faceres malum in conspectu meo.* 2. Reg. 12. v. 9. De peccatoribus loquens Apostolus: *Rursum, ait, crucifigentes sibimetipsis Christum, & ostentui habentes.* Si ita est, ut reverà est, hoc monstrum peccati horribile, nunquid dignum est, ut illud summè detestemur? Illud horreamus magis, quàm omnia mundi mala? Ita haud dubiè est, & esse debet. Cùm illud unicum malum Deo plus inferat mali, & displiceat magis, quàm omnia opera bona unquam facta, futura, aut possibilia simul illi placeant, aut placere queant; omnem illi licèt deferant honorem & gloriam debitam.

PUNCTUM III.

Hanc consecutionem ultimam maturè considera, & pondera accuratè. Si in bilance ex parte una poneretur injuria, quam unum solum peccatum Deo irrogat; & ex altera omnia bona opera, quæ fecerunt, faciunt, & durante totâ æternitate facient, & facere possent omnes puræ creaturæ, etiam possibiles, injuria hæc unius peccati Deo facta, præponderaret illis omnium creaturarum, etiam possibilium bonis, operibus. Hisce omnibus ita consideratis & perspectis, quis tantæ inveniretur dementiæ, qui vel unum peccatum præmeditatè committeret? Vel quis sciens, & volens summum bonum postponere caducæ & transvolubili voluptatulæ?

Deo uteretur, & creatura frueretur, Deum volens non esse Deum? *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus vehementer desolamini, duo enim mala fecit*, inquit Deus per Prophetam, *populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Ita ipse Deus per suum Prophetam de hominibus malis, & peccatoribus conqueritur, quòd se contemnant, derelinquant, & postponant creaturis vilissimis. *Quid invenerunt Patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt?* Ita dignatur Deus monere peccatores, ut redeant ad cor, & convertantur. Non potuit pati Rex Assuerus Aman super lectulum Reginæ Esther corruisse, ut eam pro anima sua deprecaretur. *Etiam me præsente, ait, Reginam vult opprimere?* Et Deus patietur se ab homine contemni, & cuilibet vilissimæ creaturæ postponi? *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Quasi diceret, nullus, cùm talis peccans in Deum ex malitia, sit Deo odibilis, & omni indignus venia. Quod apprehendebat Jeremias, dum ajebat: *Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.*

Jer. 2. v. 12. Jer. 2. v. 5. Esth. 7. v. 8. 1. Reg. 2. v. 25.

MEDITATIO XX.

De gravitate peccati, desumpta ex beneficio Redemptionis.

I. Emphasis in his reperta verbis: Sic Deus dilexit mundum.

II. Summa Dei bonitas, Dei præferens reparationem hominum, reparationem angelorum.

III. Quis illos tantis tormentis susceptis redemerit.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, Joan. 3. v. 16.

Eousque amavit Deus hominem, ut pro ejus redemptione unicum in mortem traderet filium.

PUNCTUM I.

Considera, & recogita benè hæc verba: Sic Deus dilexit mundum, &c. Deus infinitæ majestatis, bonorum nostrorum non egens, nobis dedit abjectissimis terræ vermiculis, nullo nostro exigente merito, sed immeritissimis & indignissimis, dedit, dico; non locavit, non vendidit, non commodavit, dedit non ad diem, non ad annum, non ad mille annos, sed ad semper, ad omnem æternitatem dedit filium suum naturalem, dedit, quod sibi charissimum erat, unigenitum suum sibi æqualem in divinitate, verum Deum sibi consubstantialem, dedit, quo majus, melius, aut utilius nobis dare non poterat, dedit ex pura dilectione, misericordia, & charitate, non ex necessitate aut obligatione. *Sic*, ait Evangelista, *Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret.* Sed ad quid? Dedit, ut nos redimeret, lavaret à peccatis nostris in sanguine suo; dedit, ut nos liberaret ab omni malo, ut eriperet ab omni periculo; dedit, ut *omnis, qui credit in ipsum, habeat vitam æternam, non enim misit filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

Voluit salvari per ipsum, mundum; eo fine dedit. Hoc prænunciaverat per Prophetam: *Propter scelus populi mei,* ait, *percussi eum.* Hæc verba profundiùs considerans, exclamat S. Augustinus in suis meditationibus: *Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti, amantissime juvenis, ut adeò durè tractareris? Quod scelus tuū? Quæ noxa tua? Quæ causa mortis? Quæ occasio tuæ damnationis? Ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis, ego sum tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, peccat iniquus, & punitur justus, delinquit reus, vapulat innocens, quod meretur malus, patitur bonus.* Hisce præmemoratis piè recogitatis, essetne adhuc tibi animus te mancipare peccato, diabolo subjicere, & tàm pretiosum donum, tibi à Deo in salutem & sanctitatem datum, contemnere?

PUNCTUM II.

Considera secundò, Angeli licèt æquè redemtione eguissent ac homines in Dei offensa reperti æqualiter, placuit Deo nihilominùs, suâ purâ bonitate & misericordiâ, in eo homines præferre illis, ut à suis liberarentur peccatis, & sublevarentur miseriis, Redemptorem & Salvatorem mittens, non Angelis, quos omni exutos remedio & adjutorio pœnis addixit ęternis ignis ęternalis cremandos æternaliter, hominibus solâ suâ bonitate & misericordiâ exceptis, merito Mediatoris Christi Jesu, testimonio Apostolico. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. Quid Deo, ô anima mea, præstitisti, qui tanti te fecit? Qui sic te amavit? Quid, tui eguit? Te ne illi obligatum reputas? Cogita: Illi ne aliquid tribuisti, & ideò retribuerit tibi? Quid ergò illi tribuisti, qui sine illo nec esse habuisti? Illi ergò, si nihil habuisti, & omnia ab illo accepisti, quas illi gratiarum actiones reddere obligaris? Quas referre laudes? Quos exhibere amores? Totam te illi tribue, tota illi illius adjutorio manens, & te totam sibi reservabit.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, Filium Dei potuisse te redemisse unâ vel minimâ ex sacris & sanctissimis actionibus suis, voluit tamen in testimonium suæ immensæ in te dilectionis, redemptionem suis summis anteponere tormentis, doloribus, pœnis & cruciatibus, quæ volens & lubens assumpsit, & pertulit usque ad mortem infamis ligni: *Factus pro nobis,* juxtà Apostolum, *maledictum.* Quia scriptum est in Deuteronomio: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Gal. 3. v. 13. *Factus maledictum, ut nos redimeret de maledicto Legis.* Pœnas, quas debebamus, ipse voluntariè, ut nos illis liberaret, passus. *Oblatus est, quia ipse voluit,* Isa. 53. v. 7. non quia debuit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quo innotescit, quanto odio Deus persequatur peccatum, quod tolli non potuit, nisi unigeniti Filii sui morte ignominiosissimâ, comitata tormentis & cruciatibus acerbissimis. Potesne ô anima mea, hæc seriò recogitare, & non præ dolore mori? Quòd peccatis tuis causa fueris tàm dolorosæ & ignominiosæ mortis Filii Dei? Quid facies? Iterumne peccabis? Iterumne Christum ad mortem damnabis? Iterumne

Christum ad mortem damnabis? Iterumne Christum crucifiges? Quid hic resolves in medio positus, traheris ad peccatum, & Christus ad crucis patibulum, propter peccatum tuum? Tunc eò impietatis, vesaniæ & reprobationis adduci adhuc poteris, ut unquam consentias in peccatum? Ob quod è medio tollendum Christus consensit, & voluit appendi, & mori ad patibulum? Nullone ampliùs traheris sensu humanitatis? Resipisce, resipisce. Parce agno innocentissimo, toties à te crucifixo, & meritò conquerente apud Prophetam: *Popule meus, quid feci tibi? Aut quid molestus fui? Responde mihi.* Cur toties ad mortem damnor? Cur tot reiteratis vibibus crucifigor? Cur reiteratis peccata? *Rursum crucifigentes vobismetipsis Filium Dei, & obtentui habentes?*

Mich. 6. v. 3.

Hebr. 6. v. 6.

MEDITATIO XXI.

De gravitate peccati, præcisè ex parte hominis.

I. Quis offendit.
II. Dependentia hominis ad Deum pro tempore quo offendit.
III. Indignitas & vilitas objecti, ob quod offendit.

Væ qui contradicit factori suo, Isa. 45. v. 9.

Maledictus ille, qui in conspectu meæ majestatis infinitæ, ut lutum in manu figuli, sese mihi opponit.

CONsidera primò, majorem ut percipias peccati horrorem & abominationem, quà Christianus es, & nomine gaudes Christiano, quæ sit persona, quæ offendit, & quanta? Illa homo est, terræ vermiculus, cujus conceptio peccatum est, & impuritas; nativitas lachrymæ, & debilitas; vita miseria & iniquitas; mors corruptio, putredo, & abominatio. Tu es illa persona. Sed quid es, sive quò ad corpus, sive quò ad animam, sive quò ad scientiam, sive quò ad virtutem? Te si seriò examinaveris, & intimiùs introspexeris, invenies tuam in Apocalypsi genuinam definitionem; quia reverà: *Nudus es, & cæcus, & pauper, & miser, & miserabilis. Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater Cethæa, & quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, &c.* Cùm ergò sis ita vilis, abjectus, despicabilis, & in omnibus defectibilis ac egens, quomodo aggredi audebis oppugnare, offendere, vel uno irritare peccato, eum, in conspectu cujus ipsum universum, & rerum omnium immensitas nihil est? Poteritne hujusmodi insolentia venire in mentem aut cogitationem hominis? *Homo sicut fœnum,* ait Psalmista, *dies ejus tanquam flos agri, sic efflorebit, quoniam spiritus transibit in illo, & non subsistet.* Huic consentiens per omnia Sapiens: *Umbræ,* inquit, *transitus est tempus nostrum.* Quæ ponderans accuratiùs Blesensis: *Unde potest,* ait, *obrepere misero homini elationis occasio, qui de immundo conceptus est semine, & iterum immundissimus pulvis fiet?* Quidam sic quærenti à quodam Philosopho: Quid fui, quid sum, & quid ero? legitur respondisse: *Vile sperma, saccus stercorum, cibus vermium.* Et hic eum offendere audebit: *Coram quo omnes gentes sunt quasi non sint, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt.*

Apoc. 3. v. 17.

Ezech. 16. 3.

Psal. 102. v. 15.

Sap. 2. v. 5.

Cap. 2. in Iob.

PUNCTUM II.

Considera secundò dependentiam necessariam & absolutam hominis ad Deum, à qua homo dependet in esse & conservari, in operari, & in omnibus motibus, actionibus, & omissionibus suis, etiam dum peccat, & Deum offendit, ab eo dependet, ita ut illâ desinente dependentiâ, & ipse homo esse desineret. Quæ, cogita, foret dementia, si quis uno filo super præcipitium ab alio suspensus teneretur, conservatus à casu, quo infallibiliter in mille divideretur & discerperetur partes, si ille exclusâ sui extremi periculi consideratione, suum sustentatorem & conservatorem contemneret, omnibus afficiens injuriis, illi etiam in faciem spueret, eumque omnibus devoveret diris? Non nobis sufficiunt nomina satis expressiva furiosæ cæcitatis, & amentiæ inexcogitabilis. Hoc nihilominùs facit homo omnis, qui Deum offendit. O quantus furor! O amentia indicibilis! *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est,* inquit Moyses, *quia provocaverunt eum filii sui & filiæ.* De eo conqueritur Apostolus meritò: *Vt quid,* inquit, *periclitamur omni horâ.*

Deut. 32. v. 19.

1. Cor. 15. v. 30.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, sed cur velles Deum tuum offendere pro evanescente honoris fumo, pro vili voluptate, pro exili bono? *Propter pusillum hordei,* ait Dominus per Prophetam, *violabant me.* Si foret in gratiam alterius Dei, æquè honorabilis, æquè potentis, & boni, ac ille, qui per peccatum contemnitur. Si ad acquirendum unum paradisum æquè gloriosum, æquè omnibus delitiis & voluptatibus affluentem, & omnibus æquè abundantem bonis, hominem quietantibus, sicut ille, quem quis peccando amittit, nullo carebit bono, quo quis delectari & gaudere desiderabit, foret veniæ & excusationis locus. At ratione materię tàm exilis, subjecti tàm vilis, ratione nihili sibi injuriam inexplicabilem ipse homo faciens, Deum suis irritat peccatis, se bonis privans æternis. Id nimis indignum est, & excusationis causam prætendere nequit; id veniæ locum non habet. Verè juxtà Petrum Chysologum, momentaneum est, quod delectat. Verè hisce transitoriis inhians dicere potest: Gustans gustavi paululùm mellis, *& ecce morior. Habet,* ait Boëtius, *omnis hoc voluptas; ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit icta corda morsu.* Ut tandem audire debeat illud Prophetæ: *Dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam civitatis, despiciens, ut viam perditionis teneres.* Ier. 2. v. 17.

MEDITATIO XXII.

De effectibus peccati.

I. Peccatum hominem maculat.
II. Privat eum amicitia Dei.
III. Facit ipsum mancipium diaboli.

Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, & egressus est à filia Sion omnis decor ejus, Thren. 4. v. 1. 16.

Anima hæc pulcherrima suo privata est splendore, vivus ejus color evanuit, filia Sion suo destituta decore, facta est desolata, aspectu horrenda, & despecta.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, omnia mala ex peccato provenire, eaque gravissima: Primò animam maculat, illam extremè deformat, spoliat omni gratiarum decore, omni privat pulchritudine, totaliter deturpat, omni replet spurcitiâ & turpitudine. Id optimè nobis declarat per lepram, quæ est morbus fœdus & abominabilis, infamis, qui totum deformat hominem, facitque monstrum terribile & horribile visu. Nullum enim corpus, quantumvis putridum, quantumvis deturpatum, quantumvis sanie & ulceribus repletum, quantumvis fœtens, leprâ corrosum, & aspectu horribile, venire potest ullo modo in comparationem, cum deformitate, fœditate, abominatione, & horrore, quem inducit & causat peccatum in peccatoribus. *Denigrata,* ait Propheta, *est facies, super carbones facies eorum. Ambulabunt ut cœci, quia Domino peccaverunt.* *Ecce, quomodo,* inquit S. Bernardus, *de grege facta est creatura egregia. Heu tristis & lachrymosa ejulatio!* Hic habet locum illud Ezechielis: *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, & perfectus decore, donec inventa est iniquitas in te.*

Thren. 4. — Soph. 1. v. 17. — S. Bern. serm. 95. in Cant. — Ezech. 28. v. 12. & 18.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò alterum peccati effectum, quo excidimus è numero civium sanctorum, & domesticorum Dei, quo dilectionem & Dei amicitiam perdimus, quo inimici Dei constituimur. Ruina & perditio omnem excedens humanam capacitatem & intelligentiam, ejus ut vel umbra apprehendatur. Oculos mentis aperiamus, quanti mortales Regum & Principum terræ gratiam & amicitiam faciant, & quàm hujus privatio iis sit sensibilis, dura, & insupportabilis. Eoque modo nobis honorabiles filiorum Dei eripiuntur virtutes, dotes eximiæ, & qualitates specialiores. Unde & consueta divini favoris subtrahuntur blandimenta, benevolentiæ, cura particularis, & gratiæ, adjunctis omnibus filiorum Dei charismatum appendicibus. Hoc testatus est per Prophetam: *Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. Omnis porrò, qui peccat, non venit ad eum.* Rationem hujus reddit S. Bernardus: *Qui gloriâ & honore coronatus erat, & constitutus super opera plasmatoris (magis autem ob hoc insigne præcellebat divinæ similitudinis) mutavit istam gloriam Dei, in similitudinem vituli comedentis fœnum. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* Cogita, quanta sit ruina, Deum amittere, formidabilior comminatio, quam Deus fecit unquam Judæis, fuit, dum dixit: *Væ cùm recessero ab eis!*

Isa. 59. v. 2. — 1. Ioan. 3. v. 6. — Serm. 35. in Cant. — Isa. 14. v. 12. — Os 9. v. 12.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, quòd peccatum, expulso Deo è domicilio animæ nostræ, illam in imum summæ infamiæ præcipitaverit, eam faciens servum & mancipium diaboli, immò, & ipsum diabolum. Quia ille, qui adhæret Deo, fit unus spiritus cum Deo, testimonio Apostoli: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Ita & qui adhæret diabolo, unus est cum diabolo Spiritu nequam, vilis, turpis, defectuosus, infamis, in malum continuò inclinans, juxtà illud Christi ad Judæos: *Vos ex patre*

1. Cor. 6. v. 17. — Ioan. 8. v. 44.

tre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Et suis loquens Apostolis, non alio modo designavit suum proditorem, & filium perditionis, Judam, quàm eum diabolum nuncupando: *Nonne ego vos elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Quo sensu filii Heli vocantur filii Belial. Huc perversi Dominum ignorantes & contemnentes. Cogita modò qualem rigorem, severitatem, & tyrannidem exerceat diabolus in animam sibi mancipatam, qualiter exerceat illas, quarum est Dominus ob culpam, quas illis inferet pœnas, conjecturare ex illis, quas infert corporibus, quæ possidet, quomodo illa dilacerat, præcipitat, torquet, deturpat, & mille ignominiis, & tormentis afficit? Quibus meritò Dominus per Prophetam minatur: *Væ*, ait, *eis*, *quoniam recesserunt à me!* Væ eis, quia vastabuntur, quia affligentur, quia usque ad supremum desolabuntur, ab imo ad summum usque replebuntur ruinis, cruciatibus & tormentis indicibilibus.

Ioan. 6. v. 7.
1. Reg. 2. v. 12.
Os. 7. v. 13.

MEDITATIO XXIII.

De aliis peccati effectibus.

I. Peccatum spoliat animam omnibus spiritualibus.

II. Illam etiam privat bonis externis & temporalibus.

III. Illam occidit.

Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum. Thren. 2. v. 19.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quòd peccatum spoliet animam bonis omnibus, & ad extremam redigit paupertatem: Quia per peccatum amittit anima gratiam Dei, charitatem Dei & proximi, perdit & omnia Spiritus S. dona, ac omnes virtutes supernaturales, quæ inseparabiliter charitatem velut suam Reginam comitantur. Amittit omne per peccatum jus, quod habebat ad cœlum possidendum, ad Deum videndum, & ad beatitudinem æternam sperandam. Privatur per peccatum anima communicatione suffragiorum Ecclesiæ, & participatione omnium bonorum operum justorum. Destituitur per peccatum pace & quiete conscientiæ, omnibus meritis ac fructibus bonorum operum, omnium laborum mercede spoliatur. Remuneratione omnium confessionum, communionum, jejuniorum, eleemosynarum, & omnium aliorum bonorum operum utilitate & commodo remanet per unum peccatum vacua. Ita ut si viginti, quadraginta, aut sexaginta annorum decursu sanctissimè vixisset continuò (hoc maturè considera,) ac quovis momento vitæ exercuisset heroicos omnium virtutum actus, aggregans sibi gratias super gratias, & divitias super divitias, etiam usque ad summum perfectionis gradum attingens, unico mortalis peccati casu horum omnium naufragium faceret, & damnabit animam, quoniam verum est verbum Domini: *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hosti sunt animæ suæ. Vivo ego,* dicit Dominus, *quia si fuerit Jechonias filius Joachim Regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Apertiùs id in Ezechiele invenimus: *Si averterit,* inquit, *se justus à justitia sua, en omnes justitiæ ejus, quas fecerit,* Tob. 12. v. 10. Ier. 22. v. 24. Ezech. 18. v. 24.

non

non recordabuntur. Et alio in loco apud eundem: *Justitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit.* Etibidem v.18. *Cum recesserit justus à justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis.* Quo spiritu Sapiens eructans sapientiam: *Justitia*, inquit, *elevet gentem, miseros autem facit populos peccatum.* Quod expressiùs insinuans Jeremias Propheta, ait: *Posuisti terram in fornicationibus suis, & in malis suis: Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, & serotinus imber non fuit.* Cui Ecclesiasticus omninò consonans, ait: *Regnum à gente in gentem transfertur, propter injustitias & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Si ita timeatur vel modicum pecuniæ amitti, vel minutum honoris & reputationis transvolubilis & phantasticæ deperdi. Non æstimabitur tot privari bonis, & tantis veris spoliari honoribus, pariter & divitiis nudari æternis?

Ezech.33.v.12.

Prov.14.v.34

Jer.3.v.2.& 3.

Eccl.10.v.8.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd peccatum non spoliet tantùm internis, & æternis, sed & bonis exterioribus, & temporalibus, non honoribus solùm sempiternis & cœlestibus privet, sed & terrenis & transitoriis. Ita hæc unversa mala Prophetæ, seu potiùs Deus per Prophetas, peccato soli imputat & attribuit. Ita siccitates, sterilitates, pestilentiæ, & fames, angustiæ, & desperationes, & omne malum, quod hominibus in hac vita mortali evenit, peccato soli habent imputare. Hoc Sapiens probè intellexit, dum justitiæ & virtuti soli, gentium & populorum felicitatem, potentiam, rerum omnium & bonorum abundantiam, quietem & pacem, ac omnem attribuit prosperitatem: Ruinas verò, infortunia, depressiones, & populorum ac gentium eversiones, & adversitates mortalium universas, soli peccato & injustitiæ attribuit: *Justitia*, inquit, *elevat gentem, miseros autem populos facit peccatum.* Tandem Apostolus causam mortis facit solum peccatum: *Per unum hominem*, ait, *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Si ergò peccatum primi hominis sit ipso facto causa mortis, mirum non erit, si cujusvis particularis peccatum, illi, à quo committitur, mortem acceleret, & vitam abbreviet. Salamon, omnium sapientissimus, illud non ignoravit: *Anni*, ait, *impiorum breviabuntur.* Nec Job præterivit, dum ait: *Sublati sunt ante tempus.* Ecclesiasticus edicit expressiùs: *Mors*, ait, *sanguis, contentio & romphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella, super iniquos creata sunt hæc omnia.* Ergò & peccatum, & iniquitas causa sunt, cur mala omnia creata accidant, quia si peccatum nullum fuisset, aut iniquitas, malum omninò nullum evenisset.

Rom.5.v.12.

Prov.10.v.27.

Job.2.v.16.

Eccl.40.v.9.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, peccatum nondum in hisce præmemoratis malis quiescere, funestiorem, perniciosiorem, & pestilentiorem habet effectum, non contentum, animam miseram delinquentis omnibus spoliare bonis, & replere malis; verùm illi ipsam vitam adimit, illam occidit: *Anima* enim *quæ peccaverit, ipsa morietur.* Unde peccatum mortale dicitur, quòd animæ peccatrici mortem inferat, illam separans

rans à Deo, qui est vita animæ, non minùs quàm ille, qui occidit hominem, quia causat separationem animæ à corpore, dicitur homicida, & hominis interemptor. Ita peccatum est, & dicitur mortale, & animæ interemptor, quia illam interimit, separans illam à Deo, & gratia Dei, quæ vita est animæ. Ut sapienter S. Augustinus: *Sicut anima est vita corporis, sic animæ vita est Deus: sicut exspirat corpus, cùm animam emittit, ita exspirat anima, cùm Deum amittit.* Hisce peccatoribus loquitur S. Joannes in Apocalypsi: *Nomen habes, quòd vivas, & mortuus es.* Ita Pater verè loquebatur sapienter de filio suo juniori, qui devoraverat totam substantiam suam cum meretricibus, quod animam suam interemerat: *Frater tuus hic,* inquit ad seniorem filium suum semper sibi fidelem, *mortuus erat, & revixit. Moritur corpus, cùm recedit anima,* inquit S. Augustinus, *ergò & anima, cùm recedit Deus: Recedit anima, cùm corpus percutitur gladio, & putas quia non recedat Deus, cùm ipsa anima feritur perjurio? Vis videre,* inquit, *quia peccator mortuus est? Lege Scripturam: Is, qui mentitur, occidit animam.* Quibus omnibus ritè consideratis, miraris adhuc tot hominibus evenire mala? Tot grassari morbos & pestilentias? Tot exsurgere bella & flagella? Cùm ita peccatum sit commune & publicum, quod deglutiatur sicut aqua. Dum Presbyteri obmutescunt, dum cathedræ & tribunalia verbum non proferunt & muta sunt. Disce de cætero attribuere omnium malorum causam soli peccato, quod tu commisisti, non, ut fit communiter, ea malis hominibus imputes. Peccatum hæc omnia causavit, te modò velut victimam justitiæ divinæ immolandam offeras corde pleno, animo contrito, pro tuis particularibus peccatis & iniquitatibus, ac totius populi delictis, Deo tuo ad omnem juxtà ejus placitum, satisfactionem, deprecans cum Regio Propheta: Deficiat ira tua, *quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Semper dolebo de præteritis, ut præserver à futuris, fugiens inposterum causam doloris. Confitens cum afflicto Tobia: *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, & in captivitatem, & in mortem, & in fabulam.*

Serm. 28. de verbis Apost.

Apoc. 3. v. 1.

S. Aug. serm. 28. de verbis Apost.

Sap. 1. v. 11.

Psal. 37. v. 18.

MEDITATIO XXIV.

De punitione & castigatione peccati.

I. De punitione peccati in angelis.
II. In primis nostris parentibus.
III. De aliis punitionibus à Deo illatis, & super omnes de infernalibus pœnis.

Horrendum est, incidere in manus Dei viventis, Hebr. 10. v. 31

Ut hæc Apostoli verba verificentur, considerandæ sunt castigationes & severæ punitiones, quas Deus omni tempore de peccatoribus sumpsit, ut mali alieni experientiâ sapere discamus.

PUNCTUM I.

Incipe tuam considerationem à punitione & dura castigatione, quam Deus de suis sumpsit angelis, & animadverte meliùs, ut tres circumstantias notabi-

tabiliores, & præcipuas penetres, primò, quòd angeli fuerint creaturæ nobilissimæ & perfectissimæ, quas Deus creaverit. Hanc eorum perfectionem
Ezech.28.v.13. exprimere volens Propheta: *Tu*, ait *signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in delitiis paradisi: Fuisti omnis lapis pretiosus operimentum tuum, & perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est in te iniquitas.* Secundò, angeli peccatum fuit una duntaxat superbia, elatio inordinata, & ambitiosa cogitatio, menti ejus impressa, cui consensit, at exequi non potuit, utpotè executioni non compossibilis. Tertiò, Deus continuò ac angelus suum pleno consensu consummavit peccatum, nullâ dilatione, vel unicum momentum pœnitendi, se à suo peccato avertendi, aut Deum pro venia deprecandi illi datum non est, sed ipso facto sine mora illum è cœlo deturbatum præcipitavit in imum inferni, pœnis & cruciatibus cum suis asseclis, in peccato sociis, puniendum gravissimis & indicibilibus, in qualitate, in causâ, justissimis, & in duratione longè diuturnissimis, &
2.Petr.2.v.4 æternis. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, inquit S. Petrus in sua secunda Catholica, quantò minùs parcet perfidis hominibus, millenis, non uno peccato, ipsum irritantibus.

PUNCTUM II.

Considera secundò consequenter, quam Deus de nostris primis parentibus sumserit pœnam & vindictam. Peccatum illorum non ignoras fuisse, illos comedisse de fructu vetito, justâ Dei voluntate, quâ illis præceperat, ne de fructu ligni, quod erat in medio paradisi comederent. Hoc clarè expressit responsio primæ matris Evæ ad serpentem: *De fructu*, inquit, *lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur; de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Gen.3.v.3. Ob esum hujusmodi ligni vetiti, tantam inflixit illis Deus justissimè animadversionem. Tantilla, ut ita loquar comparativè, transgressio, ad tantam irritavit Deum iram & indignationem contra Adamum & Evam, illos ut spoliaverit justitia originali, charitate, & dono immortalitatis, ejiciens è paradiso, & loco delitiarum, in quo illos posuerat, illosque cum omni sua posteritate (h.e. cum omnibus hominibus, qui videbantur in nullo hujusmodi culpæ consensisse,) infinitis subjecisse malis & miseriis, ipsiq; morti. *Adæ verò*, inquit Scriptura, *dixit nimirum Deus: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti ex ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes. Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes cunctis diebus vitæ tuæ; spinas & tribulos germinabit tibi: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen.3.v.7. Ejecitque Adam de paradiso voluptatis, & collocavit ante paradisum Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem. O qualis aversio! O qualis Dei rigor adversus hominem, quem tot cœlestibus donis repleverat! quem tot prævenerat gratiis! *Vere Domine Deus tu terribilis es, & quis resistet tibi?* O quàm sunt judicia tua terribilia adversus peccatores! O quàm formidabilia! Verùm ulteriùs adhuc penetrandum est.

PUN-

PUNCTUM III.

Considera tertiò ulteriùs, vindictas, punitiones, & severissimas castigationes, quas omni tempore justissimo Dei judicio ita ordinante dederunt homines innumeri, civitates, regna integra, imò orbis universus. Tibi ob oculos pone aquas diluvii multiplicatas, & prævalentes nimis super terram, consumentes omnem carnem super terram:
Gen. 7. v. 21. *Universi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ erat in terra, mortua sunt.* Non obliviscaris flammarum Sodomæ
Gen. 19. v. 24. & Gomorrhæ: *Igitur pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino de cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.* Recogita Ægyptiorum in mari
Exod. 14. demersionem: *Reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit*
Num. 16. v. 30. *in eis.* Nec tibi excidat, quòd *terra aperuerit os suum & deglutierit Dathan & Abiron, & omnia quæ ad eos pertienbant, descenderuntq; in infernum viventes, eò quòd surrexerint contra Moysen, servum Domini.* Has Domini justissimas in peccatores vindictas ruminans maturiùs justæ iræ probationes, & manifesta rigoris signa esse ne dubites. Verùm, quod omnem hominis imaginationem superat, quod omnem transcendit intellectum & capacitatem, pœnæ sunt infernales reservatæ peccatoribus; quæ pœnæ ita extremæ cruciant, ita excedunt in infligendis cruciatibus, ut omnes hujus vitæ pœnæ, rotæ, ignes, lebetes bullientis olei, ungulæ ferreæ urentes, membrorum dilacerationes, omnia Martyrum tormenta, omnia morborum genera, & quidquid est, quod cruciat in hac vita, in comparatione pœnarum infernalium nihil sint, & ignes merè depicti, & pœnæ apparentes, non veræ. Nam testante divino eloquio: *Omnis dolor irruet super eos.* Iob. 20. v. 22.
Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Psal. 48. v. 18.
Bibent de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabuntur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum. Apoc. 14. v. 10.
Ibi erit fletus & stridor dentium. Matt. 8. v. 12 Credisne Deum, cum si offenderis, & dignos fructus pœnitentiæ non feceris, mitiùs te tractatum iri? *Existimas ô homo,* inquit S. Rom. 2. v. 3.
Paulus, *quòd tu effugies judicium Dei?* Credisne te has meruisse pœnas? Credis adhuc te infinities sæpiùs meruisse, ni Deus te suâ prævenisset & præservasset misericordiâ? Soli Deo debes, quòd illis pœnis de præsenti non cruciaris. Quid ergò tibi de cætero faciendum putas? Quo in statu existis? Si hoc momento mors te raperet, quo loco stares? Teneresne dexteram, an sinistram? Maturè & seriò pondera: Si damnatus Dei permissu in mundum rediret, quid putas faceret? Te substitue in locum ejus. Quia misericordia Dei dat tibi duntaxat spatium vitæ, ne tibi tempus faciendæ pœnitentiæ desit. Noli ergò illud negligere, quia quamdiu habiturus ignoras misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, Thren. 3. v. 22.

MEDITATIO XXV.

De peccati castigatione & punitione in persona Domini & Salvatoris nostri.

I. Maximum argumentum odii Dei in peccatum, est passio Domini Salvatoris.

II. Quædam ejusdem passionis circumstantiæ ex quibus.

III. Duæ sequelæ infallibiles eruuntur.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus, Thren. 12.

HIc Salvator loquitur in cruce, in qua affixus pendebat propter peccata nostra, hanc nobis proponens quæstionem: Si viderimus unquam dolorem, qui poterat suo comparari dolori? Nullo modo, quia similis dabilis non est. Ipse autem vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus, Isa. 53. v. 5.

PUNCTUM I.

COnsidera, quòd Deus nunquam ostenderit majus indicium, aut clariùs manifestaverit, quantum oderit & detestetur peccatum, quàm in amarissima filii sui passione, illum tot pœnis, cruciatibus & tormentis subjiciens. Filium dico suum unigenitum, quem amabat infinitè, ac ut alterum se ipsum; quem sciebat innocentissimum, qui in nullo unquam offenderat; verùm magis è contrario illi semper summè placuerat, in omnibus illi obtemperaverat. Non habens nihilominùs quietem, quin illum omnium hominum afflictissimum redderet; infami ligno crucis inter duos latrones eum affigens. Eo præcisè motivo, quòd suscepisset super se peccata nostra, pro illis in propria persona, Patri æterno satisfacturus, teste Apostolo, cùm ait: *Qui non noverat* 2. Cor. 5. v. 21 *peccatum, pro nobis peccatum fuit.* Quippe *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Hebr. 7. v. 27. Quo non obstante, quia omnium suscepit peccata, se pro illis æterno Patri victimam exhibiturus: *Cum sceleratis reputatus est, non erat ei* Isa. 53. v. 12. *aspectus neque decor, qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo, super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. Cujus livore sanati estis.* Hæc autem profundiùs ut menti imprimas, & fructum inde habeas, sequentibus te totum impendas.

PUNCTUM II.

TIbi Christum Salvatorem nostrum objice mentis oculo accuratè intuendum, aut in toto suæ sanctissimæ passionis decursu, aut iis temporibus, circumstantiis, & momentis, quibus eum credis majoribus fuisse tormentorum & ignominiarum aculeis vexatum, cruciatum, & exagitatum, circumstantias examinans principaliores, quæ rei magnitudinem, dignitatem, vel indignitatem, & excellentiam magis exprimunt; sicut est sibi objicere, quis ille sit, qui patitur? quid patiatur? pro quibus? quomodo? quare? & ex his considerationibus elice sequentes infallibiles sequelas & veritates.

PUNCTUM III.

ELicias ex his benè præmeditatis sequelas & veritates duas infallibiles. Prima est, odium summum, quo Deus peccatum prosequitur, cùm illud persequatur & puniat indicibiliter, etiam in persona divina filii sui unigeniti, & innocentissimi, ex eo duntaxat motivo, quòd ille se pro suo servo nequam, infideli ac rebelli mancipio fidejusso-

rem

Rom.8.v. 32. rem & vadem obtulerit; *qui* ideò *filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Ex quo sese objicit secundò malignitas, turpitudo, & malitia horribilis peccati seriò ponderanda, quæ tanta est, ita execrabilis, ita Deo odibilis, ut ad eam delendam, eluendam, & expurgandam, necesse fuerit, ut Deus homo fieret, & homo dolorum, ut sub hominis habitu & velamine satisfaciens, & satis patiens pro peccato, ipsam mortem ignominiosissimam per manus carnificum subiret & pateretur. Aliàs enim neque omnes angeli, neque homines omnes in unum, nec orationibus, nec supplicationibus, nec lachrymis, nec pœnitentiis, nec tormentis aut cruciatibus, nec morte suâ propriâ, etiam æternali justitiæ divinæ, pro unico etiam peccato satisfacere condignè unquam potuissent. Eritne possibile, ut tu has apprehendens & cognoscens veritates, eò te seduci & adduci permittas, ut vel unicum admittas & committas peccatum? Lauda, glorifica, & exalta Deum Dominum & Salvatorem nostrum, ipsi gratias, pro illo favore & summa gratia agens; roga eum, humiliter supplica, ac deprecare incessanter, dignetur tibi applicare omnes salutares effectus tormentorum suorum. *Si in* Luc.23.v. 31. *viridi hæc faciunt?* hoc est: Si Pater æternus justè iratus, tali castigat & punit rigore in suo proprio filio, peccatum & culpam sui mancipii? *In arido quid fiet?* Hoc est: Quali rigore, irâ & furore ipsa mancipia castigabit & puniet? *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? Terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Hebr.10.v. 28.& 29. *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens?* Deut.32.v. 6. Ipse autem vulneratus est, propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Isa.53.v.5.

MEDITATIO XXVI.

Quantum debeat Christianus peccati horrorem habere?

Præcedentium Meditationum repetitio.

I. Peccatum est in oculis Dei abominabilius, quàm omnia mala temporalia & æterna.

II. Tres veritates & sequelæ infallibiles, ut vitæ Christianæ bases & fundamenta.

Iste omnis fructus ut auferatur peccatum, Esa.27.v.9.

Omnis fructus præcedentium meditationum, etiam vitæ & mortis Christi Salvatoris, est, ut peccatum destruatur, exterminetur, & elimineatur.

PUNCTUM I.

MEmineris omnium in unum, quæ circa peccatum hactenùs consideraveris, meditatus fueris, & determinaveris. Recordare primò, nihil in oculis Dei abominabilius peccato reperiri, quòd divinas ejus perfectiones impugnet & oppugnet, eas etiam, quantum in se est, annihilans, & in nihilum, si foret possibile, redigens. *In ipsum horribile di-* Serm de resurrect.

le dictu, ait Sanctus Bernardus, *desævit authorem. Nam quantum in ipso est, ipsum Deum perimit.* Voluntas propria, omninò enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire: Vult ergò!, Deum non esse Deum. Crudelis planè & execranda malitia, quæ Dei potentiam, sapientiam, justitiam perire desiderat.

Secundò, peccatum est causa unica, & origo omnium malorum hujus & futuræ vitæ, directè sanctitatem Christianam perimens & evertens.

PUNCTUM II.

Elice tres, ex antè memoratis summi momenti veritates & sequelas, velut bases & fundamenta totius vitæ Christianæ. Prima est: An Deus peccatum infinitè oderit, ut expressit Psalmista: *Iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam.* Et Psalm. *Exacerbavit Dominum peccator.* Actiones ejus nobis esse debent regulæ, quibus dirigamur ad extremè odiendum peccatum, & plus quàm quicquam aliud in tota rerum universitate, & ratione Dei omne malum & peccatum summè aversantis, & ratione interesse proprii, summè per peccatum periclitantis, quo motivo, Ecclesiasticus peccatores ad cor converti, & ad Deum reverti cupiens, ne in se ipsos peccando sæviant, hortatur: *Miserere, ait, animæ tuæ, placens Deo.* Altera est: Quia si peccatum sit inimicum Deo, si saluti nostræ adversetur, si angelos apostatas damnaverit, si primos parentes nostros è paradiso expulerit, illis omnibus subjiciens miseriis, genus humanum subjecerit morti, perpetuæ adjudicans damnationi, si pœnæ inferni æternales non sufficiant illud expiare, & tandem Dei filium ad sui expulsionem & expiationem, è sedibus regalibus extractum, sub nostræ humanitatis habitu verè hominem factum, flagellis subjecerit, opprobriis repleverit, coronâ spineâ cruciaverit, durissimis clavis infami ligno crucis affixerit, omnibus saturatum tormentis & cruciatibus ipsam mortem subire coëgerit, illud unicè aversari, odisse & timere debemus. Ut illud plus timeamus, quàm paupertatem, quàm hominum minas, quàm opprobria populorum, quàm calumnias inimicorum, quàm exilium patriæ & amicorum, plus quàm carceres & vincula, plus quàm morbos & vulnera, plus illud timere debemus, quàm acerbissima tormenta, & mortem ipsam. Unde benè Sanctus Augustinus in persona Christi: *Gravior*, inquit, *apud me peccatorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui miseratus ascendi.* Jud. 6. *Qui eum crucifixerunt ambulantem in terris, minùs peccaverunt, quàm qui offendunt sedentem in cœlis.* Cùm ergò

Psal. 105. v. 40.

Eccl. 30. v. 24.

Serm. 181.

ergò, inquit Sanctus Bernardus, *addimus afflictionem afflicto, magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quàm vulnera corporis sui.* Ex quo sequitur tertia sequela infallibilis, & veritas seriosè consideranda, cùm peccatum tot sit causa deordinationum in corpore & in anima. Necesse est, (si casu infelici in peccatum quis incidat,) requiem nunquam inveniri, quin ejus impetretur remissio apud Deum, pœnitentiâ verâ. Ad quam quis excitari debet, motivis præcedenti Meditatione deductis & elucidatis, sumptâ resolutione, nunquam se quiescere velle, tali hosti in domicilio cordis residenti, priùs verâ contritione non expulso. Ecclesiastici sanæ
Ecc.5.v.8. annuendo doctrinæ. *Ne tardes*, inquit, *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira, & in tempore vindictæ disperdet te.* Vellesne in crepidine præcipitii, in medio sylvæ, à bestiis ferocissimis infallibiliter infestandus & discerpendus quiescere? Vellesne in sinu fovere viperam?
Eccl.21.v.2. Ecclesiasticus doctrinam tibi dat sanè sequendam. *Tanquam à facie*, inquit, *colubri, fuge peccata.* Hæc res unica timenda est. Cætera, teste S. Chrysostomo, sunt joci & fabulæ, quia nullo modo æstimanda.

MEDITATIO XXVII.

De horrore peccati venialis ex parte Dei.

I. Christianus vitare debet peccatum veniale, quia Deo adversatur.

II. Cur veniale peccatum Deo adversetur?

III. Duo peccatorum venialium genera.

Qui timet Deum nihil negligit, Eccl.7.

QUi timet Deum, quod quilibet Christianus verus facere tenetur, nihil negligit Deo in omnibus placere studens, tàm benè in parvis, quàm in magnis, & magnæ consequentiæ rebus.

PUNCTUM I.

COnsidera 1. quòd Christiano, ut sit perfectus sufficere nõ debeat, nullũ com-

committere peccatum mortale, verùm debet etiam summam à veniali aversionem habere. Hujus ratio potissima esse debet; quia peccatum veniale divinam offendit majestatem, illi displicet. Etiam veniale minimum, ut verbum otiosum, inutilis cogitatio. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* *Mundi sunt oculi tui*, ait Propheta: *Ne videas malum, & ad iniquitatem respicere non poteris.* *Qui diligitis Dominum, odite malum.*

Sap. 14. v. 9. Hab. 11. v. 13. Psal. 96. v. 10.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò rationes, ob quas peccatum veniale Deo contrarietur & adversetur? Prima est, quòd Deus sit ipsa essentialis sanctitas, quæ omni peccato è diametro repugnat, & summa puritas, quæ impuritati nulli etiam vel minimæ est compossibilis, non aliter ac sol nulli componitur tenebræ, & summus calor frigoris nihil in eodem subjecto compatitur. Secunda est, quia inimicus Dei unicus & irreconciliabilis est omne peccatum, & malum unum, quod sævit in ipsum Deum, illumque perimeret, si peremptionis foret capax. Unde verè Doctores asserunt, & docent, quòd melius foret totum universum perire, quàm vel unicum peccatum veniale committi contra Deum, quàm v. g. verbum otiosum proferre, minimum siquidem malum Creatoris incomparabiliter majus est, & præponderat maximo creaturæ malo, magisque timendum, fugiendum, & cavendum. Hoc S. Bernardus probè agnovit: *Singuli illiciti motus animi mei, sunt quædam in te Deus convicia, ut puta iracundiæ motus in mansuetudinem tuam, invidiæ in charitatem tuam, turpitudinis in castitatem, & innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei etiam nunc incessanter ebulliunt exundantes; & impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui.* Et eheu! quàm pauci peccatum veniale æstimant, illud tàm liberè committentes? Velles hisce annumerari, postquam hujus peccati perfectam habes notitiam?

Epist. 44.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, peccata venialia duplicis generis reperiri, alia sunt infirmitatis, quæ inadvertenter fiunt, sese quasi latenter ingerentia, quibus nec sanctissimi in hac vita carent, aut eximuntur. Alia sunt perversitatis, quæ per deliberationem, malitiam, & adhæsionem committuntur, de his in præsenti sermo ingeritur. Cujusmodi sunt verba otiosa, inutilia, & mendacia levia, jocosa, & officiosa, judicia temeraria de levibus, aversiones & contemptus leves proximi, parvæ detractiones, exiles murmurationes contra suos superiores, acedia radicata in repellendis in oratione distractionibus, & communes negligentiæ in subeundis exercitiis spiritualibus & devotionalibus. Illa duntaxat ex consuetudine sine fructu & gustu exercendo. Vana gloria, & sui nimia æstimatio, propria sub velamine necessitatis propriæ quæsitio commoditatis, amor proprius sese, in omni nostra actione ingerens, & præmiari cupiens, ac similes defectus passim, nisi summâ diligentiâ evitentur. De quibus agit S. Augustinus: *Illis peccatis licet occidi animam*, ait, *non credimus, ita tamen velut quibusdam pustulis, & hor-*

Serm. 11. de Sanctis.

& horrenda scabie repletam, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi cœlestis, sine grandi confusione venire non permittant. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. In multis enim offendimus omnes. Perfectionis apicem attigisti, si nihil in te culpæ ex his omnibus inveneris. Pondera benè, & nihil dissimules, quia si hisce sordidaris, Salvator noster tibi nunciatur, non habiturum te partem cum illo. Quæstio porrò erat de venialibus, dum dixit S. Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

Psal. 18. Jac. 3. Joan. 13. v. 8.

MEDITATIO XXVIII.

De effectibus peccati venialis.

I. Peccatum veniale ponit obicem gratiis efficacibus, & animam impedit, ne ad suam perfectionem attingat.

II. Inducit ad mortale.

III. Constituit animam in statu torporis, & periculosæ conditionis.

Ecce quantus ignis, quàm magnam sylvam incendit, Jac. 3. v. 5.

Scintilla sufficit totam incendere sylvam.

PUNCTUM I.

COnsidera primò effectum primum, quem peccatum veniale producit, esse obicem divinis gratiarum influentiis, illis præpediens ad animam introitum. Et ita impedit in via perfectionis progressum, redditque animam personis iis similem, quæ nunquam plena fruantur valetudine. Benè valeant, comedant, bibant, dormiant abundè, & omnibus exterioribus signis sanitatis gaudere videantur, ex eo, quòd illis insit quidam habitualis morbus: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo*, ait Sponsa, *at ille declinaverat*, relinquens me afflictam ratione ignaviæ, & inurbanitatis meæ, quâ illi pulsanti continuò non aperueram, illis mearum sensualitatum peccatorum venialium retenta, & retardata retiaculis. Christus in Evangelio illud expressisse videtur: *Modicum*, inquit, *& non videbitis me.* Quia in momento negligitur, quod sæpè multo tempore non impetratur. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Alter effectus peccati est, quòd inducat ad mortale, non aliter ac morbi, & infirmitates mortem inducunt. Ad hoc alludit Sponsus in Canticis: *Capite nobis*, inquit, *vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Et qui spernit modica, paulatim decidet.* Verùm ejus effectus infelicior, nocentior, & magis detestabilis est, quia charitatem mortificat, refrigescere faciens, vel ad minus fervorem ejus diminuens, causat in nobis statum, conditionem, mentis hebitudinem, & conscientiæ languorem, qui acedia, tepiditas, & torpor nuncupatur. Cujus periculum apertè nobis satis declarat Salvator noster in Apocalypsi, dum ait: Quòd mallet potiùs esse nos frigidos, aut calidos, quàm tepidos, & torpentes. *Vtinam*, ait, *esses frigidus, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Non aliter ac stomachus cibum sibi inconvenientem fastidit & rejicit, & illo paulatim ita corrumpitur, ut tandem interitus, & mors hominis oriatur. Ita ex sæpè reiteratis culpis venialibus, omni animâ ad bo-

Cant. 5. v. 6.

num, & virtutem spoliata gustu, sic nutritur in malis, & tandem illud non horreat, quo Deo & gratia ejus spoliata pereat. *A minimis incipiunt*, inquit S. Bernardus, *qui ad magna proveniunt.* Ut hæc meritò formidabilis veritas meliùs intelligatur, & penetretur profundiùs.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quid sit esse tepidum & languescentem. Tepidum dicimus eum, qui eò non pervenit malitiæ & perversitatis, ut consentire velit in mortale, ut jurare, mentiri, blasphemare, grave fovere odium: Sed tamen languescit in Dei servitio, nullâ tractus cupiditate, aut excitatus affectu novos progressus faciendi in virtute, & in pietate proficiendi: *Nec frigidus, nec calidus erit, quantum ad dispositionis majorem facilitatem, non optat frigidum simpliciter, sed talem, de quo spes major habeatur.* Glossa. Vix talis est, qui Sacrum indies audit, Sacramenta sæpè frequentat, qui est etiam Ecclesiasticus, & si desideres, vivens in congregatione, Collegio, aut Monasterio Meditationibus, & communibus Exercitiis Congregationis, aut Monasterii se subtrahit. Quædam alia opera bona non omittens. Verùm fovet & nutrit in corde cupiditates inordinatas, & adhæsiones illum deordinantes, non eò usque quòd peccatum mortale perpetrare vellet, sine scrupulo venialibus indulgens, & sordescens. Planè S. Gregorius sententiâ exprimens: *Volumus esse sine despectu humiles, sine coarctatione obedientes, sine defectu pauperes, sine maceratione carnis continentes.* Utpotè qui est humilis, ubi non despicitur, mitis & affabilis his, quos affectu naturali prosequitur, & amat, patiens ubi nihil ei contrariatur, inspirationes divinas, pia consilia, & gratias recipit, & rejicit ubi vult. Uno verbo, ejus devotio, pietas, & in spiritualibus exercitatio phantasiæ, propriæ sensualitatis dirigitur, nihil proprio commodo adversum admittens, nec quicquam suo palato placitum rejiciens, hoc est tepidum esse, hoc est, nec frigidum, nec calidum, nec malum, aut bonum, nec virtuosum, nec vitiosum, sed ex utroque aliquid complectens.

PUNCTUM III.

IN quo te statu constitutum reperis? Nunquid ille es, qui non velles cogitare de actionibus illis à recto deviantibus? Nunquid ille es, qui non vis recogitare ea de perfectione tui status, ad quam te divina gratia, omni die, omni horâ, & omni momento invitat & excitat? Si non magnorum frigore peccatorum constringeris, non etiam magno bonorum fervore operum urgeris, nec aculeis excitaris singularibus ad perfectionem; quâ exigente status tui decentiâ, & gratiarum tibi ad hoc concessarum affluentiâ eminere deberes. Num. 12. Quid restat ulteriùs, nisi quòd delitescere ac detineri in periculo tepiditatis, & torporis statu convincaris? Gen. 26. Considera benè, quia propter peccata tuis similia dixit Christus suis apud Evangelistam Discipulis: *Nisi conversi fueritis, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matt. 18. v. 3.

MEDI-

MEDITATIO XXIX.

De castigatione & punitione venialis peccati.

I. Exempla diversa punitionis divinę ratione peccatorum venialium.
II. De illorum punitione in purgatorio.
III. Media deletiva peccatorum venialium.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum Domine Deus, justissimi sunt processus tui, & tuæ punitiones etiam rigidissimæ, semper fiunt justitiâ comite, Psal. 118. v. 137.

PUNCTUM I.

SI nondum satis malitiam venialis peccati recognoveris ex ejus effectibus, & ex odio, quo Deus illud prosequitur, ut sanctitati ejus repugnans, & summæ puritati non compatibile. Terribiles ejus punitiones, ac castigationes formidabiles tibi ob oculos ponas. Moyses magnus & intimus Dei amicus, pro uno peccato veniali diffidentię, privatus fuit terræ promissionis ingressu:
Num. 20. v. 12. *Dixitq; Dominus ad Moysen & Aaron, quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.*
Gen. 29. v. 26. Uxor Loth, *solâ detorsione capitis contra angeli mandatum respiciens post se, versa est continuò in statuam salis.* Bethsanitarum quinquaginta millia plebis, & septuaginta viri præcipui de populo morte puniti sunt, ex eo quòd quadam curiositate ducti, arcam Domini aspexissent: *Percussit autem de viris Bethsanitibus, eò quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* David, quòd sensu vanitatis ductus numeravit populum sibi subjectum, & crudeli peste castigavit eum Dominus, ut mors intra tridui spatiū demessuerit 70000. virorū de populo. Et hoc ex eo: *Ut prudentes*, ait S. Augustinus, *erudiret exemplo.* 1. Reg. 24. v. 15. Serm. 17. de verb. Dom.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, justitiam divinam hisce pœnis non sisti, quasi vitæ hujus pœnæ & castigationes non sufficerent; verùm alias, easque graviores pœnas reservat in altera vita in purgatorio luendas pro pleniore venialium expiatione. Pœnæ hæ terribiles sunt, & meritò formidabiles, respectu quarum, omnes hujus vitæ pœnæ, cruciatus & pœnitentiæ sunt potiùs umbræ & pœnarum apparentiæ, quàm pœnæ dicendæ; & illas nihilominùs nemo evadere poterit, etiam sanctissimus, & Dei amicus summus, si non plenariè satisfecerit pro minimo quoque veniali. Ita ut si quis sanctissimè spatio annorum octuaginta vixisset, in continuis bonorum operum & virtutum exercitiis, si eum contingat è vita discedere cum vel minimo peccato veniali, v. g. cum verbo otioso, illi non patebit ad cœlum introitus, quin prius in purgatorio doloribus indicibilibus divinæ satisfecerit justitiæ pro illo peccato, etsi in inferno, junctum mortali, pœnâ probabiliter puniatur æternâ, vel saltem temporali sibi correspondente. *Ipse salvatus erit, sic tamen quasi per ignem*, nempe etiam veniali obnoxius. Quod non ignorans S. 1. Cor. 3. v. 15
Job: *Verebar*, ajebat, *omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.* Iob. 9. v. 28.
Gravior erit ille ignis, inquit S. Augustinus, *quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* In Psal. 27.

PUNCTUM III.

COnsidera tertò, cùm simus ita defectibiles defectibus, & venialibus subjecti culpis, ut earum pœnas evitare nequeamus debitas, sive in hoc mundo, sive in altero. Nostrum interest multum, illas ut deleamus in hac vita, sive frequentatione Sacramentorum, sive contritionis, & amoris Dei super omnia elicitione, sive cujuscunque boni operis alterius exercitatione, sive voluntaria pœnarum, quas patimur modò, acceptatione, eâ intentione: Quia parva pœnitentia in præsenti voluntariè suscepta, v.g. una hora pœnitentiæ in morbo aliquo, una iræ, tepiditatis, aut vanæ gloriæ victoria, delebit magis culpas veniales, & pœnas illis debitas plus exsolvet, quàm satispassio in flammis purgatorii, unius, vel plurium mensium, aut fortè unius, aut plurium annorum: Ex eo quòd hujus vitæ tempus, sit misericordiæ tempus & meriti, vitæ verò alterius ævum, solo justitiæ gaudet titulo: *Vbi debitum usque ad novissimum quadrantem, reddere necesse est.* Quid ad hæc dices? Ora Deum, & dic cum S. Augustino: *Hîc ure, hîc seca, modò in æternum parcas.* Reitera brevem hanc, sed excellentem Salvatoris nostri orationem, quam ille nos docuit, reliquit nobis, & habet vim venialia delendi, S. Augustino docente: *Dimitte nobis debita nostra.* Unde benè S. Augustinus: Noli, ait, illa contemnere, quia minora sunt, sed time, quia plura sunt, quotidiana sunt ista, quæ dico, & non levia, quia plura: Quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis.

Matth. 6. v. 12.
Lib. de 10. Cord. cap. 13.

MEDITATIO XXX.

De peccatis in particulari Christianis vitandis.

De superbia, & ambitione, hoc est, de inordinato amore, & cupiditate honoris & gloriæ.

I. Primum peccatum Christianis maximè fugiendum, est ambitio, & quare?

II. Quid sit ambitio?

III. Remedia huic inordinatæ cupiditati medendi.

Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum, Luc. 16. v. 15.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quomodo vita Christiana inchoetur per renuntiationem omnium hujusmodi bonorum, per sui ipsius contemptum, honorum, divitiarum & voluptatum rejectionem, & vilipentionem. Primum ergò vitium Christianis maximè fugiendum, superbia est, vel ambitio, quæ sui ipsius, & honorum contemptui adversatur. Etsi ultrà promissionem à te in Baptismo factam, rationes requiris convincentes. Considera hanc unicam fuisse occasionem, & causam casus funestissimi, primi & pulcherrimi omnium angelorum, qui non contentus gratiis, donis, & prærogativis sibi à Deo datis, insolentissimè se contra suum authorem erexit, dicens: *Similis ero altissimo.* Et ita: *Initium omnis mali superbia.* Eo deinde rete conclusit, & seduxit primum hominem, illi mendaciter Dei similitu-

Isa. 14. v. 14.
Eccl. 10. v. 15.

militudinem promittens: *Eritis*, ait, *sicut Dii*. Et hic amor, & cupiditas umbræ magni nominis coràm hominibus adipiscendæ, honoribus fovendi, & favoribus gaudendi, magnæ capacitatis, sanctitatis, & meriti reputatione ita fervet inter homines, ut oportuerit Deum se deprimere, & humiliare, quousque, ut fide tenemus, nos doceret vanitatem, ejusque periculum summè vitandum. Ob hoc natus est in stabulo, reclinatus in præsepio, triginta annis vixit incognitus, filius fabri reputatus, filius Joseph, suis parentibus in omnibus obediens factus: *Et erat subditus illis. Nonne hic est fabri filius? Nonne hic est Jesus filius Joseph? cujus nos novimus patrem & matrem*. Et cùm cognovit, quòd vellent facere Regem, fugit: *Cùm cognovisset, quòd venturi erant, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus*. Et tandem mortem elegit ignominiosissimam.

Gen. 3. v. 5.

Luc. 2. v. 15.

Matth. 13. v. 55.

Joan. 9. v. 42

Joan. 6. v. 15.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quid sit ambitio, & superbia. Ambitio est inordinatus honoris appetitus. Hic inordinatus appetitus primò est, dum quis quærit honorem, ratione boni non habiti. Secundò, dum quis honorari quærit, ratione illius, quòd honorem non meretur, ut ratione vestimenti pretiosi, divitiarum, & hujusmodi rerum ex se nullo dignarum honore. Tertiò, dum quis recipit honorem, quasi sibi debitum, sine ad Deum reverentia. Quartò, dum quis eo plus quàm oportet, delectatur, aut æstimat nimium, quis licèt illum mereatur, aut etiam ad Deum referat honorem, ut ad illum, cui omnis honor debetur; hoc est dicere: Si quis hujusmodi honorem plus æstimet, quàm ipse Deus æstimat, aut æstimare velit. Sacro ad hoc instruimur eloquio: *Quasi*, ait Ecclesiasticus, *qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Ne vestitu glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris. Nunquid gloriabitur*, ait Propheta Isaias, *securis contra eum, qui secat in ea, & exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur*.

Eccl. 34. v. 2

Ibid. v. 4.

Isa. 10. v. 15

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò media huic obviandi & medendi cupiditati. Primum est, considerare pericula in honoribus quanta reperiantur, in quibus incurrit sæpè aliquis confusionem, sui ruinam, & damnationem, ubi exspectabat honorem, & exaltationem, suam invenit depressionem, & humiliationem. Hoc inductus motivo, nullum unquam in ullo quæras proprium honorem. Honor porrò est naturæ umbra, quæ eam fugit, & sequitur: Fugit, si quæritur, si fugis, sequitur. Et nihilominùs sese ultrò offerentes hujusmodi honores, rejicere, & recusare potiùs quàm acceptare: Etsi obligatus fueris eos recipere necessitate coactus, & tui status conditione inductus, vel aliâ Dei dispositione & providentiâ, id purè fiat; quia Deo ita placet, & quomodo illi placet, non aliter illos recipere, quàm necessitas permittit, ac si vinum foret generosum, forte, & inebrians. Ac ita si Deo sit placitum, illis oneremur, & utamur. Illis utamur tanquam utentes, & in omnibus eò plus nos humiliantes. Ecclesiastici monito per omnia consentien-

Eccl. 1. v. 4. 6. ſentientes: *Noli*, ait, *quærere à Domino Ducatum, neque à Rege cathedram honoris, noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Huic S. Epiſt. 48. Auguſtinus acquieſcens conſilio: *Proſperis*, inquit, *hujus ſæculi, ex ſola juſſione, adverſis autem, etiam ex devotione militemus.* Hoc motivo Eſther Regina Eſth. 14. v. 15. Dominum deprecata ajebat: *Domine, tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum, in diebus oſtentationis meæ.* Quomodo uſque ad præſens uſus hac es inſtructione? Nunquam ambuiſti honores, quorum te incapacem animadvertebas? Nonne ille es, qui unius veſtimenti traheris vanitate? Qui diſcurſus unius apprehentia, elegantiâ extolleris? Gloriaris trahere te è domo nobiliori originem, ob hoc te aliis præferendum exiſtimans, ſolis occupatus extrinſecis & vanis evaneſcis, intrinſecis & veris virtutibus omninò vacuus: Luc. 14. v. 11. Luc. 18. v. 15. *Omnis* porrò, *qui ſe exaltat, humiliabitur. Et tu*, inquit Chriſtus, *Capharnaum uſque ad cœlum exalta, uſque ad infernum demergeris.*

MEDITATIO XXXI.

De vana gloria.

I. Quid ſit vana gloria, & unde oriatur.

II. Nihil eſt magis ridiculum & injuſtum, quàm vana gloria.

III. Remedia contra vanam gloriam.

Non efficiamini gloriæ cupidi,
Gal. 5.

Ne amore vanæ traharis gloriæ, & inanis apud homines æſtimationis.

PUNCTUM I.

Conſidera primò, quòd vana gloria, quæ eſt nimia propriæ excellentiæ æſtimatio, exteriùs patens, & manifeſtata, originem trahere queat. Vel ex ore noſtro proprio, nuncupata *Jactantia.* In quo reprehenduntur Phariſæi à Chriſto: *Vos eſtis*, ait, *qui juſtificatis vos coram hominibus.* Hoc eſt dicere: Vos laudatis vos ipſos coram illis. Ut ille, qui ajebat: *Non ſum ſicuti cæteri hominum.* *Nolite multiplicare loqui*, inquit illa, quæ animam ſuam effuderat in conſpectu Domini, *ſublimia gloriantes.* Eandem doctrinam Tobias Senior filio ſuo Tobiæ Juniori inſtillabat: *Superbia*, ait, *in tuo ſermone nunquam ſit, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Vel trahit originem ex alienis, & aliunde quæſitis laudibus. *Hypocriſis* dicta. De qua Phariſæi à Chriſto meritò arguuntur: Omnia opera ſua faciunt, inquit, ut videantur ab hominibus. Hoc eſt: Ut æſtimentur, laudentur, & deprædicentur ab hominibus. Hîc tranſeunter examina te ipſum, ne fortè Phariſæorum numero inſeraris. Et hoc ſine diſſimulatione, non te ipſum palpans.

PUNCTUM II.

Conſidera ſecundò, quantum ad gloriam, laudem, & æſtimationem, quam nobis ipſis proprio tribuimus ore, aut quo alio quærimus colore, nihil magis ridiculum & fatuum in mundo inveniri aut excogitari poteſt. Ob hoc ſapienter monebat Sapiens: *Laudet te os alienum, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Prov. 27. v. 2. Quia nihil eſt, quod reddat hominem viliorem & contemptibiliorem, quàm ſe ipſum jactare.

Idque

Idque ita verum est, ut nemo, etiam inter vanissimos, omnem suam gloriam in sola reputantes vanitate, inveniatur, quem non pudeat, & summâ perfundatur confusione, reputari talem. Et si hoc coram hominibus, quantò magis coram Deo? *Odibilis coram Deo & hominibus superbia.* *Dicentes*, ait Apostolus, *se esse sapientes, stulti facti sunt.* *Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.* *Si ego*, inquit Christus, *glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* Et quò ad æstimationem, & laudem, quam ex hominibus quærimus aut haurimus, nihil sæpè est injustiùs, & æquitati magis contrarium, quàm hominum laudes, aut etiam vilipensiones, qui laudant sæpè, quod vituperandum erat, & quod laudandum erat, vituperant, suis indulgentes affectibus deordinatis. *Dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum dulce, & dulce amarum.* Hujus ratio est, quia non penetrant fundamentum veræ & justæ laudis, virtutem scilicet & intentionem rectam, quæ in imo cordis hominis absconduntur. Unde benè S. Petrus: *Qui absconditus est, est cordis honor, qui est in conspectu Dei, locuples.* *Quis cœcus*, inquit Deus per Prophetam, *nisi servus meus?* Vellesne stare judicio cœcorum de coloribus? *Sinite illos*, ait Christus, *cœci sunt.*

Eccl. 10. v. 7. Rom. 1. v. 22. Psal. 11. v. 4. Ioan. 8. v. 54. Isa. 5. v. 20. 1. Petr. 3. v. 4 Isa. 42. v. 18. Matt. 5. v. 14

PUNCTUM III.

Considera tertiò, unicum remedium huic malo tàm subtili medendi, est actiones nostras bonas, quantum possibile est, occultare, & quas obligamur publicè exercere, illas nunquam ob humanum respectum exerceamus, sed solùm quærendo gloriam Dei, in illo solo gloriari quærentes, dicendo cum Salvatore: *Claritatem ab hominibus non accipio.* Expresse ante & post actionem, seu opus exhibendum, huic vanæ gloriæ renuntiando. Consilio S. Gregorii acquiescentes: *Vt ita sit opus in publico, ut intentio maneat in occulto.* Quia ut benè S. Job: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* *Nulla ferè*, inquit S. Augustinus, *est pagina sanctorum librorum, in qua non sonet, quòd Deus superbis resistit.* Apostolus in eo perfectus, solo divino judicio innititur: *Qui judicat me*, inquit, *Dominus est.* Si ergò honorem diligis, & inter magnos æstimari cupis, contemnas æstimationem, & hujus mundi magnorum honorem, & tunc honoraberis, tunc coram Deo æstimaberis, & in honore eris. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Christi testimonio: *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus, hic est major in regno cœlorum.* Utpotè non quærens laudem, gloriam, aut æstimationem ab hominibus, ne Christi incurratur maledictio. Et, *Væ, Væ*, inquit, *cùm benedixerint vobis homines!* Dei ergò, non hominum benedictionem quæramus.

Ioan. 5. v. 47 Iob. 22. v. 29 S. August. de doctr. Christ. cap. 23. 1. Cor. 4. v. 4

MEDITATIO XXXII.

De vana gloria in operibus bonis.

I. Quantum timenda sit vana gloria in operibus bonis.

II. Injuria Deo illata.

III. Quòd

III. Quòd causam majorem habeamus ex bonis operibus jam exhibitis, confusionis, quàm laudis quærendæ.

Non quæro gloriam meam, Joan. 8. v. 50.

Etsi, inquit Christus, actiones meæ sint gloriosæ, & indefectibiles, gloriam meam ex illis non quæro.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quantum in exercitio bonorum operum, vana gloria sit pertimescenda, & quâ consequenter curâ & sollicitudine vitanda. Ex ea primò ratione, quòd hoc vitium præ omnibus aliis speciale illud habeat, ut suo veneno generaliter omne genus operum bonorum vitiet, & inficiat. Imò & ipsa nonnulla opera mala afficit; specialem malitiam, cùm homines eâ ducti intentione, ea exercent, ita imperceptibiliter iis adjungens, ut vix queat animadverti. Ideò monet S. Bernardus: *Time*, ait, *sagittam, leviter volat, leviter penetrat, sed non leviter infligit vulnus, citò interficit; nimirum sagitta hæc vana gloria est.* Secundò, quia ubi invenit locum, omne expellit meritum omnium bonorum operum. Testimonio veritatis: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Ecce remunerati sunt, quanta infelicitas! Unicâ vanâ complacentiâ interveniente, thesauri immensi, & divitiæ æternales, solis orationibus, jejuniis, & eleemosynis acquisibiles, omninò perduntur, & evanescunt irrecuperabiliter. Unde benè S. Bernardus: *Ipsa*, inquit, *in peccato prima, in conflictu postrema.* Ita initium, & finem omnis operis suo inficiens veneno.

S. Bern. serm. 6. super Psal. Qui habitat.

Matt. 6. v. 2.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quanta Deo irrogetur injuria, quicquam sibi ex suis bonis operibus attribuere. Si porrò naturalibus viribus ad hujusmodi exequenda quis gaudeat, à quo hos habet, nisi ab illo, qui est auctor naturæ, à quo naturam recepit? Si verò cogitatio bona, affectio pia tibi operis boni, pii, & meritorii eliciendi occurrat, à quo tibi occurrit aut provenit? Nisi ab eo, qui est auctor gratiæ. Quid ergò in tuis bonis operibus, si quæ exerceas, de tuo requires? Qui de tuo nihil habes, quo illa exerceas. Antequam opus bonum incipias, gratia te prævenit, antequam illud prosequaris, gratia te adjuvat, ut consumens gratia te concomitatur in nullo deserens. Quid ergò de tuo in omni opere bono habes? Aut quid tibi attribuere potes? Tibine fortè bonam attribues intentionem? Nonne & hanc inter Dei beneficia reputabis? Unde provenit sæpè tuorum bonorum operum minui meritum? nisi ex latenti, & secreta tui ipsius in omnibus requisitione, tibi nimiùm complacendo, tuæ pravæ in cunctis condescendendo naturæ? Humanis ita traheris respectibus, ut hominibus potiùs servire videaris, quàm Deo. Ut verificetur in te, & reperiatur in te hypocrisis Pharisaica, à Christo reprehensa; oras, jejunas, eleemosynas facis, & omnia tua opera bona facis, ut videaris ab hominibus. Verè recepisti mercedem tuam. Et licèt opponas te gratiâ Dei donatum sanctificante, sine qua non datur meritum de con-

condigno. Illo tibi concesso, etsi etiã ex parte tua, in tuis bonis operibus, ex omnibus quæ Deus à te requirit, nihil omninò omitteres, auderesne nihilominùs te Apostolo æquiparare, dũ dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Audi ad tuam majorem confusionem S. Bernardum: *Omnis justitia nostra injustitia esse convincitur, si districtè judicetur.* S. Augustinus: *Quòd gloriari non valeat ante te omnis caro, quia si quid boni est, magni & parvi facit, donum tuum est, & nostrum non nisi malum.* Et alibi: *Quisquis*, inquit, *tibi enumerat merita, quid tibi enumerat nisi munera tua?* Verè agnoscas, & confitearis cum veritate: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Luna*, ait, S. Job, *non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?

1. Cor. 4. v. 4.

S. Bern. serm. in Festo omnium Sanctorum.

S. Aug. serm. in Psalm. 85.

Lib. 8. Conf. cap. 13.

Paral. 29. v. 14.

Iob. 15. v. 6. 7

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, & recogita hæc Prophetæ verba: *Quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ.* Quòd justitiæ nostræ coram Deo appareant, velut panni sordescentes, & juxtà aliam versionem, velut panniculamentum vile, & antiquum, variis variorum colorum peciis repeciatum, quod ferenti potiùs confusionis sit occasio, quàm vanitatis. Compara nunc actiones tuas, cum Sanctorum operibus, & pro summario omnium, etsi omnia fecisses, quæ unus S. Joannes Baptista fecit, audi quid Christus Jesus suis intimet Apostolis: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Verè scio*, ait S. Job, hac agnitâ veritate convictus, *quòd non justificetur homo compositus Deo. Si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Et: *Verebar omnia opera mea.* Quod probè recognoscens servus fidelis, Domino suo dicebat: *Mna tua fecit quinque mnas.* Hisce omnibus visis, auderes aliis te præferre, etiamsi tuo judicio, plura quàm illi facias? Auderesne gloriari de tuis operibus bonis, cùm ubi benè discusseris, reperies tuam etiam cooperationem in suo quoque esse Physico à Deo provenire, & totaliter dependere? Quid habes, quod non accepisti? *Domine*, ait Isaias, *omnia opera nostra operatus es in nobis.* Ita est, omnia opera nostra in nobis, & per nos, quæcunque operamur, operatur Dominus. *Dextera Domini fecit virtutem.* Dum exercemus & facimus virtutem: *Magis placet Deo humilitas in malis, quàm superbia in bonis factis*, ait S. Augustinus.

Isa. 64.

Luc. 17. v. 10

Iob. 9. v. 2.

v. 15.

v. 28.

Luc. 19. v. 18

Isa. 26. v. 12.

Psal. 117. v. 16.

Lib. 14. de Civ. cap. 13.

MEDITATIO XXXIII.

De curiositate in scientiis.

I. Quid curiositas in scientiis causat.
II. Remedia huic malo medendi.
III. Abusus multorum Laicorum & Ecclesiasticorum in hoc errantium.

Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, 2. Petr. 1. v. 6.

Abstinentiam quam vult nobis S. Petrus hic recommendatam, & scientiis conjungendam, non est oris abstinentia, verùm magis moderatio quædam certa, & sobrietas in nostris sciendi & discendi desi-

Rom.12.v.3. desideriis. *Quod est cum Apostolo sapere ad sobrietatem.*

PUNCTUM I.

CONsidera 1. quantum damnum inferat curiositas, hoc est, desiderium immoderatum sciendi & discendi quotidiè res novas. Primò, intellectu nimiè occupato, & quasi illâ multitudine & varietate cognitionum obruto, voluntas, quæ est potentia, quam magis exercere deberemus, remanet inefficax omninò, nullo excitata lumine prævenientis gratiæ, adipe nullâ aut pinguedine unctionis divini auxilii impinguata, nullum refert aut producit fructum. Unde irreligiositas, torpor, & tepiditas in exercitiis spiritualibus originantur, quæ vel negliguntur, vel abbreviantur, vel planè omittuntur. Inde perfunctoria, præcipitata, & accelerata, omni sæpè attentione, aut intentione debitâ exclusâ, Breviarii recitatio, S. Missæ Sacrificii inde celebratio indevota, accelerata, ac variis permixta perturbationibus, distractionibus, & imperfectionibus, tantùm ut curiositati sciendi & discendi serviatur & satisfiat. Secundò, hic amor inordinatus, cupiditas, & pronitas sciendi & discendi, originem trahit ex nimio propriæ æstimationis affectu, ex superbia & elatione, illique deservit, fovet, nutrit, & augmentat in nobis. Id Apostolum urgebat dicere, scientiam propriam non suis debitis limitibus restitutam, & regulis certis regulatam inflare, & charitate seclusâ, obesse plus, quàm prodesse: *Scientia inflat,* (1.Cor.8.v.1.) ait, *charitas autem ædificat. Habent & in epulis suis animi,* ait S. Augustinus, *quandam luxuriem, si ultra modum in eas voraciter irruant: Ita enim tale quodammodò digerunt, unde valetudini mentium non minus, quàm ab ipsa fame metuendum est.* (S. Aug. de beat. vit. pag. 51.)

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, remedia huic malo medendi, & hujusmodi inordinati sciendi & discendi desiderii restringendi. Primum est, considerare scientiam sine virtute, & gratiæ divinæ unctione, coram Deo nihil esse & reputari, quantumcunque in oculis mundi esse aliquid appareat & æstimetur: *Minimus vocabitur,* nihilominùs testimonio Salvatoris, *in regno cælorum.* (Matth. 5.) Hoc est, in regno cœlorum locum non inveniet. Ea de causa, quòd scientia sit qualitas indifferens, non faciens subjectum suum Deo gratum, & in oculis ejus æstimatum; nisi in quantum virtuti & gratiæ divinæ conjuncta, coordinat & coinfluit in opus virtuosum, & Deo gratum. *Si linguis,* inquit Apostolus, *loquar hominum & angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum.* (1.Cor.13.v.1.) Sancti etiam non per suam scientiam sancti sunt, sed per virtutem. Magni in regno cœlorum appellati verbo Veritatis: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* (Matt.5.v.19) Princeps tenebrarum est Princeps & scientiarum, dictus δαίμων, id est, sciens, & non plus, sed & desipiens, quia scientia sua abutens ac alios decipiens, qui non obstantibus suis omnibus scientiis, notitiis evidentibus rerum naturaliter attingibilium damnationi adjudicatus æternali, æternaliter summis cruciabitur pœnis. Quo ex motivo, Apostolus admonet & exhortatur Romanos non plus sapere, quàm oporteat sapere: *Dico,* inquit, *per gratiam, quæ data est* (Rom.12.v.3.)

ta est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Secundum est, ita debemus studia nostra ordinare, ne unquam præjudicent exercitiis ad perfectionem inducentibus, certo tempore quotidiè deputato studiis, quod aliis negotiis intercurrentibus, abbreviari poterit, nec unquam extendi, ne eâ occasione suffuretur tempus orationi & aliis exercitiis spiritualibus deputatum. Quod est sapere ad sobrietatem. *Quid est autem,* ait S. Bernardus, *sapere ad sobrietatem? vigilantissimè observare, quid scire magis priusq; oporteat, tempus enim breve est.* Tertium est, nunquam se studiis dare, quin quis eo se motivo trahi animadvertat, purè ob hoc se Christo tradidisse talibus, ut se suo tempore occupet exercitiis, ut divinis sese magis subderet dispositionibus, luminibus illustraretur majoribus, & irreprehensibilibus dirigeretur judiciis, omni rejectâ curiositate & amore proprio, ut non nisi ex amore Dei & Christi quis studiis vacet.

S. Bern. serm. 36. in Cant.

PUNCTUM III.

Ex his concludimus, abusum plurimorum, tàm Laicorum, quàm Ecclesiasticorum, qui putant majus se sacrificium præstare & offerre Deo, si vitam totam studiis impendant; negligant interim animæ suæ salutem, quæ Deo est magis cordi, quàm omnis eorum scientia. Non enim eos ideò Deus vocavit præcisè, ut scirent, sed ut salvarentur. Et ita accessorium faciunt principale, & finem servire mediis, præposterè omnia facientes, & divinas pervertentes ordinationes. Existimant illusi vanâ sui complacentiâ, & inordinatâ discludi cupiditate, posse neminem fieri doctum, & in scientiis facere profectum, nisi orationem, sacras lectiones, examina conscientiæ, & hujusmodi exercitia spiritualia prætermittant, illud tempus totum studiis impendentes. Ac si unus S. Thomas, unus S. Bonaventura, & cæteri sancti Doctores ex eo fuissent minùs docti, sapientes, & in scientiis præstantes æstimati, quòd plus temporis tribuerint Christi crucifixi meditationibus, quàm alterius cujusvis libri lectionibus; non enim cum Apostolo judicabant se scire aliquid, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. *Qui se* porrò *existimat aliquid scire, nondum cognovit, quomodo oporteat eum scire. Vides,* ait S. Bernardus, *quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. Vides,* inquam, *quomodo & modum constituit.* Vide nũc, quomodo huc usq; in tuis studiis te habueris. Non dicitur, ut illa intermittas; sed ut eorũ ardorem temperes, & ita regules, ut virtutis exercitio sit compatibilis, & sit via & directio ad virtutis assequutionem. *Quid prodest alta de Trinitate sentire, si careas humilitate,* ait Gerson. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Væ vobis, quia tulistis clavem scientiæ, & ipsi non introistis!* ait Christus ad Legisperitos.

1. Cor. 2. v. 2.
1. Cor. 38. v. 2
S. Bern. serm. 36. in Cant.
Lib. de Imit. Chr. cap. 8.
Rom. 12. v. 3.
Luc. 11. v. 52.

MEDITATIO XXXIV.

De avaritia & divitiarum cupiditate.

I. Quantum cupiditas bonorum temporalium repugnat spiritui Christianorum.

II. Quid sit avaritia?

III. Remedia avaritiæ.

Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram, Luc. 6. v. 24.

PUNCTUM I.

Considera primò, quantum hæc cupiditas inordinata bonorum & divitiarum temporalium mundi hujus, contrarietur sanctitati Christiani & spiritui, quo duci & agi debet Christianus. Primò, quia ut benè animadvertit Apostolus: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Cupiditas divitiarum est radix omnium malorum. Unde benè Scriptura: *Avaro*, ait, *nihil est scelestius.* Ob hoc monet Apostolus: *Avaritia*, inquit, *nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos. Attendite vobis, ne graventur corda vestra curis hujus vitæ.* Ex quo Salvator noster meritò eam inordinatam divitiarum cupiditatem condemnat verbo & exemplo. Verbo, dum anathemata fulminat contra divites. *Væ*, inquit, *vobis divitibus!* dum dicit: *Non potestis servire Deo & Mammonæ. Dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* Dum parabolicè loquitur de divite Epulone. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Hanc exemplo damnavit, dum volens in mundum venire, homo fieri, & nasci, elegit Matrem pauperem, pauperes sibi associat Apostolos, dum labore manuum vivit, non habens ubi reclinet caput suum: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Nec vult ob hoc suos sollicitos esse in crastinum: *Nolite solliciti esse*, ait, *in crastinum, crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua, nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

1. Tim. 6. v. 10.
Eccl. 10. v. 9.
Eph. 5. 3.
Luc. 21. v. 34
Matt. 16. v. 15.
Mat. 19. v. 23
Luc. 16. v. 22.
Mat. 8. v. 20
Luc. 9. v. 58
Mat. 6. v. 34.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd ille solùm non debeat dici avarus, qui divitias & bona temporalia rapit contra justitiam, aut quocunque titulo justo sive injusto, ubicunque potest; sed & ille etiam, qui illas amat inordinatè, requirit cum anxietate, de illis gaudet, & æstimat, ut rem magni ponderis, nimiâ aviditate illas custodiens & conservans, manens quacunque earum jacturâ, etiam levi, nimiâ tristitiâ oppressus, & quasi inconsolabilis, ut expressit S. Augustinus clarè: *Non solùm ille avarus est, qui rapit aliena, sed & qui nimis cupidè servat sua.* Et in Psalm. 8. *Non rapit villam alienam*, ait idem, *sed amat suam, ut si perdiderit, conturbetur.* Non appetit uxorem alienam, sed sic inhæret suæ, ut modum non teneat præscriptum tabulis: Non tollit aliena, sed repetit sua, & habet cùm fratre suo judicium. Talibus dicitur, omninò delictum est in vobis. Ex quo beatus pronuntiatur in sacris paginis dives inventus sine macula: *Beatus*, inquit Ecclesiasticus, *dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris. Quis est hic? Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum*, inquit Apostolus. Meritò conqueruntur jam damnati se ipsos redarguentes. *Quid*, ajunt, *nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Examina te modò, quis, & qualis sis hoc in genere, pauca licèt possideas bona & divi-

Serm. 106.
Eccl. 31. v. 8.
1. Tim. 6. v. 17.
Sap. 5. v. 8.

divitias, quo illis inhæreas affectu? quâ prosequaris cupiditate? nihil dissimules hîc opus est examine serio, hoc vitium cùm spirituale sit, difficulter deprehenditur, facilè, vel prætextu honestatis, decentiæ, aut necessitatis, latè velamine necessitatis, superfluitatem contegens.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò remedium, & potissimum medium hanc sistendi & eradicandi cupiditatem, est serias facere reflexiones super vanitatem bonorum hujus mūdi, & præterlabentes divitias, in qualia inducant homines pericula, & hujus, & futuræ vitæ, quas causent anxietates, & ingerant perplexitates, ac perturbationes. Certè benè meritò consideratæ divitiæ, omninò vero sapienti fugiendæ, nec ullâ ratione æstimandæ, consilio Prophetæ Regii: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psal. 61. v. 11 *Cùm enim interierit dives, non sumet omnia,* Psal. 48. v. 18 *neque descendet cum eo gloria ejus.* Psal. 28. v. 7. *Relinquet alienis divitias suas.* Psal. 36. v. 35 & 36. *Thesaurizat, & nescit, cui congregabit ea. Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: Transivi, & ecce non erat.* Ex quibus elucet hujus mundi divitiarum vanitas, deceptio, & inanitas, quæ deserunt, vel deseruntur, dum minimè putatur. Quod expertus est dives ille in Evangelio, cui dicitur: Luc. 12. v. 20 *Stulte, animam tuam hac nocte repetunt à te, & quæ parâsti, cujus erunt?* Monet ob hoc Salvator: *Nolite,* ait, *thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et ibidem v. 15. *Videte,* inquit, *& cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet.* Siquidem, teste Apostolo: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* 1. Tim. 6. v. 9

MEDITATIO XXXV.

De amore inordinato voluptatum.

I. Cur Christiani vitare debent voluptates.

II. In quo situs amor voluptatum.

III. Remedia contra voluptates.

Væ vobis, qui ridetis! Nunc, quia lugebitis & flebitis, Luc. 6. v. 25.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, juxtà testimonium Aquilæ Evangelicæ, quòd omne, quod in mundo est, referatur, vel ad concupiscentiam carnis, vel ad concupiscentiam oculorum, vel ad superbiam vitæ: Non sufficit ergò Christiano, qui de mundo non est, aut esse debet, renuntiare ambitioni vitæ, per superbiam vitæ intellectæ, aut avaritiæ, per concupiscentiam oculorum expressæ: *Quid prodest possessori, nisi quòd cernat divitias oculis.* Eccl. 5. v. 10. Verùm & omni renūtiare debet voluptati, & omni illicito & periculoso illecebrarum & recreationum illicitarum desiderio, per concupiscentiam carnis significato. Et primò quidem, quia spiritui Christianismi nihil plus adversatur, quàm hujusmodi illecebræ, & carnis voluptates. Vita enim Christiani, ut Tridentinum dicit, *continua pœnitentia est*, hoc est, absoluta renuntiatio omnium, quæ sensus titillare, aut allicere queunt ad quamcunque indecentem voluptatem. *Malunt*, in-

quit Tertullianus, de Christianis differens, *leoni tradi, quàm lenoni.* Secundò, quia nihil magis vitæ & doctrinæ Salvatoris repugnat & adversatur, quàm voluptas carnalis, dum hortatur nos ad tollendam crucem nostram, ad se sequendum, & abnegandum nos ipsos, ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ, & hujusmodi. Et dum his, qui suis indulgent voluptatibus, & hujus sæculi delitiis inhiant & delectantur, suam comminatur maledictionem: *Veruntamen*, ait, *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram! Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis! Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis!* Hinc Luc. 9. hortatur omnes ad sui sequelam: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Et Apostolus: *Induimini*, inquit, *Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Quod Christianos maximè concernit, qui Christo in omnibus Christianæ conformiter doctrinæ sese conformare omni debent conamine & diligentiâ.

Luc. 6. v. 14.

Luc. 9. v. 23.

Rom. 13. v. 14.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quòd hæc voluptatis cupiditas, & affectus commodi sit carni blandiri, servire & favere, summo animæ præjudicio; quærere suas in omnibus commoditates, omnes quicquam patiendi incommodi fugere occasiones, & dum quis desideratis privatur commodis, oblectationibus, & desideriis inquietari, impatientiæ stimulis agitari, murmurare, nullum oculo intueri benevolo, humanitatis famam exuere, inducere inter omnes spiritum eundem inquietudinis, excitare dissensiones, nullos miscere sermones, nisi de suis commoditatibus, & prætensis, ac phantasticis necessitatibus, curiose & prudenter secundùm carnem, ne aliquid desit, providere. Et hæc omnia pallio vel honestatis, vel majoris vitandi mali, aut boni procurandi & promovendi artificiosè contegere. Sed hæc suntne eorum, qui Christi sunt? Apostolum audi: *Qui Christi sunt*, inquit, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis. In spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*

Gal. 5. v. 24. & 25.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò medium potissimum hunc inordinatum amorem certæ rectitudinis regulæ subjiciendi, esse seriam Christianæ professionis meditationem; Sanctorum exempla, & inter omnia efficacissimum esse, Sanctorum vitam, tanquam omnium perfectionum pelagus immensum, continuò ob oculos habere, indeque elicere, rem esse deplorandam simul & pudendam, velle membra delitiis indulgere, & suis omnibus condescendere appetitibus inordinatis, sub capite spinis coronato acutissimis, omnibus tormentis, pœnis & doloribus subjecto incredibilibus. Et hujusmodi praxin laudabilem quis ut introducat, primò summè fugiat & aversetur omnes voluptates & delitias malas & periculosas. Secundò, cùm etiam ipsæ delitiæ malæ non sunt, ut videre res indifferentes, audire discursus in se non periculosos, independentes, aut malos, hisce nihilominùs supersedere, quandoque se subtrahere pro possibili, & specialiter si quis se hisce nimiùm affici

fici animadvertat. Imò necessariis deliciis ex potu & cibo provenientibus, non aliter uti, quàm Deo esse placitum existimat præcisè, ut naturæ conservandæ necessariis frui illis, non ut ejus sunt deliciæ & superfluitates. In hoc Ecclesiastici consilio acquiescens: *Si*, inquit, *præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te gaudium inimicis tuis.* Et alibi: *A scintilla una augetur ignis, & ab uno doloso augetur sanguis.* Ideò sapienter Sapiens in Proverbiis monet: *Sapiens timet*, inquit, *& declinat à malo, stultus transilit & confidit.* *Sive ergò*, inquit Apostolus, *manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quia, ut benè S. Augustinus: *In omnibus rebus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.* Esne jam resolutus iis in futuro uti? ut quæras in illis puram necessitatem, non voluptatem, usum, non abusum? S. Augustino verissimè docenti, subscribas, ab ejus sententia nusquam facto devians: *Homo*, inquit, *per totam vitam pendere debet in cruce, non enim est in hac vita tempus evellendi clavos.* Comminatur Christus ob hoc abutentibus hisce temporalibus: *Væ vobis*, ait, *quia saturati estis, quia esurietis, quantò magis crapulati?* *Ducunt* porrò, Sancto Job testimonium perhibente, *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et alibi: *Divitias*, ait, *quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.*

Eccl. 18. v. 31.
Eccl. 11. v. 34
Prov. 14. v. 16.
1. Cor. 10. v. 31.
S. August. de doctr. Christ. cap. 12.
Serm. 8. de divort.
Luc. 6. v. 25.
Job. 21. v. 13.
Job. 20. v. 15.

MEDITATIO XXXVI.

De invidia.

I. Quomodo invidia sit Christiano fugienda?
II. Quid sit invidia?
III. Remedia contra invidiam.

Charitas non æmulatur, 1. Cor. 13. v. 4.

PUNCTUM I.

Considera primò, quàm vitium hoc homine Christiano sit indignum. Primò, quia directè & è diametro opponitur charitati, quâ volumus & procuramus proximo nostro omne bonum, & complacemus nobis, dum ipsi benè est, dum proficit ac sumit augmentum in omnibus bonis. Quibus omnibus invidiæ peccatum summè adversatur, quo homo non duntaxat non trahitur ad benefaciendum proximo, illi & favendo, & benè volendo, & procurando omni modo meliori bonum ejus; verũ magis dolet de bono, quod animadvertit proximo evenire, habens displicentiam, tædium & tristitiam de omnibus bonis illius. Secundò, invidia est proprium vitium diabolicum, quo primò diabolus invidit in cœlo gloriam summam & unionem hypostaticam naturæ humanæ, & in terra Adamo & ejus posteritati beatitudinem æternam. *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem illã, qui sunt ex parte ejus.* Vellesne diabolum imitari? vellesne esse ex parte ejus? vellesne illi sociari in æternitate? Si hoc non vis, ut velle non potes, nisi insanire incipias: Non velis ergò illi & in vitio sociari. Invidia tertiò, est indiciũ & vitium mentis abjectæ, vilis, & pusillanimis, juxta illud:

Sap. 2. v. 24.

Livor iners vitium mores non exit in altos ἴδιον ἐστὶ κακὸν τοῦ διαβόλου. *Abelem occidit invidia, fratres contra Joseph armavit, Danielem in lacum leonum misit, Caput nostrum cruci affixit.* Quid nunc eliges vel Abelem cum fratre ejus Caino perfido occidere, Josephum innocentem cum ejus fratribus malevolis vendere, Danielem servum Dei cum pessimis Idololatris in lacum leonum mittere, & Christum Salvatorem cum perditissimis Judæis crucifigere? Vel potiùs eliges cum justo Abel mori pro innocentia, vendi cum pudicissimo Josepho pro castimonia, pro religione in lacum leonum mitti, cum religiosissimo Daniele; & pro obedientia perfecta cum Christo crucifigi?

Basil. orat. in Lacisi.
S. Aug. serm. 18. de temp.

PUNCTUM II.

Considera secundò, invidiam esse peccatum, quo dolemus ac displicentiam habemus, quòd alicui sit benè, bonis affluat & prosperetur: Seu est odium alienæ felicitatis, dolor & tristitia de bonis alienis, ita ut invidia sit malus affectus, & species tristitiæ mixtæ odio & malevolentiæ, quo quis angitur & anxiatur de bono proximi sui, quasi sui boni depressione & diminutione. O quanta injustitia! quanta malevolentia! *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* ait Deus invido. Dolere de bono alieno, & gaudere de malo, nunquid est diabolicum? nunquid est adinventio hostis generis humani? qui lætantur cum malè fecerint? *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Examina nunc, an hoc execrabili vitio nunquam laboraveris? si proximo tuo malum nunquam optaveris? nunquam de ejus gavisus infortunio? si apprehenderis nunquam, quòd tibi æqualis foret, & superior in bonis animæ, corporis, & fortunæ? Et an nō adhuc de præsenti tali sis irretitus malo? Illo exue te, & Apostolicam apprehende doctrinam: *Ut non sit schisma in corpore*, inquit, *sed id ipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: Sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Hæc Apostoli doctrina omnem è medio tollit invidiam.

Matt. 20. v. 15.
Prov. 2. v. 14.
Prov. 17. v. 5
1. Cor. 12. v. 25.

PUNCTUM, III.

Considera tertiò medium hoc pessimum tertium omninò corde & animo tuo, casu quo in eo egerit radices, eradicandi. Primum est, ponderare seriosè mala ingentia, quæ causat & inducit invidia. Primò siquidem occidit animam, privat gratia, corrodit cor illius, quem possidet, tristitiæ fluctibus immergit inexplicabilibus, ora tabescere facit, tædiis afficit importabilibus, exsiccat ossa, reddit macilentos debiles phtysicos, discerpit ut vipera intestina, in quibus concepta est, homines redigit ad extremitates horribiles & execrandas. Inde odia intestina oriuntur, dissensiones, susurrationes, detractiones; ita ut grassante hoc vitio detestabili, totum corpus politicum, in quo reperitur, corrumpatur. Unde benè Sapiens: *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia.* Secundum medium huic pesti obviandi, est, nihil magni æstimare aut facere hac in valle deformitatis,

Prov. 14. v. 30.

mitatis, ait S.Basilius, quia quod non æstimat quis alteri non invidet; nemo porrò misero suam invidet miseriam. Juxtà porrò proverbium commune, sola miseria caret invidia, nullus furioso suam invidebit furiam, aut afflicto suam afflictionem; quia hujusmodi non adferunt nisi molestias, dolores & calamitates. Ideò non habentur in pretio aut æstimatione. Ac ita si divitiæ, si honores, si scientiæ, & hujusmodi, quæ à mundanis & mundo adhærentibus tanti fiunt, non reputentur, ut reverà non reputandæ sunt, non erunt invidiæ materia, nec ulli ob hoc invidebimus, aut ob quodcunque aliud conceptibile. Et id eò minùs quo animadvertemus, per hujusmodi nihil nobis in ullis præjudicari bonis, sive temporalibus, sive æternalibus. Temporalia siquidem, tanquam exilis æstimationis, & sæpè plus secum molestiæ & periculi adferentia, quàm solatii & securitatis, contemnemus omninò, si simus cordati, & generosæ mentis Christianum decentis. Cujus intentio omnis ad æterna directa esse debet. Hac destitutus intentione, non facilè hujus vitii laqueis eximetur.
1.Ioan 3.v. 10. *Propter quid Cain occidit Abel? Quia,* inquit S. Joannes, *opera ejus erant mali-*
Iac.3.v.16. *gna, fratris autem erant justa. Ubi enim zelus & contentio, ibi constantia & omne*
Rom.13.v.13 *opus pravum. Non in contentione & æmulatione.*

MEDITATIO XXXVII.

De judicio temerario.

I. Quàm sit injustum, proximum judicare.

II. Quomodo judicio temerario peccatur.

III. Remedia contra hoc malum.

Nolite judicare, & non judicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini, Luc.6.v.37.

PUNCTUM I.

Considera primò, quàm sit injustum & periculosum, proximum judicare. Primò, quia non noster est, sed Dei: *Tu quis es,* inquit Apostolus, Rom.14.v.4
qui judicas servum alienum? Domino suo stat, aut cadit. Relinquas ergò Domino, Magistro, & Patrifamilias curam domestici, & servi sui; si malè, vel benè agat, tua non interest. Dominum suum habet, habet Judicem suum, cui factorum suorum rationem debet reddere, non tibi. Unde Christus, petenti, ut mandaret fratri dividere secum hæreditatem: *Magister,* inquit, *dic fratri, ut* Luc.12.v.14
dividat mecum hæreditatem: Respondit. *Homo quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Secundò, proximum dum judicamus, usurpatione jurisdictionis alienæ, peccamus. Utpote jurisdictionem, & potestatem, quam Salvator noster sibi soli reservavit, iniquè usurpantes: *Tu quis es,* inquit S. Ja- Iac.4.v.13.
cobus, *qui judicas proximum, unus est Legislator & Judex, qui potest perdere & liberare.* Et Apostolus: *Tu quid judi-* Rom.14.v. 10.
cas fratrem tuum? aut quare spernis fratrem tuum? Implicas te rebus ad te non spectantibus: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Ille Judex noster est, non homines. Imò ipsamet S. Mater Ecclesia, licèt à Spiritu S. illustrata, edocta, & directa, *non judicat de internis.* Et tu homo particularis ignorans, variis

 sub-

ſubjectus vitiis & paſſionibus inordinatis, præſumet ſibi attribuere libertatem & poteſtatem judicandi? O quanta ſuperbia! O quæ præſumptio! O verè elatio diabolica!

PUNCTUM II.

Conſidera ſecundò, judicium temerarium tres habere gradus. Primus ejus gradus eſt, dubitare de malitia, ſeu proximi perverſitate. Alter eſt, ſuſpicari. Et tertius eſt, judicare. Et in his omnibus ſubeſt ſemper malitia; obligamur porrò habere ſemper bonam de proximo opinionem. Ergò, cùm quidam ad malè judicandum de proximo, inducantur rancore, alii arrogantiâ, affectu ſibi in peccato complacendi alii; alii à mala habitudine, ſolâ alii complacentiâ, quam in diſcuſſienda aliorum vita, percipiunt, cæteri exacerbatione permoti, alii tandem quavis aliâ excitati paſſione. Inter quos locum habes? Si ſeriò animadverteres, & te accuratè perſcrutatus fueris, reperies, plus te temporis impendere inquiſitioni & examinationi vitæ alienæ, quàm inſpectioni vitæ propriæ. O quanta hæc ſtultitia! O qualis injuſtitia, damnare ſuum proximum ſine crimine! *Aliena diſcutientes, propria,* ait S. Chryſoſtomus, *non aſpicientes.* (S. Chryſoſt. hom. 41 in Matth.) *Sapientia, quæ deſurſum eſt, plena eſt miſericordia, non judicans ſine ſimulatione.* (Jac. 3. 17.) *Venit Joannes,* inquit Chriſtus, redarguens temerariè judicantes, *neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans,* (Matt. 11. 18.) *& bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini.* Ita mali etiam optimos temerariè judicant & damnant.

PUNCTUM III.

Conſidera tertiò remedia efficaciſſima, huic vitio peſſimo & periculoſiſſimo, obviandi ſimul & medendi. Primum eſt, rem dubiam in meliorem partem trahere ſemper, & interpretari. Et ſi actio una centum indueret facies, pulcherrimam inter omnes ſemper intueri. In rebus ſecundò manifeſtè malis, ita evidentia notis, ut nullam patiantur excuſationem, ſaltem intentio excuſetur, cùm factum excludit omnem excuſationem. Et ſi etiam intentio excuſari nequeat, illam divino judicio relinquere ac ad nunquam compaſſionis affectum exuere. Illud cauſæ attribuendo, quæ factum ſemper magis extenuare poteſt: Ut ignorantiæ, infirmitati, inadvertentiæ, paſſioni vehementi, &c. Exemplo Chriſti Salvatoris noſtri, qui non potens excuſare omninò, & ex omni parte malitiam Judæorum, in morte ſua procuranda, illam extenuans quantum poteſt, ignorantiæ illorum attribuit. Sanctus Bernardus huic materiæ congruentiſſimè loquens. (S. Bern. ſerm. 40. in Cant.) *Etiamſi,* inquit, *perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes: Puta ignorantiam, puta ſurreptionem, puta caſum. Quòd ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat,*

sat, suade nihilominùs ipse tibi, & dicito: Vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem. Tertium est, considerare, quòd is, quem judicas, sit fortè Deo acceptior, & melior, quàm tu, majorque quàm tu, (si hanc à Deo obtinere potueris misericordiam,) futurus in regno cœlorum, & in gloria. *Charitas*, ait Sanctus Paulus, *non cogitat malum, nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Nolite judicare secundùm faciem, sed rectum judicium judicate.*

1.Cor.13.5.
1.Cor.4.5.
Ioan.7.24.

MEDITATIO XXXVIII.

De detractione.

I. Quantum Christiano sit detractio fugienda.
II. Quibus committitur modis.
III. Remedia contra illam.

Nolite detrahere alterutrum fratres, qui detrahit fratri, detrahit Legi, Jac. 4.11.

Fugias detractionem, ut venenum mortiferum, & scias, quòd is, qui detrahit fratri suo, Legi adversetur, eam eodem tempore condemnans. Quæ nihil majori curâ & sollicitudine vetat, quàm detractionem.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd detractio, quæ est vera, & quasi unica pestis omnis conversationis, debeat à Christiano esse longissimè elongata. Primò, quia hujusmodi detractores, suo veneno omnes conversationes inficientes, sunt Deo & hominibus odibiles. *Detractores*, ait Apostolus, *Deo odibiles.* Et Sapiens: *Abominatio hominum detractor. Acuerunt linguas suas*, inquit Psalmista, *sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.* Hujus ratio est, quia detractor unico linguæ venenosæ ictu, tria committit homicidia, quia occidit animam propriam, animam illius, qui audit, quæ sunt duo homicidia spiritualia, eò magis detestanda, & punienda, quò nocentiora. Et tandem tertiò, privat vita civili & honestate famæ eum, cui detrahit. Unde Sanctus Hieronymus: *Detractionis vitium multos lædit, tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in illud tamen, tanquam in extremum diaboli laqueum incidant.* Secundò, quia qui injustè suâ injustâ detractione, privat proximum bono famæ & vitæ civilis, præter peccatum gravissimum, quod perpetrat, obligatur tamen ad reparationem famæ nequiter ablatæ: Nemo porrò cœlum introibit bonis oneratus alienis. Inter autem bona externa, primum habet locum bona fama, quâ detractor manet oneratus, usque dum restituerit, aliàs non salvandus, sed igne consumendus inexstinguibili. *Si invicem*, ait Apostolus, *mordetis, & comeditis, videte, ne ab invicem consumamini.* Si ergò tantum sit malum, detrahere particulari, quantum

Rom.1.30.
Prov.24.9.
Psal.139.4.
S. Hier. epist. ad Celant.
Gal.5.15.

majus erit malum, detrahere Principi, Superiori, Episcopo, Regi, Imperatori, Summo Pontifici, &c. quod prô dolor! non ita ordinariè attenditur. Ob quod meritò Psalm. omnes hujusmodi redarguit. *Filii hominum, dentes eorũ arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Psal. 56. v. 5. *Sermo eorum*, inquit Apostolus suum discipulum monens, *ut cancer serpit.* 2 Tim. 2, v. 17. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Psal. 100. 5. *Multi sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Psal. 54. v. 22.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd detractio fieri queat directè, vel indirectè, idque quadrupliciter. Directè primò fit, alicui imponendo falsum crimen, quod non perpetravit. 2. crimen factum exaggerando, ut majus appareat & æstimetur. Tertiò, factum secretè patefaciendo. Et tandem, actiones alicujus, licèt non malas, sumendo & interpretando malè. Hisce quatuor modis directè fit detractio, & peccatum committitur grave, vel leve, pro gravitate vel levitate materiæ, personæ, & circumstantiarum. Indirectè detrahitur, perfectiones alicui debitas & inexistentes, negando, vel illas minuendo; aut dum forent propalandæ, eas dissimulando; vel si exprimantur, necessitate ad id urgente, illæ tantùm inadæquatè, ore, & sermone medio, non pleno illas, ut in se sunt, ore propalante. Et ultra hosce detractionis modos, superest alius eò periculosior, quò subtilior & cultior. Estque, dum quis, ut alicui liberiùs detrahat, præfationes varias præmittit, personæ laudativas, & ita per modum quasi compassionis, damni, & hujusmodi, descendit in detractiones venenosissimas.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, quæ sint huic periculosissimo morbo medendi remedia. Ac primum est, recogitare maxima damna, mala & incommoda, quæ ex hoc peccato detractionis proveniunt. Ob quod Sapiens seriò admonet & hortatur: *Remove*, ait, *à te, os pravum, & detrahentia labia sint procul à te.* Prov. 4. 44. Secundò, se ipsum examinare, & revocare in memoriam hæc Salvatoris nostri verba: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Ioh. 8. 7. Tertiò, detrahenti nunquam aurem præbere: *Quia detrahere, vel detrahentem audire*, inquit S. Bonaventura, *utrum gravius sit, penitus ignoro.* Quem in finem suadet Ecclesiasticus: *Sepi*, inquit, *aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras.* Eccl. 28. 28. Et contra ostendere, sermones hujusmodi famæ alienæ nocivos, sibi displicere; quia juxta verbum Sapientis, *ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*, Prov. 25. 23. modo meliore divertere detrahentem à suo sermone, aliud quippiam ingere, aut aliquid boni & laudabilis de persona cui detrahitur, si scivéris, simile quid in medium adferre, quia testimonio Scripturæ: *Si quis non offendit in verbo, is perfectus est.* Iac. 3. 2. Si illo vitio careas, Deo gratias referre non prætermittas, pro tali tibi specialiter collata gratia: *Mors*, siquidem inquit Sapiens, *& vita in manu linguæ.* Luc. 16. 41. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

MEDI-

MEDITATIO XXXIX.

De ira.

I. Rationes Christianos obligantes, iram vitare.
II. Quid sit ira?
III. Remedia contra iram.

Ego dico vobis, quòd omnis, qui irascitur fratri suo reus erit, Matth. 5. v. 22.

PUNCTUM I.

CONsidera primò rationes urgentes, quæ Christianum hominem obligant, iram vitare, & fugere. Primò, quia hujusmodi passio iræ, horribili modo corpus deformat, animam perturbat, nos nobis ipsis surripit & adimit, à cognitione veritatis avertit, nobis & proximis summa adferens incommoda. Ob hoc Spiritus S. nos sæpè monet, ne cum homine iracundo conversemur: *Noli*, inquit Sapiens, *esse amicus homini iracundo*. Huic Apostolus subscribens, ait: *Noli te contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Ne sis velox ad irascendum, ira enim in sinu stulti requiescit.* Et Ecclesiasticus: *Zelus*, inquit, *& iracundia minuunt dies.* Hoc vitium ex eo secundò vitandum est, & summè aversandum à quovis Christiani nominis amatore, quòd Deo summè displiceat, qui est Deus & amator pacis, inhabitans mentes quietas, ei pacis fœdere sociatas, non verò turbulentas, & iracundiæ fluctibus agitatas. *Non in commotione Deus.* Ob quod monet Apostolus: *Deponite iram*, inquit, *& indignationem de ore vestro. Servum bonum non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes docibilem, patientem. Factus est in pace locus ejus.*

Prov. 22. 24.
2. Tim. 2. 14.
Eccl. 7. 10.
Eccl. 30. 62.
3. Reg. 19. 11.
Coloss. 3. 8.
2. Tim. 2. 24.
Psal. 75. 3.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, iracundiam esse inordinatum appetitum, passionem, vel animi motum, quo quis intendit sumere vindictam de aliquo, à quo se existimat offensum, ita ut semper plus intercurrat falsæ imaginationis, quam veritatis. *Nemo enim*, juxta S. Chrysost. *læditur, nisi à se ipso.* Et hoc vitium eò est periculosius, quòd suâ caudâ trahat infinita alia peccata. Ob hoc vocat illud S. Gregorius, *januam omnium vitiorum.* Inde porrò originatur rancor, verba injuriosa, imprecationes, maledictiones, blasphemiæ, contentiones, indignationes, vultuositates, seu vultus & faciei detorsiones, & deformitates internæ perturbationis & deformitatis mentalis indices. *Admone*, inquit Apostolus ad suum discipulum Titum, *illos, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Homo* porrò *iracundus incendit litem. Cor hominis immutat faciem illius.* Vellesne momento te privare ratione? Hoc facis toties, quoties irâ accenderis, quoties furore iracundiæ agitaris, formam referens magis rugientis leonis, vel canis furentis, quàm hominis.

Tit. 3. 2.
Eccl. 28. 10.
Eccl. 13. 3.

PUNCTUM III.

COnsidera tertio media te à tàm detestabili eximendi vitio. Primum est, ut actus mansuetudinis elicias & frequentes. Secundum, ut nunquam quicquam loquaris, exequaris, jubeas, aut resolvas irâ præventus; verùm magis his omnibus subsedeas & exspectes

usque dum animus tuus omni iracundiæ excluso tumultu, quieti redditus perfectæ, pleno rationis usu, & judicio prudenti, cuncta sua, nullo interveniente impedimento, decernat. Ex eo, quòd homo iræ accensus igne, & idem excluso omni iracundiæ calore, quietus, sint duo homines, omninò inter se differentes, actiones quasi primo diversas principiantes. Tertium est, exortam iram subitò supprimere, nullâ illi, quocunque prætextu, concessâ morâ. Quartum est & potissimum, ad divinum confugere auxilium. Quibus omnibus suppositis, si adhuc animadvertas exoriri in animo tuo motus iræ, aut indignationis, illis suppressis continuò, actus mansuetudinis coneris exercere frequentes, maximè erga eos, qui te irritaverunt, sequens consilium Apostoli: *Da locum iræ, date locum iræ.* Et Sapientis: *Honor est*, inquit, *homini, qui separat se à contentionibus, omnes autem stulti miscentur contumeliis. Inter superbos semper sunt jurgia.* Unde benè Apostolus: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* In eo verò maximè laborandum, ut primi motus semper supprimantur. Vulneri porrò recenti faciliùs medela proficit. Nunquam autem reconciliatio solis occasum exspectabit, Apostolicæ doctrinæ conformiter: *Sol non occidat super iracundiam vestram. Ira viri justitiam Dei non operatur*, inquit Jacobus. Et Sapiens: *Fatuus*, ait, *statim indicat iram suam.*

Rom.12.19. Prov.20.3. Prov.13.10. 1.Cor.11.16. Eph.4.27. Iac.1.20. Prov.12.16.

MEDITATIO XL.

De acedia.

I. Quàm acedia sit homine indigna.
II. Quid sit acedia.
III. Quæ sit occupatio principalis hominis Christiani.

Homo nascitur ad laborem, & avis ad volandum, Job.5.7.

Volatus non est avi naturalior, quàm labor homini, illiq; non est hostis mortalior, quàm quies.

PUNCTUM I.

Considera primò, nihil esse homine rationali indignius reperiri, quàm acediam, & otiositatem. Primò, quòd homo ex prima sui institutione, creatus est duntaxat ad laborandum: *Posuit Deus Adam in paradiso, ut operaretur.* Et hæc fuit ejus pœna, post peccatum à Deo inflicta ipsi, ejusque omnibus posteris, dum illi Deus dixit: *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* Ex quo provenit, quod animadvertamus, creaturas omnes insensibiles alias, nobis dare documenta. Hinc Sapiens remittit nos ad formicas, ab illis ut informemur, fugere otiositatem: *Vade*, ait, *ad formicam, ô piger!* Secundo, quia Deo nihil magis displicet, quàm otiositas, & acedia. *Inutilem servum ejicite. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. Ut quid etiam terram occupat. Desideria*, inquit, Sapiens, *occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus ejus operari,*

Gen.2.15. Prov.6.6. Matt.25.30. Matt.7.19. Luc.13.7. Prov 21.24. & 28.

rari, totâ die concupiscit, & desiderat. Et Christus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet.* Cur enim Deus homini dedit corpus & animam, & omnes eorum facultates & potentias, nisi ut illæ applicentur.

Matt.11.12. Ioan.15.2. & 6.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd acedia & otiositas, non consistat tantùm in non operando, seu in nihil faciendo, sed etiam in eo, quòd quis facit illud, ad quod obligatur, negligenter & acediosè, vel in omni alio opere, quod quis facere & operari non debet. Ita suos Discipulos Christus arguit: *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* Et: *Lazarus amicus noster dormit, sed ego vado, ut à somno excitem eum. Maledictus, qui facit opus dei fraudulenter.* O quot inveniuntur hujusmodi acediosi, qui vel omninò aliud faciunt, quàm oporteat eos facere; vel qui sibi injuncta exequuntur negligenter? Non computaris inter hujusmodi negligentes, & dormitantes in actionibus suis? Hoc tibi maturè ponderandum est. Tua interest. Illud considerans Seneca: *Magna*, ajebat, *pars vitæ elabitur malè agentibus? Maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

Matt.26.40 Ioan.11. Ier.48.10. Senec.epist.2

PUNCTUM III.

Considera tertio, unicum Christiani hominis opus esse, operari opera salutis, & omnia purè opera sua, intentiones suæ salutis adipiscendæ aggredi, prosequi, & perficere eum oportere. Ita ut si alteri se rei occupet, ad salutem suam non pertinenti; aut si otiositanter, & cum negligentia opera peragat salutis, numero otiosorum & negligentium servorum inferetur, & infallibiliter projicietur in tenebras exteriores. Nullum tempus tibi ad otiandum aut perdendum datur: Omne momentum tibi debet esse pretiosum. Mors, nisi tuis accuratè intenderis, nullum patiens momentum transire vacuum à bono, decipiet te, tè aggrediens, dum minimè putabis. Æternitas est, pro qua decertatur: Illa pendet à quovis vitæ tuæ momento. Omnia vitæ Christi momenta, alium non habuerunt finem, nisi hunc. Estne vita tua melior, aut nobilior, quàm Christi vita? In quem finem operaberis, si non in hunc opereris? Tuane diriges opera ad aggregandas divitias? Ad domos exstruendas? Ad honores acquirendos? Ad tibi faciendum nomen magnum in terra? Nondum omnium horum vanitatem advertisti? Si te ipsum negligas & decipias, tu videris. Audi Apostolum, te, & omnes hortantem simul, & rogantem: *Rogamus*, ait, *vos fratres, ut abundetis magis, & ut negotium vestrum agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis. Dicendum cum Sancto*, inquit Sanctus Bernardus: *Anima mea in manibus meis semper. Elegimus potiùs ardere*

quam

1.Thess.4.11. S.Bern.ser. 3 in vig. nat. Dei.

quàm lædere; & sicut quod in manibus nostris tenemus, non facilè obliviscimur, sic nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. Eccl. 14. 5. *Qui sibi nequam est, cui bonus?* Idem S. Bern. *Quæso*, inquit idem S. Bernardus, *si tàm sollicitus es, si nec minima negligis, si tàm prudenter servas paleas tuas, etiam horreum tuum servare memento, imò verò non exponas thesaurum tuum, qui sic incubas sterquilinio. Thesauri nostri, animæ nostræ. Porrò unum est necessarium.* Luc. 10. 42. Hancne ergò facis resolutionem irrevocabilem, nihil operari inposterum, nisi Christiané, h. c. unicè in ordine ad salutem, quæ sola quærenda est. Matth. 12. 9. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* Unde hortatur Apostolus omnes seriò: Gal. 6. 10. *Dum*, inquit, *tempus habemus, operemur bonum. Venit enim nox, quando nemo potest operari.* Ioan. 9. 4.

MEDITATIO XLI.

De mediis generalibus non cadendi in peccata, sibi ipsi diffidere, hoc est suis naturalibus viribus.

I. Inter omnes salutis nostræ inimicos, nullus est periculosior, quàm nos ipsi, hoc est, propria nostra inclinatio.

II. Quale sit periculum, inclinationi propriæ servire.

III. Inter omnes actiones prędominanti maximè semper intendendum.

Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum, Os. 13. 9. *Perditio tua ex te Israël provenit, in me solum confidentia tua ponenda est.*

PUNCTUM I.

Considera primò, inter omnes salutis tuæ inimicos, non inveniri periculosiorem, quàm te ipsum; ut sit primum, quod ad divinam offensam vitandã, tibi adhibendũ est; est tibi ipsi summè diffidere, & tuæ vigilanter naturali inclinationi ac complexioni, inordinatâ naturæ corruptione, deordinatæ, & actuum deordinatorum usu & exercitio depravatæ invigilare. Attende ad omnia bona, quæ omisisti, & intende ad mala cuncta, quæ commisisti, animadvertes omnia hæc infortunia, & peccata nullam habere aliam originem, quàm peccatum, tuam naturam, naturalem inclinationem, & depravatos morum tuorum habitus, quos in præjudicium cœlestium inspirationum, & divinæ gratiæ motivum secutus es. Hoc volebat Salvator noster indicare, dum dicebat: *Inimici hominis domestici ejus.* Mich. 7. 6. Matt. 10. 36. *Omnes nos, quasi*, inquit Propheta Isaias, *oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, unusquisque in via sua erraverunt, non est qui salvet te.* Isa. 53. 6. Isa. 47. 15. Apertiùs illud expressit S. Jacob. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus.* Iac. v. 4. *Sensus enim & cogitatio hominis in malum prona sunt, ab adolescentia sua.* Gen. 8. 21. Et Sapiens: *Quasi bos*, ait, *ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut qui festinat ad laqueum, & nescit, quòd de periculo animæ illius agitur.* Prov. 22. 23. *Ita mulier adultera tergens os suum, dicit: Non sum operata malum.* Prov. 30. 20 Ita con-

concupiscentia cujusque seducit & decipit. Ut maneat verum verbum Veritatis: *Inimici hominis domestici ejus.* Et quis hoc crederet, nisi Veritas diceret? Et omninò aliter non est. Nemo in via salutis habet inimicum periculosiorem se ipso. Plusque nunquam tibi ipsi fidas, si non vis decipi & perire.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quàm sit periculosum, suas propriæ naturæ inclinationes naturales sequi, hoc est, motus naturales agere. Primò, quòd eâ ratione agendo, ubi nos existimamus nihil subesse mali aut peccaminosi; quia scrupulo nullo angimur, (naturâ suadente, nullam subesse malam intentionem, hujusmodi contingere duntaxat, non causa, aut temporis fallendi gratia.) Deus tamen non intermittit interim malum intueri; & oculi ejus sole clariores, vident imperfectum nostrũ eo majus quo minus illud nos animadvertimus. Cœci enim sumus, propriæ naturæ complacentię tenebris obruti. Unde quis non facilè hisce sese peccatis expedit resurgens, naturæ suæ blandimentis abstractus & illectus. Semper differt emendationem & resipiscentiam, ex eo quòd hujusmodi parvi pendat cœcutiente mentis oculo, hinc obstinatio, & talis oritur obduratio cordis, ut quis nequeat sese ab hujusmodi vitiis, & peccatis amplius retrahere, etiamsi vellet & conaretur in pœnam illius negligentiæ & affectatæ ignorantiæ, quâ noluit, dum potuit facilè se convertere. De quibus S. Apostolus: *Qui volunt*, inquit, *divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum* 1.Tim.6.9. *diaboli, & in desideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Idem sentit Zacharias Propheta: *Cor suum*, ait, *posuerunt ut adamantem, & facta est indignatio à Domino.* Zach.7.18. In principio sunt pura desideria volantia, inefficacia, & vellicates. At his dum non obviatur, inducunt effectus funestos, & exitus difficiles & omninò impossibiles. *Hoc est*, inquit Ecclesiasticus, *pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt, unde & corda filiorum implentur malitiâ, & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Eccl.9.3. *Impius* porrò, testimonio Sapientis, *cùm in profundum malorum venerit, contemnet.* Prov.18.3.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, inter omnes tuas inclinationes, habitudines, affectus, allectiones, & naturales affectiones, (si accuratè perpendas & recogites seriò,) invenies semper unam super omnes alias prædominari & prævalere; quæ origo est, & initium omnium vitæ tuæ deordinationum. Illiusque semper memineris, nunquam è thesauro recordationis excludens, quod affectio inordinata hujusmodi prædominans sit semper mortifera, aut ad quid mortiferum inclinans & inducens. Quia simplex & inordinata affectio & inclinatio, ad rem, etiam bonam, aut ad minùs quandoque indifferentem, omnes hujusmodi deordinationes vitæ hominis inducere potest, & totam vitiare & perturbare vitam cum omnibus actibus suis. *Quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.* Iob.13.12. *More tineæ*, inquit S. Gregorius, *carnem tentatio, de*

S. Greg. mor. 1 c. cap. 25. *quæ exit, consumit. In semetipso quippe habet homo, unde tentetur. Sciendum quoque, quòd tinea sine sonitu perforat vestimentum, & plerumque cogitatio ipsa transfigit mentem, ut mens ipsa non sentiat, nisi postquam fuerit ejus aculeo transfixa.* Te nunc inspice, & introspice in pleno lumine, excussis omnis propriæ complacentiæ nebulis, & vide, quæ in te inordinata prædominetur inclinatio. Estne fortè nimia ad studium & literas propensio? Vel fortè ad tuas delectatiunculas, & affectiunculas naturales in cibo & potu? Aut ad novitates intelligendas, ad superandas certas necessitates, tuis ut indulgeas commoditatibus? Aut ad hominum vanos favores, & laudes captandas? Aut ad aliud quicpiam, quod te vel retardet in via salutis, aut etiam planè deviare faciat? Roga Deum, & animo humili, & corde contrito roga, ut tibi det & tuos recognoscere defectus, affectiones à via virtutis deviantes; & cùm has perfectè ejus beneficio & gratiâ recognoveris, det & tibi ita super te intendere & invigilare, ut tuo nunquam fidas appetitui, nisi expurgato ab omni inordinatione quacunque. Ideò in hoc tibi laborandum est, pugnandumve, & violentia facienda, ut appetitus rectæ rationi subjectus, & obediens, in cunctis appetendis, nunquam à justitiæ regula declinet. Hoc porrò prætermisso, in nullo unquam virtutis profectu sumes augmentum. Matt. 11. 12. *Regnum cœlorum*, Veritate testante, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ideò egemus adjutorio divino, & S. Spiritus gratia. Ob hoc ait Christus Discipulis suis: *Expedit vobis,* Ioan. 16. 7. inquit, *ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Et rationem hujus insinuans S. Augustinus: *Si carni carnaliter*, inquit, *hæseritis, capaces spiritus non eritis: Non potestis capere spiritum, quamdiu secundùm carnem persistitis, non Christum, &c.* Et Apostolus: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Rom. 8. 13. Quàm autem sit difficile, ita carnem spiritui subjicere, ut omne quis evitet peccatum, Deus per suum Prophetam clarè manifestat: *Dixisti,* inquit, *absque peccato & innocens ego sum. Ecce, ego judicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccavi.* Ier. 2. 35.

MEDITATIO XLII.

Secundum medium peccati vitandi, est fugere societates malas.

I. Quàm societates malæ sint periculosæ.

II. Triplex genus personarum, quarum societas fugienda.

III. Quid facto opus, dum quis necessitate coactus, talibus interesse debet societatibus.

Fili, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, Prov. 1. 18.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quàm sint periculosæ societates malæ, eaque de causa Christiano summè fugiendæ. Hortante ad hoc Apostolo: *Denuntiamus,*

2.Thess.3. *tiamus*, inquit, *vobis, fratres, ut subtrahatis vos ab omni fratre, ambulante inordinatè.* Primò ex eo, quòd ordinariè tales evadimus, quales sunt, quibuscum conversamur. *Amicus stultorum, similis efficitur.* Qui frequentat hominem insensatum, vel reprobum, illi similis efficietur. Unde optimè S. Cyprianus: *Nemo*, inquit, *tutus est, periculo proximus.* Quia hæc sunt media efficacissima, quibus utitur diabolus, ad nos in peccatum inducendum, & attractiones potentissimæ, quas habet, ad animas seducendas, malorum conversationes, velut omnium malitiarum & perversitatum instrumenta. Quod eò illi meliùs succedit, quia nos naturaliter inclinamur ad malum. Hinc benè Psalmista: *Longè, inquit, à peccatoribus salus.* Si vis vitare offensam Dei, fuge malas societates. Illud est consilium Sapientis: *Ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Parum est, serpentis non sentire contagium, periculosum est, vel habere vicinum. Beatus vir*, inquit Psalmista, *qui non abiit in consilio impiorum.*

Prov.13.10. Psal.118.153. Prov.1.15. Psal.1.1.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, triplex esse personarum genus, quarum conversatio ut maximè nociva, & ad malum inductiva, tibi summè fugienda est. Primum est illarum, quæ impudenter & patenter gloriantur de malitia, quas pudet benè agere. De quibus S. Augustinus; *O contagiosa res, sodales mali, dum dicitur: Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.* Alii sunt, qui bonum dissuadent, irridentes bonum operantes, & sequentes, vocantes devotionis & pietatis actus, superstitiones. Alii tandem tertiò, se transfigurant in angelos lucis, sub specie boni, malum docentes, & sub prætextu specioso necessitatis, congruentiæ, & honestatis retrahentes à bono: *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem ejus abnegantes.* Hujusmodi loquuntur, qualesque sint, apud Sapientem declarant. *Venite*, inquiunt, *fruamur bonis, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Opprimamus pauperem, & non parcamus viduæ, circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Veni nobiscum, insidiemur sanguini, tendamus tendiculas contra insontem. Lætantur* porrò, *cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Unde S. Cyprianus: *Esse jam*, ait, *inter nocentes, innoxium, crimen est. Malos quisquis non imitatur, offendit.* Si modò te exactè examines, certus sum, quòd reperies omnes tuas totius vitæ deordinationes, casus & delicta non aliunde suam originem sumpsisse, quàm ex malis societatibus, quas frequentâsti.

Lib. 2. Confess. cap. 9. 2.Tim.3.5. Sap.2.6.8.10.& 12. Prov.1.11. Prov.21.14.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, dum necessitate coactus, interesse tali societati hominum, aut illis etiam cohabitare debebis: Impossibile siquidem est, quin quandoque in hujusmodi incidas. Alioquin, testante Apostolo: *De hoc mundo exisse debueratis.* Mun- 1.Cor.5.10

Mundus porrò bonos malis commixtos complectitur, non tibi sufficere debet, nullum referre damnum ex eorum sermonibus, operibus, exemplis & conversationibus, verùm magis allaborandum tibi erit, ut illi ex tuis exemplis, bonis sermonibus & factis fructum habeant, & proficiant, à malo se avertentes, in bonum conversi. Hisce verò ad hoc mediis potissimùm uteris. Primò, Deum & illorum Angelos bonos pro ipsis rogabis. Secundò, eos, dum te præsente peccabunt, Deum offendentes, admonebis cum omni charitate & mansuetudine, Apostolico conformiter consilio: *Fratres,* inquit, *si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Et Christi monito adhærens: *Si peccaverit in te frater tuus, argue illũ inter te & ipsum.* Fili, cavens à malo semper in omni conversatione sis irreprehensibilis. Sequens S. Apostoli Petri consilium & instructionem: *In omni conversatione*, inquit, *sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Hujus S. Job dedit exemplum vivum: *Et tu adhuc*, ajebat ejus uxor illum redarguens, *in simplicitate tua permanes? Benedic Deo, & morere.* Ille autem ait ad illam: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Ita in bono hic Sanctus inter malos constans perseverabat. Tu fac similiter inter malos positus, illorum malis nec consentias, nec faveas; verùm testeris hujusmodi tibi displicere, faciens distillari monita salutis ad instructionem, & etiam si opus fuerit, ac conducibile ad eorum confusionem, te ita geras inter eos, ut tua præsentia eos erubescere faciat, confundi & obmutescere. Hoc medio lucraberis fratrem tuum, juxta dictum Salvatoris, & præmium à S. Jacobo ex parte Dei promissum accipies: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum suorum.* Ita vult Christus quod nobis caveamus à malis: *Attendite à falsis Prophetis*, ait, *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos, &c.* ne cum illis malè faciamus, & ut illos, quantum in nobis est, ad bonum revocemus & convertamus. Existentes in omni loco bonus odor Christi, cum S. Paulo hoc omnibus suadente: *Christi bonus odor sumus,* inquit, *in omni loco, & iis, qui salvi fiunt, & iis, qui pereunt.*

Gal. 6. 1. — Matth. 18. 15. — 1. Petr. 1. 16. — Job. 2. 9. — Iac. 5. 20. — Matth. 7. 15. — 1. Cor. 2. 15.

MEDITATIO XLIII.

Tertium medium vitandi peccatum, est recordatio seria quatuor Novissimorum, & primò recogitatio mortis.

I. Quid sit mors, prima inter quatuor Novissima?

II. Quatuor formidabiles veritates fidei, de morte.

III. Cœcitas deflenda hominum, qui non recogitant de morte.

Memorare Novissima tua, & in æternum non peccabis, Eccl. 7. 40.

PUN-

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd primum, quod homini in fine vitæ suæ accidit, à Spiritu S. nobis, ut medium efficacissimum, quod habere possumus, ad peccatum omni ex parte vitandum & fugiendum datum, sit mors; quæ aliud nihil est, quàm separatio animæ à corpore, & privatio consecutivè omnium honorum & dignitatum, divitiarum universarum, voluptatum, & omnium hujus vitæ bonorum, nullo planè excepto: *Non posuisti*, inquit Dominus per Prophetam, *hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Memor esto*, inquit Ecclesiasticus, *quoniam mors non tardat. Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem.*

Isa. 47.7. 2. Reg. 14.14. Eccl. 14.12. Psal. 88.49.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò veritates quatuor formidabiles, quas fides nos docet de morte. Prima est, mortem esse certissimam & inevitabilem: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Ob Hoc monemur, ut vigilemus & simus semper parati: *Vigilate*, inquit, *nescitis enim quando Dominus veniat, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè? Ne, cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes: Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate.* Et: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Ergò, sicut Deus determinavit diem & horam nativitatis nostræ, & nostri in hunc mundum, & vallem miseriarum, incolatus, ita determinavit & diem, horam & momentum nostræ mortis, & discessus ex hoc mundo in locum æternitatis. Hoc Dei decretum summâ recipe reverentiâ, duntaxat esto vigil subcustodia tua. Secunda veritas tibi maturè ponderanda est, quòd mors omninò nobis incerta est, quò ad horam, quò ad modum, quò ad locum, & quò ad omnes suas circumstantias; quia nescimus, an hac horâ, hac die, hac septimanâ, hoc mense, hoc anno, & an hoc, vel alio in loco, an in lecto, in aquis, aut alibi, an illa sit futura naturalis, an violenta, an honorifica, an ignominiosa, an in statu gratiæ, an in statu disgratiæ, serò, an meridie, an galli cantu: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Dies domini*, inquit Apostolus, *sicut fur in nocte, ita veniet; cùm enim dixerint pax & securitas, repentinus eis superveniet interitus.* Hanc veritatem, ex hoc instanti, de morte in thesauris divinæ sapientiæ reconditam, hoc momento, cum animi resignatione acceptâ, te omninò divinæ resignans voluntati, illam in omnibus suis dispositionibus non fallentem, laudans, honorans & amans. Quia sola recta, & propter se amabilis; ama illam, ut ab amore ejus nunquam excidas, sic nec à gratia excides, nec à vera vita. Tertia veritas semper ob oculos habenda, est, quòd mors tunc veniat, cùm ordinariè minùs de illa cogitamus; sæpè nos imparatos reperiens, ut Dominus dicit in Apoc. *Ecce venio sicut fur, beatus qui vigilat. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, sic erit adventus filii hominis.* Ita subitò, ita insperatò, ita inopinatò veniet. Quarta veritas profundiùs penetranda, & meditanda frequentiùs, est, quòd mors homini duntaxat semel accidat. Semel mori oportet.

Hebr. 9.27. Marc. 13.35. & seq. Matth. 25.13. Matt. 25.13. 2. Thess. 3.5. Apoc. 16.15. Matt. 24.27

Unde damnum malâ morte illatum, nunquam eſt reparabile, & bonum ac commodum morte bonâ adeptum, nunquam amiſſibile, æternale eſt, ſecurum eſt, certum eſt. Illud formidabile momentum eſt, à quo dependet æternum bonum, vel æternum malum; æternum gaudium, vel æternum Væ. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* *Rex hodie eſt, & cras morietur: Cùm morietur homo, hæreditabit ſerpentes, beſtias, & vermes.*

Eccl. 11. 9. Eccl. 11. 12. 13

PUNCTUM III.

Admirare extremam hominum cœcitatem, ita tranſitoriis adhærentium vanitatibus, quibus omnibus morte adveniente eò difficiliùs & majori ſuâ ſpoliantur pœnâ, quò magis illis afficiebantur, viventes, ac ſi nunquam morituri. O oblivio formidabilis, verè compaſſione digna! O ſtatus omninò periculoſus, & damnabilis! Hos cave, ne imiteris. Verùm, dum tempus habemus, ſeriosè cogita bonum operari. Fac fructus dignos pœnitentiæ, ſine dilatione, virtutem ſequere, opera ſalutem tuam, priuſquàm lychnus mortalitatis tuæ exſtinguatur. Et pro hujus diei praxi, ac omnium, quibus inter mortales vita datur tibi frui mortali, exercitia & opera tua ita perfice, ac ſi forent ultima ad judicium, vel præmiationis, vel damnationis deductura, ut mors te imparatum non inveniat. *Sicut in diebus Noë, ita erit adventus Filii hominis: Sicut enim erant in diebus Noë ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo Noë, intravit in arcam; & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit. Ita erit & adventus Filii hominis.* *Si enim*, inquit Chriſtus, *non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, quâ horâ veniam.* Ex quo optimè S. Auguſtinus: Latet ultimus dies, ùt obſerventur omnes dies. Hoc apprehendens Eſau, fratri dicebat: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Mors omnibus privat.

Matt. 24. 37. & ſeq. Apoc. 3. 3. Gen. 25. 31.

MEDITATIO XLIV.

De morte malorum.

I. Tria reddunt mortem malorum peſſimam, primum eſt conſideratio præteritorum.
II. Conſideratio præſentium.
III. Exſpectatio futurorum.

Mors peccatorum peſſima.

PUNCTUM I.

Tibi ob oculos pone accuratè conſiderandum hominem peccatorem, mediâ morte tranſeuntem ex temporaneitate ad æternitatem: Qui à Deo derelictus, à Virgine beatiſſima, unica morientium poſt Chriſtum filium ſuum dilectiſſimum, conſolatrice, deſertus, à bonis angelis, & Sanctis omnibus abjectus, magnâ dœmo-

dœmonum catervâ circumdatus, suorum peccatorum fœtore abominandus, in desperationem actus, horrore ac dolore indicibili miserrimam animam efflare cogitur, pœnis æternis in inferno cruciandam. O exitus execrabilis! O introitus maledictus omnium maledictionum inductivus, nullis unquam in omnem æternitatem temperandus solatiis & benedictionibus. Ex quo, testante Prophetâ, *angeli pacis amarè flebunt*. Isa. 33. 7.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd recordatio præteritorum, præsentium consideratio, & futurorum promissio, horum mortem reddat pessimam simul & amarissimam. Videntes porrò se morti proximos, nullo dilationis concesso vel momento, revocantes in memoriam suarum voluptatum & delitiarum vanitatem, quæ velut fumus transierunt torquentes corda eorum. Ad hæc turbabuntur timore horribili, dum obversabuntur illis ob oculos mentis enormia peccata sua, nullo digno fructu pœnitentiæ deleta. Econverso nulla vel paucissima apparebunt bona opera, in toto vitæ suæ decursu facta. Eaque peccatorum tot commissorum veneno mortificata, desolationem extremam, consolationem nullam adferentia, accedent infinitarum gratiarum sibi oblatarum neglectus & contemptus, eos vehementer cruciantes; perditio sui temporis tàm pretiosi, ad meritum sibi concessi, nunquam redituri, eos in desperationem aget, non eriget in spem & confidentiam. Secundò, præsentes cruciatus, pressuræ, & dolores vehementissimi, quibus miserum corpus torquebitur, non aberunt inconsolabiles tristitiæ, tœdia insupportabilia, desolationes desperabundæ obruent, ac vehementissimâ quadam confusione confundent animam; quæ se ad tantam redigi animadvertet miseriam, se necessariò separandam ab omni eo, cui tanto inhærebat & adhærebat affectu. Gehennam illi causabit terribilem charorum, quibus convivebat, desertio, delitiarum, quibus ita inhiabat, privatio, divitiarum, in quibus gloriabatur, ademptio, omnium denique rerum, quibus erat ita conglutinatus, amissio perpetua, sine ulla spe ulterioris in omnem æternitatem, boni cujuscunque vel minimum. Ut exclamare cogatur cum impiissimo Agag. O Væ! *Siccine separat amara mors?* 1. Reg. 15. 33. Cogitatio futurorum incutiet illi terrorem vehementissimum, discedit porrò iturus in patriam sibi incognitam, in qua omnes sibi inimicos inveniet, amicos nullos. Primus erit Deus, & Salvator Christus Jesus, Judex justissimus, nullâ ratione flexibilis, Angelum suum Custodem paratum inveniet, sibi litem indicentem, querelasque contra se deponentem apud Christum Judicem, vehementes, qui verò sui patrocinium suscipiat, inveniet neminem, animadvertet dœmones sibi

sibi

sibi insultantes, & exultantes in sua damnatione jamjam paratos eum pertrahere in infernum, pœnarum æternitatem ante oculos suos intuebitur. O Deus omnipotens, quales hæ sunt extremitates? Quales miseriæ? Quales desolationes? Justè talis ingemiscere poterit cum superbissimo Rege Antio-
1.Macc. 6.11 cho, dicens: *O in quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram & dilectus in potestate mea, in meis delitiis & voluptatibus, nunc verò reminiscor eorum malorum, quæ feci in Jerusalem.* Hoc est, in anima mea, unde & abstuli omnia spolia aurea bonorum operum, charitatis auro deauratorum, & argentea, argento spei & aliarum virtutum deargentatorum; ita ut omnibus spoliata bonis, & cunctis repleta malis, malorum societati aggregata æternaliter, descendat nunc in lacum miseriarum, perpetuò crucianda. Si jam diu mortuus fuissem, non in tali fortè me statu mors invenisset! Jam verum Sapientis dictum: Agnoscentes perversi hujus-
Sap.4.20. modi, *venient in cogitationes peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitatis ipsorum.* Hinc convicti apud eundem, fatebuntur nihil ipsis profuisse omnia transitoria, quibus nimiùm inhiabant & adhære-
Sap.5.8.9. bant: *Quid nobis,* inquiunt, *profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid*
Apoc.10.7. *contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius*
Psal.108.6. *percurrens. Tempus non erit amplius. Diabolus stat à dextris ejus,* inquit Psal-
Matt.24.29 mista. *Sol,* inquit Salvator, *obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Nullæ siquidem ampliùs Solis Justitiæ illustrationes erunt exspectandæ, ad bonum cognoscendum & fruendum, vel ad malum declinandum. Ad hæc optimè S.Augustinus: *Mortem timetis,* S.Aug. fusè lib. de discipl. Christ. cap. 11. & 12.
quare non cavetis? Illud potiùs time, quod si nolis, non erit: Peccare time, quia si amaveris peccata, in aliam mortem irrues, quò posses non venire, si non amares peccare. Mori malè times, malè vivere non times, corrige malè vivere, time malè mori.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, quòd magna sit gratia ac favor, quem Deus alicui concedit, sanctissimis Sacramentis ante mortem præmuniri, ac magna cum devotione & resignatione mortem acceptare. Hujusmodi tamen mortes & transitus ex hac vita, non semper sunt securiores ad salutem, ut videntur, adipiscendam, ex eo, quòd sæpè, qui differt devotionis, humilitatis, pœnitentiæ, & aliarum virtutum exempla, usque ad mortem tardiùs exspectat, oleum in adventu Sponsi, apud vendentes cum fatuis virginibus requirere cogitur, illique, dum venit, clausa est janua. Si non majores intendis acquirere virtutes, quàm habes, timendum tibi est, ne audire debeas: *Nunquid colligunt de spinis* Matt.7.16.
uvas, aut de tribulis ficus? Si vis, inquit S.Augustinus, *agere pœnitentiam, tunc,* S. Aug. lib. 50. hom. 45.
quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Unde in Apocalypsi habens modicam virtutem, reprehenditur, quòd non inveniantur in eo opera plena coram Deo. *Non,* inquit, Apoc.3.2.&
invenio opera tua plena coram Deo meo. 8.
Cujus rationem reddit: *Quia modicam,*

ait,

ait, *virtutem habes.* Ideò tali mors est amara, Ecclesiastico teste: *O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis.* Non differenda itaque est pœnitentia, aut virtutum exercitium, usque ad horam mortis. *Pœnitentia enim*, juxta S. Augustinum, *quæ ab infirmo petitur, infirma est, & pœnitentia, quæ à moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.*

Eccl. 41. 10.

S. Aug. serm. 77. de temp.

MEDITATIO XLV.

De morte Justorum.

I. Quid in morte Justorum accidat.

II. Cur mors Justorum pretiosa dicitur.

III. Media obtinendi bonam mortem.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, Psal. 118. 15.

PUNCTUM I.

Considera primò hominem justum decumbentem in lectulo mortis, & defunctionis suæ, in eoque perspice omnia adinveniri contraria iis, quæ acciderunt, ut meditatione præcedenti innotuit, decedenti injusto & peccatori. Hunc Deus rejiciebat, illum invitat & recipit, injustum & peccatorem Virgo beatissima aversabatur; justum diligit & adjuvat, sancti Angeli Dei hanc animam defendunt, bonum ejus promoventes apud Deum, ne adversarius audeat appropinquare tabernaculo ejus. Hinc proinde exultabundus, & laudans hanc mortalitatem relinquit coronâ immortalitatis donandus. Sidera comitatu honoratus angelico, petens, introducitur in potentias Domini omnibus bonis æternaliter perfruiturus. Ecce Justorum & in gratia decedentium felicitas, conditio & status desiderabilis!

PUNCTUM II.

Considera secundò, cùm mors Justorum pretiosa dicatur, nulli omninò postponenda pretio & æstimationi: *quia omne aurum in comparatione illius arena exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* *Sap. 7. v. 9.*
Primò, dicitur mors Justorum pretiosa, quia finis laborum est, & quietis initium securæ, transitus à morte ad vitam, & corruptione ad incorruptibilitatem. Secundò, quia omne destruit peccatum, ardorem exstinguit rebellionis, carnem perfectè subjicit spiritui, lege membrorum sublatâ, sola mentis & spiritus lex immaculata omnem maculam excludens dominatur passionum inordinatarum pugnâ sopitâ, status acquiritur pacificus, quo soli servitur Deo, adhæretur Deo, in Deo omnia possidentur. Tali Salvator noster aspectu illum respiciens gratioso, & affectu amplectens amoroso, obviam mirâ venit dignatione, coronâ gloriæ & honoris illum coronans; ut qui multis fuit repletus miseriis, omnibus abundet delitiis. *Homo* porrò *natus de muliere*, testimonio Job, *multis repletur miseriis.* Ideò conquerens Apostolus: *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hinc optimè Aquila Evangelica: *Beati*, inquit, *qui in Domino moriuntur, amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* O quàm verum est, mortem Justorum esse pretiosam in conspectu Domini, coram angelis & hominibus.

Iob. 14. 1.

Rom. 7. 24.

Apoc. 14. 13.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, quæ media sint optima mortem sortiendi bonam, optimum, & efficacissimum omnium, sine quo omnia alia, quæcunque tandem proponi queant, nulla sunt, supervacaneæ occupationes, & inutiles actiones, est vitam virtuosam, irreprehensibilem, & sanctam ducere, ambulando cum Zacharia & Elisabetha in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Ut porrò quis moriatur morte Justorum, debet vivere vitâ Justorum. Hoc est: Debet se in omni bonorum operum exercitio exercuisse, virtutum omnium exercitationes probâsse ac subiisse, omnia peccata vel vitâsse, vel pœnitentiâ diluisse condignâ. Est siquidem abusus magnus, imò summa dementia & cœcitas, putare, posse in hora mortis reperiri orationes fervidas, confessiones validas, fructuosas communiones, jejunia, humilitatis actus, patientiæ, mansuetudinis, & obedientiæ exhibitiones, fidei, spei, charitatis, & aliarum virtutum actiones, quæ sunt dispositiones & causæ mortis bonæ & felicis, quas quis vitæ suæ decursu non frequentâsset & exercuisset. Prout foret summa agricolæ stultitia, quærere in agro triticum aut frumentum, quod non seminâsset: *Nunquid*, inquit Christus, *colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* Matt. 7. 16. *Moriatur anima mea morte Justorum.* Num. 23. 20. Instanter deprecare & roga Deum, pro hac felici hora impetranda, meritis Virginis beatissimæ, omnia tibi impetrare potentis, ac specialissimè, hoc ultimi agonis momento, illi hac intentione offeras certas omni die preces, ut Lytanias in ejus honorem concinnatas, vel alias ab Ecclesia illi offerri solitas preces, ad hanc, ut ad piissimam matrem recurrendo: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.* Ac tali in statu omni die vesperi esse coneris, in quo velles in hora mortis inveniri. *Timenti* siquidem *Dominum, benè erit, & in diebus consummationis illius benedicetur.* Eccl. 1. 19. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. 11. 3.

MEDITATIO XLVI.

De judicio particulari.

I. Judicium sequitur mortem.
II. Quàm sit judicium exactum & rigorosum.
III. Quàm sit timendum.

Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem judicium, Hebr. 9. v. 27.

PUNCTUM I.

Considera primò, homine mortuo, anima continuò, nullâ interpositâ morâ, sistitur Dei judicio, in quo omnium à se commissorum, aut omissorum stricta exigitur ratio, à tempore ejus usus rationis, nihil omninò inexaminatum relinquitur, momenta singula numerantur, cogitationes omnes, verba universa, & omnes omninò, nullâ demptâ, actiones, districtè discutiuntur: *Omnes enim nos opor-*

oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, sive bonum, sive malum. Esto ergò semper sub custodia tua, ne inveniaris imparatus ad respondendum, ne succumbaris in judicio.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quàm hic computus sit exactus, severus, & formidabilis. Porrò est omnium primò cogitationum, verborum, & operum universorum, etiam vel minimorum, quæ alicui venire queant in cogitationem. Exigetur secundò ratio & computus bonorum omnium & naturæ, & gratiæ, quæ à Deo data sunt, sive corporis functiones, sive animæ exercitationes concernant. Omnium siquidem membrorum corporis usus, seu abusus, ac animæ facultatum profectus vel defectus, in discussionem venient. Omnium denique creaturarum exhibita servitia, utilitates, & commoda, inspirationes universæ, omnes instructiones, afflictiones, exempla bona, seu mala, consolationes, & solatia trahentur in judicium. Tertiò, non solùm quis suorum rationem reddet peccatorum, sed & omnium sibi subjectorum, seu quavis ratione se concernentium, pro momentis vitæ singulis, circumstantiis, occasionibus, & motivis. Quartò, ratio exigetur rigorosissima, non solùm cogitationum, verborum, & actionum malarum, sed & bonarum, intentiones, motiva, & fines perscrutando, ex quibus processerint, testante Psalmistâ: *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Ego justitias judicabo, hoc est, rationes, ob quas fiant orationes, jejunia frequententur, eleemosynæ dentur, comuniones recipiantur, Missæ Sacrificia celebrentur, vel audiantur, Sacramenta administrentur. Quâ nempe mentis puritate, quâ fide & charitate, ac quibus aliis reliquis comitantibus requisitis, & necessariis conditionibus, vel in minimo etiam à recto deflectentibus. Tuas, quas exequeris operationes, an suis omnibus sint numeris absolutæ, considera. Te Ecclesiasticus adhortatur: *Ante judicium*, inquit, *interroga te ipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem.* Et alibi: *Memor esto judicii mei. Sic enim erit tuum: Mihi heri, & tibi hodie. Scitote esse*, inquit S. Job, *judicium, veritatas enim non decipit, quia cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.* Christus illud apertiùs expressit, Matth. 12. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem.* Hujus in facto exhibitum exemplum, vide Luc. 16. dum dives villicum suum urgens, ait: *Redde rationem villicationis tuæ.* Id considerans Sanctus Job: *Si lotus*, inquit, *fuero, quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me.* In oculis hominum mundissima apparentia, in oculis DEI, sordidissima sæpè sunt,

Psal. 74. 3.
Eccl. 18. 2.
Eccl 38. 23.
Iob. 19. 29.
Eccl. 12. 14.
Matt. 12. 36.
Luc. 16. 2.
Iob. 9. 30. 31.

1.Reg.16.7. quia homo in suo judicio fallitur, Deus autem non fallitur: *Non enim*, inquit, *juxta intuitum hominis ego judico.* S. S.Bern. epist. 1. Bernardus: *Quid faciet Deus de injustis judiciis, qui ipsas justitias judicabit?* Juxta Sap.2.12. illud: *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* O quot tunc apperebunt actiones malæ, & magnis insperfæ maculis, quæ perfectæ, laudabiles, & sanctæ reputabantur? 2.Cor.10.18. *Non enim qui se ipsum commendat*, superficialiter & extrinsecè duntaxat bonus, *ille probatus est, sed quem Deus commendat*, substantialiter & intrinsecè bonus & perfectus, *ille probatus est.* Nunquam, si ita permanserit, reprobandus.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, hunc computum, seu computationem esse summè formidandam. Primò, quia fit à Judice, qui infinitè est sapiens, quem nihil latere potest, inexorabilis, & supremus, à quo non datur appellatio. Secundò, quia ex accurata hujus computationis calculatione felicitas, vel infelicitas æternitatis dependet, ac in momento sententia pronuntiata, executioni mandatur. Quæris medium infallibile hujus judicii rigorem & destructionem evadendi? Te ipsum accuratè dijudica, & alium neminem. Hujus judicii rigorem ponderans S.Bernardus, exclamat: *Quid erit in Babilone, ait, tutum, si tale Jerusalem manet scrutinium?* Ejusdem terrore judicii percussus Job: *Quid*, inquit, *faciam*, Iob.31.14.23 *cùm surrexerit ad judicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* Et ibidem subjungit: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui, Deum & pondus ejus ferre non potui.* Loquitur Deus: *Quis*, inquit, *resistere poterit vultui meo?* Iob.41.1. Unde benè Sapiens: *Pondus & statera judicia Domini sunt, non acquiescet cujusquam precibus. Ego*, inquit, *Dominus, & non mutor.* Prov.15.11. Prov.6.33. Malach.2.6. Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. Audi Salvatorem in Evangelio: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Luc.6.37. Huic si acquieveris consilio, judicari à Domino juxta tenorem & rigorem legis requirere poteris. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 1.Cor.11.31.

MEDITATIO XLVII.

De inferno.

I. Locus inferni.
II. Pœnæ ibidem luendæ.
III. Earum æternitas.

Descendunt in infernum viventes, Psal. 54.16.

Descende seriâ meditatione in infernum, attentèque considera, & circumspice quæcunque ibi aguntur, reperiuntur, & patiuntur: Quia melius est, & salubrius est eò descendere in vita, ne quis eò post mortem descendere cogatur.

PUNCTUM I.

CONsidera primò locum, quid sit? Infernus est carcer divinæ justitiæ, in centro terræ situatus, plenus ardentibus flammis, aliisque infinitis & violentissimis tormentis & cruciatibus. Carcer obscurissimus, quò nullus unquam luminis radius pertingit aut penetrat vel minimus, solatium allaturus vel minimum. Ipsemet ignis ibidem urens vehemen-

hementissimè, & magis quàm concipi, ne dicam exprimi queat, nihil omninò lucet. Strictissimus carcer, in quo damnati comprimuntur, & unus super alterum compacti sunt in flammis, ut lateres in fornace, vel ut halleces in doleo, se nullâ ratione vertere, aut movere potentes. Carcer repletus infectionibus venenosis, & fœtoribus intolerabilibus. O quale tormentum, qualis tortura, quales cruciatus! esse semper & permanere in loco obscurissimo, omni planè lumine privato, strictissimo, suis præfocante fœtoribus, infectionibus molestissimis & gravissimis inficiente, & omni tormentorum genere æternaliter, nullâ unquam interjectâ relaxationis morâ vel minimâ, cruciante. Appel-
Iob.10.21.22 latur Infernus apud S. Job: *Terra tenebrosa, & operta mortis caligine, terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror in-*
Psal. 20.10. *habitat.* *Pones eos,* inquit Psalmista, *ut*
Isa.24.22. *clibanum ignis.* Et propheta: *Congregabuntur in congregatione unius fascis in locum, & claudentur ibi in carcere.* Ideò
Isa.33.14. peccatores interrogans: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Aut quis habitabit ex vobis cum ardori-*
Isa.66.24. *bus sempiternis? Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis om-*
Isa.26.10. *ni carni.* Et: *Non videbit,* ait, *gloriam Domini.* Ita omninò ait Psalmista: *In*
Psal.48.20. *æternum non videbit lumen. Famem patientur ut canes.* De potu eorum cupis
Psal.58.7. audire? *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc,*
Psal.74.9. *veruntamen fæx ejus non est exinanita,*
Deut.32.33. *bibent omnes peccatores. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Pluribusne eges motivis, ut declines à malo? Nunquid Christus Jesus Salvator noster dixit: *Timete eum,* Matt.10.28 Luc.12.5.
qui potest animam & corpus perdere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quotuplices in inferno damnati pœnas patiantur. Hæ pœnæ duplicis generis sunt, utpotè pœnæ damni, & pœnæ sensus. Pœna damni consistit in privatione boni infiniti, quod est Deus ipse omnium Beatorum summa felicitas, summum bonum, & unica quies. Hujus Summi Boni in damnatis privatio, tristitias inexplicabiles causabit, desolationes inducet amarissimas, suspiria trahet ex imo cordis frequentissima, illis nihil, nisi ad majus tormentum profutura, in desperationem acti, odiis furiosissimis replebuntur, quia omnia illis erunt odiosa, & bona, & mala, & ex omnibus illis causa tristitiæ desperabundæ, & omnium indicibilium amaritudinum occasio orie-
tur. *Vermis eorum non morietur, quærent* Isa.66.24.
homines tunc mortem, & non invenient Apoc.9.9.
eam, desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Quia bonum eis fuisset, si nati non fuissent. O Væ! O Væ! O Væ inconceptibile! O æternum Væ! Pœnæ sensus, hoc est, quæ corpus cruciabunt, erunt ita excessivæ & intolerabiles, quod morbi omnes acutissimi, qui nos hac in valle miseriarum affligunt. Cujusmodi sunt dolores dentium, hemicrania, podagra, calculus, cholica, & hujus generis alii morbi, & infirmitates, umbræ duntaxat dolorum, non, respectu eorum, qui in inferno infliguntur,

veri dolores. Et illi nihilominùs nobis si sint vel unius diei spatio tolerandi, in quem nos non statum deducunt? Quid ergò faceremus, si omnes simul forent tolerandi anno integro? Non anno duntaxat integro damnati privabuntur fruitione Dei, verùm in omnem æternitatem non videbunt Deum, non amabunt Deum, Deum non laudabunt. At illi maledicent eum, blasphemabunt æternaliter. Ac insuper, *cruciabuntur die ac nocte, in sæcula sæculorum:*
Apoc.20.10. *Ignis eorum non extinguetur.* Verè queunt cum Psalmista dicere: *Sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.*
Psal 76.19. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Ob hoc Propheta Re-
Psal.48.15. gius, vitandum ait: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non*
Psal.76.5.6. *sum locutus, cogitavi dies antiquos, & annos æternos, in mente habui.* Siqui-
2.Thess.1.9. dem Apostoli testimonio: *Dabunt pœnas in interitu æternas, à facie Do-*
2.Cor.5.11. *mini.* Ideò idem: *Scientes ergò*, inquit, *timorem Domini hominibus suademus.* Quid, O Apostole sancte suades hominibus? *Vt cum metu &*
Philip.2.14. *tremore salutem vestram operemini.* Hisce porrò omnibus de inferno ejusque pœnis perceptis, si quis non moveatur omnes suas exercere vires, & possibilem adhibere diligentiam & conatum, ut hujusmodi evadat, hic desipit, & intelligentia in eo non est.

PVNCTVM III.

CONsidera tertiò, quod in hisce pœnis formidabiliùs est, ac horribiliùs, earum sit æternitas, hoc est, quòd nunquam finem habebunt; ita ut postquam millenis millionibus annorum, illas passi fuerint damnati, nihil adhuc passi sint; quia semper incipiendum est. Tormenta porrò damnatorum tamdiu durabunt, quamdiu Deus erit. *In æternum Domine, omnia judicia justitiæ tuæ.* Psal.118.160 Nihil plus meruisti, quàm hunc infernum. Et certè credere debes, multos eo in loco positos, qui minùs quàm tu peccaverunt, Deumque minùs offenderunt, quàm tu. Recogita nunc, illi si liberarentur, rursus ne eò redirent, quid facerent, aut facere deberent? Et ex hoc judica & conclude, quid te facere oporteat. Optimum medium & consilium dat tibi Sapiens? *Quodcunque facere*, inquit, *potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Eccl.9.20.

De unico remedio à Deo dato, à peccato resurgendi, quod non est aliud nisi pœnitentia.

MEDITATIO XLVIII.

De necessitate pœnitentiæ.

I. Divina bonitas providens nobis remedium pœnitentię à peccato resurgendi.

II. Pœnitentiæ necessitas relapsis in mortale.

III. Necessitas pœnitentiæ, etiam Justis.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum, 1.Joan.2.10.

PVN-

PUNCTUM I.

CONsidera primò summam Dei erga nos Bonitatem, qui nostram probè recognoscens fragilitatem, noluerit nos sine remedio relinquere opportuno, casu quo, quovis modo promissiones factas in Baptismo violaremus, ac ei fidelitatem non servaremus promissam. Hoc autem remedium ita nobis post relapsum necessarium, & salutare, aliud non est, quàm pœnitentia, à SS. Patribus, eam ob causam, dicta *secunda post naufragium tabula*, estque velut Baptismi quædam species, quò ad hoc, quòd eâ mediante regeneremur in Christo, velut parvuli in innocentia. Habet porrò vim ex se, si sit vera & efficax, innocentiam per peccatum deperditam, recuperandi, eâ ratione, quasi nunquam deperditam, imò novo semper incremento auctam. Appellatur *Baptismus laboriosus, major ac potentior Baptismate, post Baptismum. (Etsi audax dictum videatur,) fons lachrymarum est: Illud enim præcedentia nostra delicta purgavit.* Hoc verò posteriora. *Atque illud quidem ab infantia acceptum, inquinamus; per hoc autem & illud repurgamus, quod nisi divino munere datum esset hominibus, rarissimi omninò, qui salvarentur, inveniri potuissent.* (S. Climacus Scal. Pad. 7.) Deum ergò ob hoc tantum beneficium, gratiam, & favorem, tibi tàm benignè concessum, lauda, summas ei pro remedio tàm opportuno, gratias referas, nunquam ab ejus laudibus recedens, vel cessans.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò hujus pœnitentiæ necessitatem, respectu eorum, qui in peccatum mortale lapsi sunt Hæc melius fieri, aut recognosci nequit, quàm ex verbis Christi, Salvatoris nostri, ita absolutis & expressis, ut non alio modo credamus Baptismum, & sacratissimam Eucharistiam. Sicut porrò dixit de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* (Ioan. 3. 5.) Et de Eucharistia: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* (Ioan. 6. 54.) Ita & dixit de Pœnitentia: *Nisi pœnitentiam habueritis, &c.* (Luc. 13. 3. 5.) Et paulò infrà: *Si non pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Ita ut sit articulus & veritas fidei, quòd sine pœnitentia paradisum & gloriam cœlestem prætendere potest nemo: *Nisi conversi fueritis*, inquit Salvator, *& efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* (Matt. 18. 3.) *Non patitur*, ait Chrysostomus, *Deus exiguæ etiam pœnitentiæ amitti mercedem.* (Chrys. epist. ad Theod.) Pœnitentia ergò peccatoribus est necessaria, ad novam in Christo regenerationem, & salutis assecutionem.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, quòd per pœnitentiam in præsenti aliud non est, quàm virtus, quâ ad Deum, ex toto corde convertimur, peccata præterita detestantes, præsentia ne fiant, caventes, & futura firmo vitæ melioris instituendæ proposito, cum efficaci divinæ justitiæ satisfaciendi, desiderio, omninò vitantes. *Contritio, est conversio, & à perversitate, atque inordinatione animi, & ad debitum ordi-*

ordinem conveniens dispositio, Guilielmo Parisiensi definiente, virtus est, ad quam omnes Christiani, imò homines universi obligantur, tàm justi, quàm peccatores, cùm nemo sit, qui non peccet. Ex quo Apostolus, nullâ factâ limitatione: *Omnes*, ait, *ubique agant pœnitentiam. Non est homo, qui non peccet.* Unde benè Tridentinum ait, vitam Christianorum esse continuam pœnitentiam. Et Propheta: *Si impius*, ait, *egerit pœnitentiam, vivet, & non morietur, omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur. Si verò pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.* Conare ergò hanc necessitatem accuratè ponderare, & penitùs introspicere, hanc veritatem menti tuæ medullitùs imprimere allabora. Et si desideres hujus virtutis pœnitentiæ exercendæ modum, est hic optimus suorum dolorem & contritionem peccatorum in se excitare, intentione sese humiliandi, zelo justitiæ divinæ multipliciter læsæ satisfaciendi. Conare ergò actus hujusmodi die hodiernâ ferventiùs exercere, eosque crebriùs frequentare.

Act. 17.30. 3. *Reg.* 1. & 2. *Paral.* 6. 46. 36. *Ezech.* 33. 14 15. & *seqq.* *Eccl.* 2. 22.

MEDITATIO XLIX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. Necessitas Pœnitentię Sacramenti.
II. Conditiones hominem bonum reddendi.
III. Quantum conducat de hoc populum instruere.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, Joan. 20. 22.

Hæc sunt Salvatoris nostri verba, quibus usus est instituens Sacramentum, ejusdem declarans necessitatem, & utilitatem manifestans.

PUNCTUM I.

Considera primò, quantæ sit hoc Sacramentum Pœnitentiæ necessitatis, in Lege nova, seu Evangelica, & Gratiæ, cùm ipsamet pœnitentiæ virtus, & zelus justitiæ divinæ inviolabiliter servandæ & tuendæ, (quibus excitati vindicamus in nobis injurias divinæ Majestati à nobis nostris peccatis illatas,) etsi aliàs ex se efficacissima & potentissima, nihil nihilominùs operantur & efficiunt, nisi virtute hujus Sacramenti, in voto, quod necessariò involvunt, explicitè, aut saltem implicitè, hoc est, in voto, affectione, & proposito, quod habemus confitendi, & nostra peccata legitimo Confessario in Sacramento Pœnitentiæ aperiendi. Ad hoc hortatur Scriptura: *Non confundaris confiteri peccata tua.* Et Propheta: *Narra si quid habes, ut justificeris.* Illud S. Concilium Tridentinum apertiùs declaravit: *Docet præterea*, inquit, *etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliari, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem, ipsi contritioni sine Sacramenti voto non esse adscribendam.* Omnis dolor, displicentia, & contritio, quam habere vel concipere possemus de peccatis nostris, inutilis omninò & inefficax est, separata à voto & virtute hujus Sacramenti, quod suis debitis conditionibus vestitum, dum suscipitur, vim habet & peccata delendi, & deperditam

Eccl. 4. 31. *Isa.* 43. 6. *Trid. Sess.* 14. *cap.* 4. *circa medium.*

tam

tam reparandi & recuperandi innocentiam. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis, & mundet nos ab omni iniquitate.* Fidei actum in te elice firmum & infallibilem, esse in Ecclesia remedium & Sacramentum ad remittenda peccata, à Christo Domino institutum, Apostolis suis, dum dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Hoc firmissimè teneas nullatenùs dubitans, Sacramentum hoc esse & necessarium, utilissimum, & sanctissimum.

1. Ioan. 1. 9.

Ioan. 20. 22.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd Sacramentum Pœnitentiæ, hoc est, ut appellatur communiter ab omnibus, Confessio, ut bona, efficax, & valida sit, præcedere debet examen status nostri hominis interioris, seu animæ nostræ sufficiens, quod concomitari debet dolor interior cordis, quòd Deum, Summum Bonum, offenderimus, cum firmo proposito & resolutione nunquam ampliùs peccandi, aut proximas peccati occasiones frequentandi; & tandem integrè debet quis se accusare de omnibus peccatis suis, ad minùs mortalibus, nullo planè dempto, cum voluntate Deo satisfaciendi, & omnibus, quos nostris peccatis offendimus. Si quidem, testimonio S. Gregorii, *non manet judicio condemnandum, quod fuerit Confessione purgatum. Constat in Ecclesia nihil aliud à peccatoribus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem Confessione inclusa intelliguntur.* *Vera,* inquit Isychius, *pœnitentia veniam meretur, simulata verò Deum irritat, Spiritus S. disciplinæ effugit fictam.* Seriò nunc te examina, nihil dissimulans, si semper usque modò has in omni tua confessione facta habueris conditiones, quibus confessio vera vestitur: Si vel in unica fueris defectibilis, boni nihil fecisti, confessiones tuæ omnes falsæ fuerunt, omnes sacrilegæ, nullæque te à peccatis mundarunt, sed magis peccatis immergentes, non liberantes. Quoties nullo examine prævio confessus es? Quoties ex sola consuetudine? Quoties sine vero dolore, sine firmo vitæ melioris proposito, & voluntate efficaci peccata & peccandi occasiones proximas vitandi? cùm pòst continuò ad tuas redieris malas habitudines, recidivus in eadem peccata, ullâ vix factâ temporis morâ, aut dilatione? Hæc benè pondera, non te ipsum decipias.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, & propriâ disce experientiâ, quàm sit necessarium, ut quis modum benè confitendi cognoscat, sciat, & practicet. Cùm si scivisses meliùs, ac exactiùs observâsses, & utiliùs practicâsses. Resolve ergò & meliùs discere, & exactiùs de cætero practicare, populumque instruere & docere, ut rem ad ejus salutem summè nessariam, sive in Concionibus, sive in Catechesibus; sive in Confessionalibus, sive in familiaribus Colloquiis & conferentiis, sive aliis modis quibuscunque

ſeſe offerentibus. Defectu porrò hujuſmodi ſcientiæ, tot fiunt ſacrilegæ actiones, quot fiunt confeſſiones. Quorum ſi cura tibi incumbat, reddes rationem, juxta verbum Domini, qui paſtor eſt: *Dentem pro dente, oculum pro oculo.* Hoc eſt, ruinam animæ unius ſolves pretio & expoſitione propriæ. *Erit anima tua, pro anima ejus.* Non omnis porrò pœnitentia vera. *Judas pœnituit, ſed malè, laqueo namque ſe ſuſpendit. Eſau, magis iſte neque pœnituit, lachrymæ quippe non erant pœnitentiæ, ſed animi violenti, & indignationis internæ indices.* S. Chryſoſtomus. *Orabat autem hic ſceleſtus,* (ſcilicet Antiochus,) *Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus. Propterea,* ait Propheta, *captivus ductus eſt populus, quia non habuit ſcientiam: Propterea dilatavit infernus animam ſuam, aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, ſublimes glorioſique ejus ad eum.* Hujus unius ſcientiæ defectus, aut non uſus, multorum eſt damnatio.

Lev. 4. 20.

3. Reg. 20. 39. & 42.

2. Mac. 9. 13.

Iſa. 5. 13. 14.

MEDITATIO L.

De examine conſcientiæ.

I. Neceſſitas examinis conſcientiæ ante confeſſionem.

II. Duo genera peccatorum, quorum examen eſt faciendum.

III. Media hujus examinis benè exequendi.

Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua, Pſal. 118.

PRopheta hiſce paucis, docet nos medium efficaciſſimum, ſe ad Deum convertendi, & in ſe ipſum redeundi, ut damnum peccato illatum cognoſcat eſſe Sacramentum pœnitentiæ.

PUNCTUM I.

COnſidera primò, quòd ſui ipſius perfecta cognitio, ſit verum fundamentum veræ pœnitentiæ, quam quis acquirere nequit, niſi per ſerium propriæ conſcientiæ examen, & peccatorum ſuorum præteritorum recognitionē perfectam, examen ita neceſſarium eſt, ut eo ſecluſo, nihil boni effici queat in via pœnitentiæ; cùm ſit impoſſibile, dolorem de ſuis peccatis concipere, illis non priùs benè cognitis & ponderatis, vel ea in confeſſione aperire, ut Tridentinum nos obligat; niſi priùs omni diligentiâ in memoriam fuerint revocata. Ad hoc hortatur Propheta Jeremias: *Statue tibi ſpeculum, pone amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulâſti.* Et Apoſtolus: *Attende*, ait, *tibi.* Et in ſe reverſus filius prodigus: *Quanti mercenarii, &c. ſurgam, & ibo ad patrem meum.*

Jer. 31. 21.

1. Tim. 4. 15.

Luc. 12. 15. 17. & 18.

PUNCTUM II.

COnſidera ſecundò, quòd inter omnia peccata, quæ committere poſſumus, duo ſunt potiſſimùm genera, quæ à nobis ſeriò examinanda ſunt. Unum genus eorum eſt, quæ nobis communia ſunt cum omnibus Chriſtianis, Chriſtianæ perfectioni præciſè repugnantia. Alterum eorum, quæ ſunt particularia ſtatui, ſeu conditioni

cujus-

cujuſque propria; quia ſtatui tali, ſeu conditioni adverſantia. In horum examinatione & diſcuſſione, nos præcipuè oportet immorari, quia minùs communiter apprehenduntur, & penetrantur, quemadmodum ſi ſis Presbyter, te oportet trahere in conſiderationem peccata ſtatui tuo præcisè repugnantia, quæ vel tuæ vocationi repugnant è diametro. Ut ſi diſpoſitionibus ad eum ſtatum neceſſariò requiſitis deſtitutus intraveris, utpotè ſcientiâ deſtitutus ſufficienti, vel intentione rectâ, aut alio illi ſtatui incompoſſibili præpeditus impedimento, vel ea, quæ exercitiis & functionibus illi ſtatui propriis, contrariantur. Ut ſi neglexeris omninò conſueta exercitia, vel multis intercurrentibus culpis, perfeceris. Ut ſi vitæ degendæ conſuetudinem modeſtię, caſtitati, religioni, & pietati ſtatui tuo conſonæ, quodammodò diſſonam habueris. Ex quo benè Seneca: *Initium ſalutis*, inquit, *eſt notitia peccati.* Epiſt.18. Et meliùs Propheta, ad hoc excitans: *Quomodo dicis*, inquit, *non ſum polluta poſt Baal? Vide vias tuas in convalle, ſcito quid feceris. Ego judicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccavi.* Ier.12.23. An non id verum eſt, peccata hujuſmodi non recogitari? Accuratiùs hæc inpoſterum rumines, & examines, quàm exactè uſque ad præſens feceris. Cave, ne horum ignorantiâ ſeductus, damneris. Ex hoc ſcias tuam dependere ſalutem.

PUNCTUM III.

Conſidera tertiò media hujus examinis fructuosè faciendi, & adimplendi. Primum eſt, à Deo petere gratiam divini luminis, ad peccata noſtra recognoſcenda, & recogitanda in amaritudine animæ noſtræ, dicentes cum Propheta: *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando inimicus meus prævaluit adverſus eum.* Pſal 12. *Delicta enim quis intelligit?* Pſal.11.13. Vel cum cœco in Evangelio, clamare, petere, & interroganti, quid velimus nobis fieri, reſpondere: *Domine, ut videam.* Luc.18.4. Vel cum Job rogare: *Quantas habeo iniquitates & peccata, ſcelera mea, atque delicta oſtende mihi.* Iob.13.23. *Vias meas*, inquit, *in conſpectu ejus arguam.* Secundum eſt, noſſe perpendere inclinationes, affectiones, & habitudines, quæ omnium noſtrarum deordinationum, & à tramite ſalutis, juſtitiæ, & virtutis deviationum, (in quibus nobis complacemus, & nimiùm noſtræ malæ condeſcendimus naturæ,) ſunt origines, & radices: Remedium illis ut adferamus conveniens, & opportunum. Et earum tandem perſcrutari, benèque ponderare enormitatem, gravitatem, durationem, numerum, aliaſque circumſtantias, quæ nos excitare ad pœnitudinem, diſplicentiam & dolorem, quòd eas unquam commiſerimus, queant. Exemplo fortis mulieris, *quæ conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit, in omnibus quærens requiem,* Prov.31.2

 ex

ex omnibus reportans lucrum, & profectum inveniens. *Ob hoc surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt eam, vir ejus & laudavit eam.* Hæcne in te viarum tuarum ita accuratâ factâ consideratione, inveniuntur, ut in nullo inveniaris otiosus panem tuum comedere? Reportasne ex omnibus lucrum? Invenisne in omnibus profectum, ut in nullo deficere convincaris? An non verum est, te in tui ipsius vero examine multum deficere? Contentus es superficie tenus te tuaque recognoscere, fundum cordis tui, intentionum & operum tuorum intrinsecos defectus non penetras, non attingis, & ideò non proficis. Malæ porrò animi tui habitudines non radicitùs evulsæ pullulant continuò omnes actiones tuas inficientes, & animam tuam fœdè deturpantes. Audi S.Bernardi de eo sentimentum: *Si tu te ipsum,* inquit, *ad lumen veritatis, & sine dissimulatione respicias, & sine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris in oculis tuis, factus vilior tibi, ex hac vera cognitione tui.* Visne scire modum exactum, & medium optimum examen tui ipsius instituendi, dum confiteri teneris? Illud optimum est, omni vesperi exactè illud instituere, nunquam concedens cubitum, non priùs strictâ à te ipso exactâ omnium diei tuorum operum, cogitationum & verborum ratione. Quomodo autem tu in eo negotio te geris? Te ex quadam frigida & mala consuetudine vix examinas, vel sæpiùs omninò hujusmodi examen intermittis, vel certè superficialiter duntaxat illud facis. Si eâ nocte tibi vitæ tuæ ratio reddenda foret, quomodo velles te

S.Bern. serm. 41. in Cant.

tunc illud instituisse? Hac tibi viâ procedendum est: *Vigilate,* inquit Christus, *quia nescitis diem, neque horam.* Matt. 25. 13.

MEDITATIO LI.

De contritione.

I. Necessitas contritionis.

II. Conditiones necessariæ ad illam exactè faciendam.

III. Media ad eam requisita.

Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, Joël. 2. 18.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd contritio est pars una ita necessaria ad veram pœnitentiam, ut sit velut anima, spiritus & vita veræ pœnitentiæ, ex eo, quòd sine illa ad Deum perfectè convertere nos non possimus; oportet porrò quòd peccatum expellatur, è cordis nostri penetralibus, mediante vero & sancto animi dolore, non aliter ac intravit pravo carnis & sensualitatis delectamento & reprobo dulcore: Hoc verò est effectus solius contritionis. Unde provenit, quòd alię partes pœnitentię queant quandoque aliunde suppleri, sed hæc nunquam in se & sua substantia semper requiritur, & in omni statu & lege, nempe in statu legis naturæ, & legis scriptæ æquè necessaria fuit, ut modò in Lege Evangelica & gratia, juxta illud: *Quantum in delitiis fuit, tantum date illi tormentum.* Omnis dolor, inquit S.Augustinus, *in amore fundatur. Magna est velut mare contritio tua. Sacrificium,* inquit Psalmista, *Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* In quem locum pulchrè S. Augu-

Apoc. 18. 7.

Thren. 2. 13.

Psal. 50. 19.

gustinus : *Noli extrinsecùs pecus quod mactes, inquirere, habes in te quod occidas: Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Fuit, inquit Tridentinum, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.* Si ergò veniam peccatorum tuorum desideras, hoc utere medio. Trid. Sess. 14. cap. 4.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd hic animi dolor de peccato commisso, seu offensa perpetrata, ut legitimus sit, quatuor conditionibus æqualiter, & æquè necessariò requisitis, debeat esse vestitus. Prima est, ut sit internus & cordialis, hoc est, quòd non sit duntaxat extremitatum labiorum hunc exteriùs exprimentium; sed quòd protestemur Deo, dolere nos illum peccatis nostris offendisse, dolore vero interno concepto, in visceribus cordis nostri, peccati ex ejusdem domicilio expulsivo. Altera est, ut hic dolor supremus sit; hoc illo magis doleat de offensa, quàm de omnibus malis mundi, etiã possibilibus. Tertia est, ut se extendat ad omnia peccata, saltem mortalia, nullo secluso. Quarta tandem, ut proveniat ex motione gratiæ Spiritus S. juxtà fidei veræ doctrinam. Ita est contritionis definitio à
Trid. Sess. 14. cit. Tridentino tradita: *Contritio*, inquit, *est animi dolor ac detestatio, cum proposito non peccandi de cætero.* Huic congruit S.
Eph. 1. 44. Augustini: *Qui gehennas metuit, non peccare timet, sed ardere. Dolor super omnia esse debet*, ex Tridentino. Ob quod Deus per Prophetam ad hanc ad-
Ioel. 2. 12. hortans: *Convertimini*, ait, *ad me, in toto corde vestro.* Ex quo motivo Psalmista:
Psal. 118. 28. *Ad omnia mandata tua*, inquit, *dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, h. e. movet, illuminat, excitat, accendit & inflamat tantâ sæpè vi & ardore, ut expertissimi stupeant, nec assequi possint, tanta siquidem gratia necessaria est ad perfectam ad Deum conversionem, quæ expellat peccatum, ut sit opus Dei & Spiritus S. speciale. Qua de causa Deus per Prophetam conqueritur de Tribu Juda, fictè conversionem simulante: *Non est conversa*, ait, *ad me prævaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio.* Quia non ex toto corde requisivit Dominum pro auxilio, recognoscens, se sine Dei adjutorio nihil posse. Ut Thren. 5. soli Deo attribuit conversionem perfectam: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Rom 18. 26. Ier. 3. 10. Thren. 5. 21.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò media in te ipso hunc excitandi dolorem. Primum est, agnoscere, esse donum Dei, à solo Deo requirendum: *Quis dabit capiti meo aquam*, ajebat Propheta, *& oculis meis fontem lachrymarum? Et plorabo die ac nocte.* Quod experientiâ edoctus idem agnoscit: *Postquam*, ait, *convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur.* Hic Propheta soli Deo attribuit conversionem perfectam, & ab eo solo requirendam. Secundum medium est, considerare, quid fides nos doceat, quoad injuriam, quam Deo facimus per peccatum, ejus ex una parte magnitudinem, sapientiam, bonitatem infinitam, beneficentiam, & liberalitatem, ac alias ejus divinas perfectiones ob oculos ponendo; & ex altera parte nostrum nihil, ingratitudinem Ier. 9. 1.

noſtram, & obligationem omnimodam, quâ jure naturæ, vi creationis, quâ à Deo creati ſumus, aſtringimur in omnibus Deo ſubeſſe, & in eſſe, & in operari; ita ut nullum opus noſtrum debeat à divinis deviare legibus. In quo ſi defecerimus, oportet nos viâ perfectæ contritionis continuò ad Deum convertere, & gratiam Dei ad hoc ſummè neceſſariam, omni humilitate requirere. *Impoſſibilis*, inquit Cyprianus, *tanta converſio eſt; ſed poſteaquam deſuper ſe lumen infudit, mirum in modum cœperunt protinùs confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, geri poſſe, quod impoſſibile putabatur, ocule amice mi, vulneráſti me, jam ſana me, tu vidiſti, & ego concupivi: Tu aſpexiſti, & ego exarſi, exprime ergo liquorem, & ſana me.* Tota Scriptura abundat & refertiſſima eſt hujuſmodi ad veram converſionem & contritionem excitativis. Hodiè utere uno aliquo ex illis, quo magis exciteris. Ora cum Propheta: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

S. Cypr. epiſt. ad Don.

Hugo à S. Vict.

Pſal. 18. 13.

MEDITATIO LII.

De motivis contritionis, ex gravitate peccati deſumptis.

I. Gravitas peccati deſumitur primò ex perſona offenſa.

II. Ex perſona offendente.

III. Ex ingratitudine perſonæ offendentis.

Popule meus, quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? Reſponde mihi, Mich. 6. 3.

Deus eſt, qui hiſce verbis, omni bonitate, miſericordia & pietate plenis, te ad veram contritionem excitare cupit, quòd illum unquam offenderis ex conſideratione gravitatis peccati. Quo motivo S. Auguſtinus ajebat: *Da Domine Deus meus, cordi meo pœnitentiam, ſpiritui contritionem, oculis lachrymarum fontem. Talem patrem offendere, contra ejus voluntatem aliquid committere, animadvertentibus quàm eſt crudele?*

S. Aug. lib. de pœnit. ver. & falſ. c. 8

PUNCTUM I.

Conſidera primò, quòd peccati gravitas ex triplici potiſſimùm capite proveniat. Primò, provenit ex dignitate perſonæ, quæ offenditur. Ille quippe, quem tuis offendiſti peccatis, Deus eſt, majeſtatis immenſæ, poteſtatis tremendæ, ſapientiæ incomprehenſibilis, & bonitatis infinitæ. Ille eſt, qui te amavit, & tibi ab omni æternitate benè eſſe voluit. Qui te creavit, qui omnia, quæ in mundo ſunt, tuis uſibus & ſervitiis deputavit, qui te nutrit, cuſtodit, & conſervat, qui tibi de omnibus providet corpori & animæ neceſſariis. Ille eſt pater tuus, magiſter tuus, Dominus tuus, Sponſus tuus. Ille eſt, qui te tanto tempore in tuis peccatis ſordeſcentem, exſpectat patienter ad pœnitentiam, qui te, juſtitiæ rigore exigente, punire poſſet, imò deberet, niſi miſericordiâ & indulgentiâ extremâ permotus, pœnitentiæ & converſionis tibi

tibi tempus daret. Qui bonitate ad hoc indicibili, te invitat, imò te rogat, ut miserearis animæ, placens Deo. Ille, qui nunquam nisi benè fecit tibi, infinitè amabilis, perfectus, & omnibus numeris absolutus in omni bonitate, sapientia, justitia, & æquitate. Ille, ipse est, quem tuis peccatis summè offendisti, contempsisti, injuriis omnibus affecisti, rebusque vilissimis, imò ipsi nihilo postposuisti. Quæ non est amaritudo animi filio honestè nato, & educato, bonum offendisse patrem? Quæ non displicentia esse debet Sponsæ, Sponso tàm amabili, pulchro, & perfecto, fidem non servâsse? *Multa*, ait Christus, *bona opera ostendi vobis, propter quod eorum vultis me lapidare?* Conqueritur Deus apud Prophetam: *Fornicata es*, inquit, *cum amatoribus multis, tamen revertere ad me*, *dicit Dominus, & ego suscipiam te. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israel?* Quia dissimulat Deus peccata propter pœnitentiam, Sapiente testante: *Dissimulas*, inquit, *peccata, propter pœnitentiam. Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors.* Hoc agnoscens S. Bernardus, & intimiùs ponderans: *Quanam*, inquit, *fronte, attollo oculos ad vultum tam boni Patris, tàm malus filius? Exitus aquarum deducant oculi mei, operiat confusio faciem meam. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Ecce qui serviunt ei*, ait Job, *non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem, quantò magis, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur, velut à tinea.*

Ioan. 20. 31. Ier. 3. 1. Ezech. 33. 11. Sap. 11. 24. Psal. 102. 8. S. Bern. serm. 16. in Cant. Iob. 4. 18. 19.

PUNCTUM II.

Considera 2. peccati gravitatē provenire secundò à dejectione, indignitate, & vilitate personæ, quæ offendit. Dispice ergò paululum, quis sis respectu Dei. Considera, & vide quid fueris, quid possis: Originem tuam, & quò ad corpus, & quò ad animam, perpende vel ut melius tuum nihil, quia tuum esse est nisi nihil. Ex opposito autem, & à parte altera, considera magnitudinem, potentiam, immensitatem, & majestatem infinitam Dei, in conspectu cujus angeli abscondunt facies suas, non potentes majestatem intueri vultus illius. Non pertimescis tibi solum ob oculos ponens, faciem illam tremendam, & adorandam? *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei!* Psal. 67. 3.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, quòd gravitas peccati proveniat etiam & maximè ex ingratitudine peccatoris. O quæ ingratitudo! Potestne similis ingratitudo inveniri, aut excogitari, quàm ingratitudo peccatoris? Audi, quid Deus per Prophetam de se ipso dicat. *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Non habuit Deus nisi unicum filium, hunc tibi ut te redimeret, dedit. Hunc tormentis indicibilibus, & ipsi morti amarissimæ, & ignominiosissimæ. tradidit, ut te è faucibus æternæ mortis eriperet. Mortuus est, ut viveres, damnatus, & morti adjudicatus est, ut salvareris, & vita æterna fruereris. Isa. 5. 4.

Hæccine

Ier.18.10. *Hæccine reddis Domino? Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?* Tibi minutatim ob oculos pone omnia, quæ tibi exhibuit bona Deus, tàm spiritualia, quàm corporalia, ex una & ex altera parte tuam ingratitudinem. Et quòd adhuc super terram tolereris vivus, admiraberis, te ipsum vix sustinebis. Non enim alio fine sustineris super terram, quàm ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ.
Eccl.5.8. *Non tardes* ergò, hortante Ecclesiastico, *converti ad Dominum Deum tuum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Non enim sanitati credendum est, aut ætati*, inquit Cæsarius, *in* Cæsarius homil.20. *remedia salutis suæ, semper tardus est, qui vitæ suæ incertus est.* An non habes causam, hisce visis motivis, concipiendi dolorem vehementissimum? Verùm, quia hunc ex te habere non potes, eum à Deo require, omnique die crebriùs eum in finem, tuas omnes devotiones, suspiria, actiones, & vota illi offeras. Cor tuum, ut omni illud repleat amaritudine, ob commissa tot à te delicta. Dic omni humilitate cum Publicano:
Luc.18.13. *Propitius esto mihi peccatori!* cum Regio
Psal.50.1. Propheta: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Et
Luc.15.21. cum filio prodigo: *Pater, peccavi in cœlum & coram te.* Dic, & intùs dic.

MEDITATIO LIII.

Motiva contritionis, desumpta ex gravitate peccatorum Ecclesiasticorum.

I. Probatio gravitatis peccatorum Ecclesiasticorum.

II. Rationes aliæ hanc gravitatem convincentes.

Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Jerem. 11. 15.

UNde provenit, quòd ille, quem amo, & ita tenerè diligo, eò processerit audaciæ, ut in domo mea plura commiserit delicta & peccata? Propheta id agnoscens, interrogat: *Quid*, inquit, *sunt plagæ istæ in medio manuum* Zach.13.6 *tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant. Si inimicus* Psal.54.13. *meus*, ait Psalmista, *maledixisset mihi, su-* & seqq. *stinuissem utique: Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

PUNCTUM I.

COnsidera primò, ut dolorem concipias majorem, vivaciorem, & efficaciorem de peccatis & delictis, quæ contra Deum commisisti, pro particulariori veræ contritionis motivo, tibi maximè proprio & accommodato, ex eo, quòd pateat, peccata Ecclesiasticorum & Religiosorum, multò esse enormiora, quàm peccata communium hominum, ob eminentiam, dignitatem, & sanctitatem illorum status & conditionis, ob cognitiones & notitias majores rerum divinarum à Deo sibi specialiter datas, ipsis porrò datum est nosse mysterium modo perfectiori, quàm cæteris: *Labia enim Sacerdotis custodient* Malach.2.7. *scientiam, & legem ex ore ejus requirent.* Illis incumbit sanctiùs vivere, quàm aliis commmuniter. Illis plures benè ope-

operandi gratiæ ſubminiſtrantur, non tot illis occaſiones peccandi communiter occurrunt, niſi voluntariè quærant, pluribus motivis, & internis, & externis excitantur ad benè agendum, & ad malum fugiendum; ſuâque vitâ, ſuo ſtatui non conformi, majus dant ſcandalum. Unde Chriſtus ſuos monens Apoſtolos, ait: *Dico vobis, niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* *Matt.5.20.* *Quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci? Exſpectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas. Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam ſepem ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam: Non putabitur, nec fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* *Iſa.5.4.& ſeq.* *Homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* *Pſal.40.10.* Examina ſeriò nunc, has an unquam benè recogitaveris veritates; in omnibus tuis tranſactis confeſſionibus, te ut excitares ad contritionem majorem, & juſtiorem animi dolorem, ob peccata à te commiſſa, tuo illi ſtatui ſpecialiter repugnantia, in populo ſcandoloſa, & Deo, cui ſervire tot aſtringeris titulis, injurioſa.

PUNCTUM II.

CONſidera ſecundò, quòd talibus de cauſis, peccata Eccleſiaſticorum, quæ videntur ſæpè levia, maxima in judicio Dei, & graviſſima reputentur, & ſint. Cujus evidentiſſimum deſumimus, & deſumere debemus argumentum, ex rigoroſiſſimis punitionibus, ob talia à Deo inflictis in Lege veteri. Imò de facto cur tot dantur in reprobum ſenſum, cœci, nullius interni luminis capaces, ſurdi, & obturantes aures ſuas, velut ſerpentes, ad omne genus exhortationis, viventes ſine guſtu devotionis, & affectu charitatis ad Deum, ſive impulſu compaſſionis & pietatis ad proximum, & ſine ſenſu honeſtatis, & decentiæ ad ſe ipſos. Deducuntur miſerabili vitæ degendæ conſuetudine ad tranſitum ex hac mortalitate miſerrimum, miſeriæ æternalis inductivum. In quibus illud Pſalmiſtæ verificatur: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt, & qui juxta me erant, de longè ſteterunt.* *Pſal.37.12. & 13.* *Tranſite ad inſulas*, inquit Jeremias, *Cethin, & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte, ſi factum eſt hujuſmodi. Si mutavit gens Deos ſuos, & certè illi nō ſunt Dii: Populus verò meus mutavit gloriam ſuam in idolum.* *Ier.2.10.* Non times te hunc eſſe infelicem, & maledictum, ſuper quem, poſtquam tot divinas non recepiſti inſpirationes, gratias contempſiſti, vocationes neglexiſti, obduratus in malitia ſicut lapis, & factus omninò incorrigibilis, tremenda venient divina judicia, æternæ maledictionis, ac finalis derelictionis? Attende tibi, & intende ſeriò, & tuum ubi recognoveris imperfectum, de remedio opportuno ſis tempeſtivè ſollicitus: *Qui enim in terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini.* *Iſa.26.10.* Ut ergò culpas expies præteritas, fac reſolutionem abſolutam, & efficax propoſitum, actus contritionis frequentandi ad minimum ter in die, veſperi, mane, & meridie. Et ſemper priuſquam aliquam functionem

Psal.50.19. nem habeas Ecclesiasticam. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non despiciet.*

MEDITATIO LIV.

De bonis propositis necessariis ad veram pœnitentiam.

I. Necessitas boni propositi.
II. Quid sit bonum propositum.
III. Media reddendi bona proposita efficacia.

Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ, Psal.118.

Hæc sunt verba, quæ S. Augustinus literis aureis optabat inscribi in frontispicio omnium confessionalium.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd contritio duplici gaudeat facie. Prima, quâ respicit peccatum preteritum, illud detestando. Altera, quâ prævidens peccatum futurum, firmâ resolutione & proposito, illud non committere, nulla porrò vera salvatur contritio sine bono proposito vitandi omne peccatum de futuro. Sicut enim testamur verum & justum odium erga peccatum præteritum, ex vera contritione & displicentia, quòd illud commiserimus; ita idem testamur odium & aversionem erga futurum peccatum, bono proposito, quod facimus, ampliùs illud non com-
Matt.26.31. mittendi, dicentes cum Petro: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te nega-*
Iudic.11.35. *bo.* Et cum Jephte: *Os meum aperui ad Dominum, & jam aliud facere non possum.* Utpote firmo ipsi adhærendi perfectè proposito, omni peccato inposterum rejecto. Hoc excitatus Propheta Regius, ajebat: *Inclinavi cor meum* Psal.118.112
ad faciendas justificationes tuas in æternum. Quod expressit Tertullianus: *Ubi*, ait, *emendatio nulla, ibi profectò pœnitentia vana.*

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd hoc bonum propositum, firma sit resolutio nunquam ampliùs Deum offendendi, quovis peccati genere, gratiâ ejus præveniente & adjuvante, & omnes evitandi occasiones, quibus induci possemus ad peccatum, sicut & satisfaciendi in omnibus, in quibus hactenus deliquimus. Illud paucis S. Augustinus complexus est: *Si pœnitens es, pœniteat te; si pœnitet te, noli facere; si adhuc facis, pœnitens non es.* Et Christus in Evangelio: *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Ioan.8.11.
Et alibi: *Ecce, sanus factus es, jam noli* Ioan.5.15.
peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Fili, ait Ecclesiasticus, *peccâsti? non* Eccl.21.10.
adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Conversio, inquit S.Greg.lib.2.
S.Gregorius, *peccatoris, non est in hu-* 1.Reg c.3.
militate confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cùm peccatori jam divinâ inspiratione correcto, & malum displicet, quod amavit, & bonum placet, quod odivit; quia vera confessio non in ore accipitur, sed in corde. Examina nunc si tuæ antefactæ confessiones, fuerint semper firmo proposito conjunctæ? Hancne firmam habes resolutionem, vel debiles duntaxat voluntates, velleitates, & desideria inefficacia? Tuæ resolutiones suntne omnia evitare peccata, vel aliqua duntaxat? Suntne adæquatæ, & totales, vel inadæquatæ, & parti-

partiares? Innituntur ne hæ tuæ resolutiones & proposita divinæ gratiæ, vel virtuti propriæ? Traheris ad has amore divino, an amore proprio, & mundano? Omnesne peccandi occasiones reliquisti? Quando plenè Deo verâ pœnitentiâ, & bonorum operum exercitatione satisfecisti? Quando proximo corde & affectu plenè reconciliatus es? Illinc honorem, famam, & bona fortunæ, in quibus eum defraudâsti, damnificâsti, restituisti? Ecce indicia & notæ firmi emendationis propositi. Si te sine dissimulatione examines, nunquid justam habes timendi causam, te in pluribus hisce conditionibus defecisse in tuis confessionibus, propositis & contritionibus, ac ita habuisse te duntaxat proposita inefficacia, contritiones elicuisse tantùm nominales, & confessiones fecisse nullas?

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, media aptiora hujusmodi bona proposita reddendi efficacia & vera, esse primò seriò cogitare de modo meliori talia eliciendi de suis peccatis, & de suis vitiosis habitudinibus, malis & pravis ad malum inclinationibus, firmiterque proponere hujusmodi optimo uti modo. Secundò, prævidere difficultates & obstacula, quæ in executione bonarum resolutionum & propositorum obstare possent, ob hoc ferventes fundere ad Deum preces ad impetrandum auxilii divini robur, animum & fortitudinem omnes hujusmodi superandi difficultates. Tertiò, sæpè renovare talia firma proposita, maximè circa peccata, quorum affectibus magis trahimur; & hoc tempore orationis, vesperi & manè, dicendo cum S. Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Iob.31.1. Et cum Psalmista: *Non movebor in æternum.* Psal.29.31. Apostolico acquiescentes monito: *Stabiles, inquit, estote & immobiles.* 1. Cor.15.38. *Inanis siquidem est pœnitentia*, S. Bernardo teste, *quam sequens coinquinat culpa. Execranda fictio est, peccatum superficie tenus radere, non intrinsecus eradicare. Exspoliavi me tunica mea, quomodo adhuc induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos.* Cant.5.3.

MEDITATIO LV.

De satisfactione sacramentali, tertia parte pœnitentiæ.

I. De triplici satisfactione.

II. Adjungere semper debemus voluntariam satisfactionem, illi, quæ in sacramentali confessione injungitur.

III. Quales sint illæ voluntariæ pœnitentiæ.

Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

APostolus hoc modo ex parte Dei te alloquitur, te ut excitet, ad te divinæ bonitati reconciliandum verâ & sincerâ conversione, quæ meliùs nunquam innotescit, quàm in plenaria & vera satisfactione Deo facta.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd peccatum Adæ, Deo nos obligaverit, ad triplex illi reddendum satisfactionis genus.

genus. Primum est pro peccati culpa: Secundum pro pœna æterna, quæ sequitur ad culpam mortalem: Tertium pro pœna temporali, ad quam obligati remanemus, postquam Deo placuit, mediante sacramentali confessione, in æternali dispensare, & commutare in temporalem. Cùm ergò duæ primæ obligationes sint infinitæ, quippe per proportionem ad personam offensam, quæ est infinita; oportuit consequenter illis ut plenè satisfieret, satisfacere per pœnas, dolores, & cruciatus personæ infinitæ. Hoc præstitit Christus Jesus Salvator noster, pretio infinitè æstimabili sui sacratissimi sanguinis, liberans nos culpâ & pœnâ æternâ, quam nostris peccatis merebamur. Nos verò oportet pro temporali satisfacere. De quâ S. Augustinus: *In hac*, inquit, *pœnitentia majorem in se quisque severitatem debet exercere, ut à se ipso judicatus, non judicetur à Deo.* Nam juxta Scripturam, *pro mensura peccati erit & plagarum: Unius*, inquit Tertullianus, *lavacri vis & plenitudo, soli Christo dicabatur, facturo in terris, sicut & compendiatum sermonem, ita & lavacrum.* Et S. Augustinus: *Iniquitas omnis parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab homine pœnitente, aut à Deo vindicante. Vis non puniat Deus, puni tu.* Huic subscribens S. Pacianus: *Pigeat sanè*, inquit, *peccare, sed pœnitere non pigeat, pudeat periclitari, sed non pudeat liberari.* Neque enim sufficit ad salutem, tantummodò spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Ne transeas ad secundum meditandum & ruminandum, quin infinitas divinæ bonitati, sapientię, & benignitati retuleris gratias, pro tanto, & tàm inæstimabili beneficio redemptionis.

S. Aug. hom. 50.

Deut. 25.

Tert. lib. 4. contr. Marc.

S. Aug. conc. in Psal. 58.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd satisfactio temporalis, quæ solvenda restat, factâ culpæ & pœnæ æternæ remissione, solâ gratiâ & misericordiâ Dei speciali, potest & debet à nobis ipsis fieri, injunctam à Confessario pœnitentiam in sacramentali confessionis tribunali ad amussim cum debita humilitate adimplendo. Verùm, cùm hæ satisfactiones, & pœnitentiæ ordinariè non sint proportionatæ, nec numero, nec enormitati peccatorum nostrorum, nunquam accedere deberemus ad Sacramentum Confessionis, quin antè vel pòst imponeremus nobis pœnitentiam voluntariam, præter illam, quam nobis injungit Confessarius, pro satisfactione, & expiatione nostrorum delictorum. Quia teste S. Augustino: *Non satis est peccatis renuntiare, malas extirpare habitudines, si ad hoc Deo non satisfiat pro commissis culpis, per lachrymas, per gemitus, per sacrificium cordis contriti & humiliati, & per eleemosynas, ac alias actiones sanctas, & satisfactorias. Sanè, & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt, aliter verò, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, scientes, templum Dei violare, & Spiritum S. contristare non formidaverunt: Procul dubio enim magnoperè à peccato revocant, & quasi freno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores*

res in futurum pœnitentes efficiunt. Secundò, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actibus tollunt. Tertiò, neque ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam fuit exiſtimata, ad amovendam à Domino pœnam. Accedit quartò huc, quòd dum ſatisfaciendo pro peccatis patimur Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, quantò certiſſimam quoque inde arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur.

Trid. Seſſ. 14. cap. 8.

PUNCTUM III.

CONſidera tertiò, quòd meliores ſatisfactiones & pœnitentiæ, quas tibi ipſi imponere potes, ſunt potiſſimæ te libenter ſubjicere regimini communitatis fori, ſeu ſocietatis, in qua habitas, & degis ſpiritu & affectu pœnitentiæ & mortificationis, ut præſcriptum tempus ſilentii ſervare, tibi ſubtrahere paululum, & mortificare in refectionibus, recreationibus, & aliis corporis commoditatibus. In eccleſia aſſiſtere divinis officiis, cum reverentia debita, attentione, & devotione. Libenter aliis deferre honorem, maximè Senioribus & Præpoſitis quibuſcunque, ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſæpiùs viſitare, & ſimiles actus devotionis, mortificationis, & religionis exercere. Sit ergò hæc tua reſolutio efficax & abſoluta, non duntaxat libenter acceptare pœnitentias à Confeſſario, velut à Chriſti miniſtro & ſubdelegato in illo foro, qualeſcunque tandem ſint, & perficere; verùm etiam ex te à te ipſo impoſitas, omni devotione ſuſcipere, & exequi. Eo modo evades unam à Deo tibi aliàs imponendam, infinitè quodamodò rigoroſiorem, quàm hic ſubire poſſes. Hoc eſt, quod intelligi vult Propheta Job, dum dicit: *Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix.* Iob. 6. 16.

MEDITATIO LVI.

De confeſſione generali.

I. Confeſſio generalis eſt neceſſaria quandoque, & quibus?

II. Semper eſt utilis.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, Iſa. 38. 15.

PUNCTUM I.

COnſidera primò, quòd confeſſio generalis, omnibus Chriſtianis non ſit abſolutè neceſſaria, illis nihilominùs neceſſaria eſt, qui in ſuis præcedẽtibus confeſſionibus quoſdam defectus notabiles commiſerunt. Primò, voluntariè reticendo aliquod peccatum grave, & mortale. Secundò, dum deficit debita de peccatis contritio. Tertiò, ubi defuit firmum propoſitum emendationis. Quartò, ſi occaſiones proximas peccandi fugere & removere noluit. Si quintò, famam, honorem, & bona fortunæ injuſtè ablata, reſtituere noluerit. Sextò, ſi inimicis noluerit condonare. Vel tandem ſeptimo, ſi confeſſio facta fuerit Sacerdoti debitâ poteſtate abſolvendi deſtituto. Examina, & ſerioſè recogita, ſi quis fortè ex his defectibus in tuis non intercurrerit confeſſionibus, ex eo, quòd omnes factæ confeſſiones, ab eo tempore, quo in talem ex præmemoratis defectibus incidiſti, omninò nullæ ſint, dum ſciens & volens in tali perſeveras ad confeſſionem validam indiſpo-

dispositione. Cui malo nequit mederi, nisi mediante Confessione generali, quâ omnia peccata, à tempore invalidæ, vel potiùs à tempore ultimæ validæ confessionis, cum omnibus conditionibus ad validam confessionem requisitis, aperiantur Confessario legitimo, ad absolutionem sacramentalem obtinendam.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd etsi nullum ex præmemoratis defectibus in nostris unquam commiserimus confessionibus, ac ita confessio generalis non foret nobis absolutè necessaria, est nihilominùs nobis semper utilis & fructuosa. Quia primò recordatione omnium, quæ commisimus, peccatorum, nos salutari confusione perfusi, nostram agnoscimus ingratitudinem, juxta illud Prophetæ: *A facie tua Domine, concepimus & parturivimus spiritum.* *Operuit*, inquit Psalmista, *confusio faciem meam.* Secundò, ad aspectum tot peccatorum uno cumulo comprehensorum, concipimus vivaciorem & sensibiliorem de illis dolorem, magisque humiliamus nos in conspectu Dei, quem tàm sæpè tot gravibus delictis offendimus. Tertiò, hæc conscientiam nostram purificans & quietans, nobis gaudium indicibile causat in interiori homine, & in anima. Quod gaudium solum est solidum & verax, quod hac in valle miseriarum possumus possidere, cùm ex vero & solido bono procedat, quod est Deus ipse nobis per gratiam suam inhabitans, quod nemo nobis potest eripere, nisi peccatum, quod jam omninò expulsum est, & conscientia pura. *Secura*, inquit Sapiens, *mens, quasi juge convivium.* In hoc gloriatur Apostolus: *Gloria nostra*, inquit, *hæc est testimonium conscientiæ.* *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Ea de causa nemo esse debet tàm parùm suam curans salutem, qui non debeat ad minùs semel in vita confiteri generaliter, & maximè, dum statum aliquem eligit, & quietem animi & conscientiæ quærere, & conservare. Imò, singulis annis, ob rationes præmemoratas, novam facere anni illius omnium peccatorum confessionem. Quid tibi videtur? Nunquam fecisti? Nunquid præsagit tibi animus, quòd illo medio majorem conscientiæ quietem sentires? Nullam fortè occasionem, hac præsenti meliorem invenies. Ne eam negligas, ne fortè contingat tibi audire à Salvatore nostro, dignam reprehensionem: *Milvus in cœlo cognovit tempus suum populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

Margin references: *Isa.* 26.17. & 18. — *Psal.* 68 8. — *Prov.* 15. 15. — 2. *Cor.* 1. 12. — 1. *Joan.* 3. 21. — *Ier.* 8. 7.

MEDITATIO LVII.

Necesse est expurgare omnes ad peccatum inclinationes, & habitudines malas post confessionem remanentes.

I. Oportet expugnare malas ad peccatum inclinationes, & quare.

II. Quid per has affectiones intelligatur.

III. Media eas expurgandi.

Projici-

Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum, Ezech.18.21.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd non sufficiat peccatum deseruisse, ac media verâ & sincerâ confessione omninò expurgâsse; verùm ut faciat quis sibi cor novum, & spiritum novum, juxta Prophetæ monitum, necesse est, reliquisse omnes habitudines pravas, desideria & affectiones, ad peccatum quacunque ratione inducentes. Hujus ratio est, quia hujusmodi malæ & pravæ ad peccatum habitudines, non aliter animam affligunt, torquent, & cruciant, quàm febres corpus. Causant porrò immensos languores, tœdia continua, & excessivas alterationes & instabilitates, eam continuò graviùs reincidendi in peccatum, quàm ante periculo subjicientes. Maximumque hujusmodi febricitantis malum est; quòd non satis timeat peccatum, & malum animæ suæ, imò illud non recognoscit, ut in illo verificetur dictum
Eccl.3.27. Sapientis: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd per hujusmodi pravas habitudines ad peccatum, intelligantur complacentiæ voluntariæ determinatæ, sive ad peccatum mortale, sive veniale, quæ quis jam confessus est. Quæ explicantur per comparationem & similitudinem ad vasculum quoddam, putrido repletum liquore, qui licèt ejectus omninò fuerit, relinquet nihilominùs fœtorem in fundo vasculi, ex eo, quòd in eo diutiùs remanserit. Non aliter anima à suis expurgata peccatis, per confessionem, retinet adhuc ad tempus aliquod malum odorem, contractum ex diuturniore peccati in illa inhabitatione, qui aliud nihil est, quàm hæ affectiones, complacentiæ voluntariæ, & adhæsiones secretæ, post confessiones remanentes, & inclinantes ad eas res, quæ nos ad peccatum induxerunt. Et à talibus pravis adhæsionibus oportet allaborare pro virili animam suam omninò liberare & expurgare: Quia quantumvis juraveris, confessus fueris, pœnitentias egeris austeriores, nemo tamen credet, quòd peccatum plenè reliqueris, nisi etiam atque etiam reliqueris totaliter inordinatas affectiones, & adhæsiones ad res, quæ te ad peccatum induxerunt. Vide igitur & accuratè considera, quæ in te adhuc affectio inordinata prædominetur, ab ea te omninò liberare, & expurgare allabora, si vis vitare peccatum. Affectiones hujusmodi, sunt inordinatæ allectiones ad divitias, ad voluptates, ad honores, & ad alias hujusmodi vanitates, ac res transitorias. Eò porrò reducuntur omnes ad peccatum concupiscentiæ, & affectiones, quas ut probè recognoveris;

PUN-

PUNCTUM III.

Considera & inquire media, quibus mediantibus, totaliter te expedias ab allectionibus & pravis habitudinibus ad peccatum, & ad omne illud, quod tibi esse occasio potest peccati. Primum igitur medium est, viva, fortis, & efficax apprehensio mali, quod nobis per peccatum infertur, quâ excitemur ad veram & vehementem contritionem, & peccati, & omnium ad peccatum affectionum inordinatarum deletivam, & penitùs expurgativam. Ita S. Maria Magdalena in sua conversione exclusit peccatum, & omnes affectiones ad illud ac ad voluptates, & inordinatas delitias illi ex eo originatas, ut de illis nunquam ampliùs cogitaverit, nisi cum dolore vehementi, & displicentia. Secundū medium & optimum est, viriliter contra hujusmodi pravas affectiones pugnare, vincere, & funditùs expellere, ac ex animo evellere, eum in finem frequenter instituẽdo examina particularia, crebras habẽdo reflexiones super se ipsum, actiones proprias, earum intentiones, motiva, & fines seriò examinando, & recognoscendo, sine dissimulatione, & dicendo cum Propheta: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.* Estne hæc resolutio tua? Labora ergò, pugna, ut expugnes, non dissimules, non tardes, viriliter agas. Quia, cùm adhuc sis debilis viribus gratiæ, & divini adjutorii robore firmeris continuis exercitationibus in via virtutis probatus, & roboratus, salutis tuæ inimicus non intermittet te omni circumventione astutâ, & dolo, citò in casum & peccatum inducere, illudque periculosius, quàm primum, juxta Salvatoris nostri præmonitionem: *Ecce*, inquit, *sanus factus es, jam noli peccare, ne tibi deterius aliquid contingat. Ecce enim Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Hoc expressiùs alibi: *Cùm*, inquit, *immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum, unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam, tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

Psal. 17.38. & 39.

Ioan. 5.14.

Luc. 23.31.

Luc. 11.24. & seqq.

MEDITATIO LVIII.

De fructu veræ pœnitentiæ.

I. Primus veræ pœnitentiæ fructus est odium summum peccati.

II. Secundus fructus est dispositio ad omne illud patiendum, quod Deo placuerit.

III. Tertius est, firma resolutio nunquam ampliùs cadendi.

A fructibus eorum, cognoscetis eos, Matt. 7.16.

Ecce nota à Christo, juxta S. Gregorii mentem, ad recognoscendum, si simus veraciter pœnitentes.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd primus fructus, quem vera pœnitentia adfert in cordibus nostris, sit summum peccati odium, & firma resolutio, vias omnes, & occasiones vitandi, quibus aliquo

modo

modo possemus ad illud deduci, Prophetæ adhærendo: *Omnem*, ait, *viam iniquam odio habui.* Ex quo benè S. Augustinus: *Certam*, inquit, *pœnitentiam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Ad emendanda peccata peccatoris vox sola non sufficit: Nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantùm, sed & opera quæruntur.* Cor tuum perscrutare & interroga, si sit ad illud odium omnis peccati resolutũ. Examina benè, an non illi inhęreant adhuc aliquæ reliquiæ affectionum, aut aliquarũ consolatiuncularum, ex recogitatione quorundam peccatorum, occasionum, aut conversationum, quæ te ad casum induxerunt. Renuntia modò hisce omnibus, & protestare coram Deo, quòd absolutè hæc omnia fugere & vitare intendas. Dic cum Psalmista: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Fugiens omnia peccata, & peccandi occasiones, mansi in solitudine, in solo Summo Bono, in illo requiem inveniens.

Psal. 118. 125.

S. Aug. serm. 7. de temp.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, alterum veræ pœnitentiæ fructum, esse cordis & animi dispositionem ad omnes pœnas tolerandas, quas placuerit Deo nobis permittere, vel etiam immittere, ad suscipiendas incommoditates universas vitæ Christianæ annexas, Ecclesiasticæ conjunctas obligationi, muneri proprio, & exercitio speciali convenientes vel advenientes, eas affectu divinæ justitiæ, & satisfactionis pro peccatis nostris, & totius populi satisfaciendi animo lubenti suscipientes, animo concordi cum Regio Propheta concordantes, & affectu non dissimili dicentes & concinentes: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* *Renuntiandum est*, inquit S. Ambrosius, *sæculo, somno ipsi minùs indulgendum, quàm natura postulet, interpellandum est gemitibus, interrumpendum suspiriis, sequestrandum est orationibus, se ipsum homo abneget, & totus mutetur.*

Psal. 37. 18.

S. Ambr. de pœnit.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, quòd ultimus & principalis effectus & fructus veræ pœnitentiæ, sit timor magnus, & vehemens apprehensio, ne quis cadat unquam in ullum peccatum: Nihil porrò verè pœnitenti & converso occurrit timendum magis, quam peccatum. Quo motivo S. Job excitatus, ex animo dicebat: *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti.* Quo spiritu & S. Bernardus: *Nusquam est*, ajebat, *securitas nec in cœlo, nec in paradiso, nec in mundo: Nam de cœlo Angelus, de paradiso Adam, & de schola Christi Judas excidit.* Visne experiri, an hunc habeas timorem? Experire, an sollicitè evites occasiones, quæ te induxerunt in peccatum. Si resolutiones factas à te non ampliùs peccandi, non ampliùs frequentandi societates periculosas, loca suspecta, & hujusmodi magni æstimes, & ratas habeas. Secundò, si velles sciens, & volens peccatum veniale committere, pleno judicio, nullâ excitatus passione, sed ex plena voluntate, illud nec timendo, nec æstimando. Quia non curare peccatum committere, modò non sit mortale, signum est manifestum quòd quis verum non habeat timorem,

Iob. 9. 28.

S. Bern. de leg. fid. & stipul.

nec longè absit à casu, cùm ita liberè se exponat periculo, & precipitio propinquet. Et cùm sæpè sit difficillimum discernere inter veniale & mortale, operans tali dubiâ & vacillante conscientiâ an fortè operetur opus mortiferum & tenebrarum peccat mortaliter. Ideò
1. Cor. 10. 12. monens Apostolus: *Qui stare*, inquit, *se*
Iob. 26. 11. *existimat, videat, ne cadat. Columnæ cœli contremiscunt & pavent*, ait S. Job. His-
S. August. in Psal. 106. ce subscribens S. Augustinus: *Ecce*, ait, *inter fluentia & labentia constituti, vix quisquam raptus à flumine, si tenere lignū poterit, evadet*. h. e. si adhæreat ligno S. Crucis, recurrens ad auxilium Dei, per merita sanctissimæ passionis Christi, & viriliter contra suas pravas passiones & inclinatiões deordinatas decertet, evadet, h. e. non peccabit se ipso fortior factus in nullo suæ sensualitati inordinatè condescendens, in eo maximè laborando, ut violentiores passiones recto rationis judicio violenter subjiciat. *Regnū*
Matt. 11. 11. *porrò cœlorum vim patitur, & violenti*
S. Bern. tr. de don. Spir. S. *rapiunt illud: Sicut enim securitas, vel desidia, causa est & mater omnium malorū, sic timor Domini radix est & custos omnium bonorum. Vnde scriptum est: Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua, omne namque virtutum ædificium illicò vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidiū.* Ecce fructus veræ pœnitentiæ. An hi in te invenerint locum, te ipsum non palpando, seriò examines, nihil dissimules, nihil excuses, ne te ipsum decipias, seducas & damnes. Require instantiùs gratiam & auxilium Dei, & Salvatoris nostri Christi Jesu, quo roboratus obvies debitè inconstantiæ naturæ tuæ, & infidelitati ordinariæ tuarum resolutionum, semper habere allaborans hunc salutarem ob oculos timorem, qui provenit ex tua in omnibus sine adjutorio divino roborante deficientia. Hęc pondera & specialiter in notam sume, hancque hoc die, hac horâ, & hoc momento fac resolutionem, nullo unquam tempore aut occasione variandam. Primò, quòd omnes velis sollicitè peccandi occasiones fugere. Secundò, ad peccatum peccatique periculum vitandum, non distinctionem inter peccatum & peccatum, an sit grave vel leve, facere; sed absolutè eo ipso quòd peccatum est, illud omninò fugere velis, & tandem per arma justitiæ, à dextris & à sinistris innocentię propugnaculum ita propugnare, ut nunquam deseras, invigilans continuò super custodiam tuam, nō iṁemor, quòd vita hominis sit militia & perpetua exercitatio super terram, & quòd inimici hominis sint domestici ejus, nūquam dormientes, sed semper vigiles ad pugnandum, & si foret possibile, omninò expugnandum propugnacula salutis, justitiæ & æquitatis. S. Job illius non ignorans: *Militia*, ajebat, *est vita homi-* Iob. 7. 11.
nis super terram. Et Princeps Apostolorum: *Vigilate*, inquit, *quia adversarius* 1. Petr. 5. 8.
vester diabolus circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret.

MEDITATIO LIX.

Christianus quantumvis magnos profectus fecerit in vita spirituali, spiritum pœnitentiæ nunquam deserere debet.

I. Tota vita spiritus veræ pœnitentiæ conservandus est in praxi & exercitatione virtutis pœnitentiæ.

II. Qui

II. Qui sint actus pœnitentiæ totâ vitâ practicandi.
III. Diversi actus pœnitentiæ pro diversa temporis occasione practicandi.

Facite ergò fructus dignos pœnitentiæ, Luc.3.8.

Hæc verba exhortatoria sunt S. Joannis, generaliter directa ad omnes Christianos, in quocunque tandem statu illi sint.

PUNCTUM I.

CONsidera 1. quòd Sacramento Pœnitentiæ debitè suscepto, & omniũ peccatorum suorum plenariâ remissione obtentâ, oporteat toto vitæ decursu conservare illum pœnitentiæ spiritum, hujusmodi actus exercere frequenter. 1. Quia post quamcunque etiam confessionem, causam nihilominùs habemus semper timendi, juxta consiliũ Sapientis: *De propitiato peccato, noli esse sine metu*. 2. Quia confessione etsi benè factâ, peccatoq; omninò in se deleto, restat tamen semper in suo effectu & reliquiis, quibus natura manet languida, tarda & inexpedita ad divina exercitia & opera bona. Hujusmodi autem naturę languor, tarditas in bonis operibus & inhabilitas nequit expelli & expurgari, nisi actibus & exercitationibus pœnitentiæ virtutis. Inde provenit quòd SS. Patres pœnitentiam appellârunt Baptismum laboriosum. Et Conc. Trident. vult vitam Christianam esse continuam pœnitentiam, conformiter Apostoli doctrinæ ipso opere traditæ: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutē redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Nescit homo, utrùm odio vel amore dignus sit.* Et S.Greg. *Quid*, ait, *prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? tunc namq; benè conversum peccatorem cernimus, cùm afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* Pœnitentia ergò omnibus est necessaria, sine qua nemo salvari potest, aut Deum videbit.

Eccl.5.5.
1.Cor.9.27.
Eccl.9.1.
S.Greg.lib.6. in cap.16.lib. 1.Reg.

PUNCTUM II.

COnsidera 2. quòd pœnitentiæ necessitas tanta sit omnique hominum generi & statui ita necessaria, ut etiamsi Deum nunquam offendissemus, aut peccâssemus, quà Christiani tamen simpliciter obligati sumus vivere & mori in illo spiritu pœnitentiæ, quia Salvator noster Christus Jesus gratiam Evangelii & Legis novæ stabilivit & fundavit super hoc fundamentum, illam dum tàm ferventer prædicavit, & tàm rigorosè practicavit. *Nisi pœnitentiam habueritis omnes, similiter peribitis.* Quibus Christus prędicavit necessitatem pœnitentię ad quam proprio exemplo invitat alibi: *Si quis*, ait, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam quotidie & sequatur me.* Ad hoc hortatur Apost. *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cū vitiis & concupiscentiis suis.* Et alibi: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* Hæc siquidem mortificatio Jesu, & pœnitentia est unicum mediũ salutis, & regni cœlestis adipiscendi, testante ipsa in Evangelio Veritate: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, non alio medio, quàm pœnitentiâ acquirendum: Quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Luc.13.3.
Luc.9.23.
Col.3.5.
Gal.5.24.
2.Cor.4.10.
Matth.4.17.

S. Aug. serm. de divers. Ad quod alludit S. Augustinus: *Si citò*, inquit, *rediret ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset, peccando cadere in mortem.* Et Tertullianus: *In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus crede parcet.* *Tertull. lib. de pœnit.* Noli ergò tibi parcere, ut parcat tibi Deus. Noli parcere tibi in modico & in tempore, ut in multo tibi parcat Deus in æternitate; quia modica pœnitentia & mortificatio in vita mortali, magnam inducit remunerationem in vita æternali.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, si cupis pœnitentiæ actus exercere, quòd actus illi sint duplicis generis. Alii porrò sunt externi, interni alii: Hi sunt actus contritionis, peccatorũ detestationes extremæ, qui eò debent nobis familiariores esse præ omnibus aliis, quò efficaciores sunt ad peccata delenda & expurganda, conscientias purificandas, ac ad nos Deo citiùs & perfectiùs reconciliandos. Ex his proveniunt actus alii, quibus nos ipsos coram Deo confundimus, humiliamus, deprimimus, nos ipsos contemnimus & abnegamus, omnia de manu Domini libenter suscipientes, etiam adversissima. Et talibus faciliùs, si ex vera procedant charitate, redimus ad pristinam & amissam gratiam, & Dei amicitiam. Alii sunt externi, illique adhuc duplices: Quidam enim proveniunt ex libera nostra optione & electione. Cujusmodi sunt jejunia, orationes, eleemosynæ, & aliæ mortificationes voluntariè assumptæ quacunque in re vel occasione. Cæteri ex parte Dei immittentis, vel permittentis proveniunt. Cujusmodi sunt morbi, afflictiones, injuriæ, jacturæ bonorum corporis, animi, aut fortunæ, & similia, aut à Deo immediatè immissa, aut ab aliis, Deo permittente, illata, quæ Sancti ob peccata sua, etiam remissa, & libenter susceperunt, & patienter, imò gaudenter tulerunt. De quibus loquens S. Augustinus: *Si exceptus es*, inquit, *à passione flagellorũ, exceptus es & à numero filiorum. Plura sunt, quæ nos tenent, quàm quæ nos premunt. Et sæpiùs opinione quàm re laboramus.* *Tertull. lib. de pœnit.* *Deliqui in Deũ*, ait Tertullianus, *& periclitor in æternum perire, itaque nunc maceror & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. Plerumque verò in jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, hoc est pœnitentis munus. Idem ibidem.* Vide nunc, examina, & pondera paululùm, quàm vitæ degendæ normam servareris, à tuo Baptismate, & ab eo tempore, quo Ecclesiæ fidelium annumeratus es. Et reperies, quantum obligeris in illo spiritu pœnitentiæ, humilitatis, & patientiæ perseverare omnia libentissimo suscipere affectu, pati, & perficere, ut Deo plenæ possis satisfacere. *S. August. de ver. & fals. pœnit.* *Nunquam*, ait S. Augustinus, *credat sufficere, semper coram Deo erubescat, dolorem cum vita finiat. Apostolus peccata per Baptismum remissa quotidie plorat, nobis super fundamentum Apostoli, quid præter plorare restat.*



MEDITATIONUM VITÆ CHRISTIANÆ

PARS SECUNDA.

Quæ complectitur veritates vitæ illuminativæ.

MEDITATIO I.

De obligatione Christianorum ad virtutem.

I. Christianum oportet virtutem exercere.

II. Quare?

III. Abusus majoris hominum partis in isto puncto.

Quiescite agere perversè, discite benè facere, Isa.1.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd non sufficiat, ut quis verus sit Christianus, fugere malum; hoc est, peccatum nullum committere; verùm ad hoc requiritur, ut quis sese in praxi & usu exerceat virtutum, & Christianis omnibus communium & particularium statui, & conditioni cujusvis propriarum. *Christianus porrò justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, innocentiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, pietatis nomen est. Fidelis vocaris,* inquit S. Chrysostomus, *quoniam & credis Deo, & ab eo creditam justitiam habes, sanctitatem, munditiam animæ in filium adoptionis, regnum cœlorum, & hæc tibi commendans tu vicissim alia voluisti, eleemosynam, orationem, modestiam, & omnem aliam virtutem.* Si quis servus, ait S. Chrysostomus, totis diebus sederet brachiis compositis in modum crucis, nunquid in veritate subjaceret pœnæ, etsi domum non everteret, aut aliud quodpiam damnum Domino suo inferret, ex eo solùm, quòd bonum intermitteret, ad quod vi suæ conditionis faciendum obligatur? De Christiano quovis dic idem, cui nō satis est malum non operari; verùm magis obligatur ad benè operandum, faciendum bonum, & virtutes exercendas. *Christianismus porrò est mors vitiorum, & vita virtutum,*

Ita de vita | *Christi incertus Author, cap. 6. apud S. Aug.* | *S. Chrysost. hom. 21. ad illum.* | *S. Cypr. epist. ad Donat.*

tum, utpote involvens & mali omnis absentiam, & omnis boni virtutis præsentiam.

PUNCTUM II.

Considera secundò rationes, quæ te obligant quà Christianum, ad virtutem amplectendam & exercendam. Principalis, quòd ad hoc vi suscepti Baptismi obligeris, quia Baptismum suscipiens renuntiâsti Satanæ & actibus, & promisisti Christum sequi in modo vitæ degendæ. At vita Christi non est, nec fuit simplex exclusio mali & peccati; verùm magis continua praxis & exercitatio virtutis omnigenæ. Eam ob caussam Salvator super his nos judicabit.
Matt.25.42. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Deus, qui*, ait S. Cyprianus, *nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signâsti, ut unius ejusdemque elementi mysterio & finis esset vitiis, origo virtutibus.*
Eph.1.4. *Elegit nos, ut essemus sancti.* Sanctitas autem dicit virtutum omnium aggregationem & firmitatem. Ob id hortatur idem:
Eph.4.24. *Induite*, inquit, *novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Animadvertis requiri ad esse Christianum, bona opera, virtutum exercitia, imò sanctitatem, virtutumque omnium aggregationem. Nec damnatur peccator tàm ex malo quod fecit, quàm ex bono, quod omisit; ex eo, quòd non operari bonum in persona servi, ut vidisti, maximum sit malum.

PUNCTUM III.

Considera tertiò abusum summum maximæ partis mundi, & hominum etiam judicio communi prudentium, qui illos reputant magnos Sanctos, ex speciali etiam sui status conditione particulariter ad sanctitatem obligatos magis quàm alios, v.g. ratione status Ecclesiastici, religionis, &c. qui non committunt magna peccata & mala. Est, dicitur: Vir bonus, homo probus, nulli facit injuriam, non jurat, non est ebriosus, non impudicus, non litigiosus, &c. Verùm, quales sunt hæ virtutes? Sunt puræ carentiæ vitiorum, non ornamenta virtutum, sunt privationes imperfectionum, non perfectionũ positiones. O quot Gentiles Christum & Christianismum ignorantes, moraliter vixerunt, meliùs quàm isti; & illo non obstante, damnati, pœnas luunt æternas. Verum quidem est, ipsos habere fidem Christi & Dei, istos non: Sed etiam non ignoras, testimonio convictus Veritatis, fidem sine operibus mortuam esse & inutilem: *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Iac.2.
Inanis, ait Apostolus, *& vana est fides vestra.* Illud expressiùs expressit Sapiens: *Est*, inquit, *via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.* 1.Cor.15. Prov.25.
Quod Dominus Deus per Prophetam confirmat: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ.* Isa.55.8.
An non illius huc usque sentimenti fuisti, ut modò non incideres in peccata apparenter mortalia, satis esset, non ulteriùs multùm curando, virtutes, quæ Christianum decent, & ad quas obligatur, acquirere? Spes tua labili innixa fundamento, decepit te, si hac illusus, tuæ salutis te securum existimaveris. Cogitationes Dei, non cogitationes tuæ sunt. Et quantum distat ortus ab occidente, ita

ita cogitationes tuæ distant à cogitationibus Dei. Noli ergò illo ulteriùs seduci errore. Hoc die, hac horâ, hoc momento, desere hujusmodi mentem & sentimentum, resolutionem sumens firmissimam, impositam tibi obligationem, non omne duntaxat fugiendi malum, & peccatum; verùm & omnis amplectendæ virtutis, quæ tibi hac secundâ parte vitæ perfectæ Christianæ, delineabitur, ut hoc medio omnes in te adimpleantur partes justitiæ, Apostolicæ conformiter doctrinæ subjectis propositæ verbis: *Odientes malum, adhærentes bono.* Rom. 11. 19.

MEDITATIO II.

De profectu virtutis in hac vita illuminativa.

Primum motivum ad virtutem amplectendam inducens.

I. Virtus in hac vita honorabilis est.
II. Utilis est, producitque fructum centuplum.
III. Quid sit hoc centuplum.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, Sap. 7. 11.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quòd virtutis primus fructus hac in vita seu via illuminativa sit, quòd sit honorabilis omnibus; ita ut si sis honoris amator, prout naturaliter sunt omnes homines, illud persuasum tibi habeas; quòd verum hujusmodi honorem nullibi invenies, unquam nisi in virtute: *Quicunque*, ait Salvator noster, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est*, hoc est, quicunque virtutem operatus fuerit, *ipse meus frater, soror & mater est.* Quis ille honor est, illum ita proximè contingere, coram quo, seu respectu cujus creaturæ universæ minùs sunt quàm atomi? *Ipse meus frater, & soror, & mater est.* Ex hoc unica Maria Magdalena dispicabilis & vilis ob sua peccata, honorabiiis facta est. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quòd hæc fecit.* Nunquid ergò verissimum est, homines illos verè obcœcatos esse, qui virtutem ita parvi faciunt, eorumque bilances esse deceptrices? Hos ut ad cor redeant, hortatur Propheta: *Convertimini*, inquit, *& videbitis, quid sit inter justum, & impium, & inter servientem Deo, & non servientem ei.* Verè juxta Psalmistam: *Mendaces filii hominum in stateris.* Hos redarguens Dominus: *Dixistis*, inquit, *vanus, qui servit Deo; & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?*

Matt. 12. 50. Matt. 26. 13. Malach. 3. 18 Psal. 61. 10. Malach. 3. 14

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quòd alter virtutis sit fructus & profectus, quòd illa utilis sit, & proficua Salvatore asserente, & testimoniū perhibente. *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, vel fratres, vel patrem, vel filios, aut agros propter me, & propter Evangelium.* Hoc est, pro Evangelii defensione, aut executione, & perfectionis assecutione, & virtutis, quam docet, *qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore.* Marc. 10. 29 & 30.

Hoc

Hoc est; ob quod virtutis amatores & sectatores hortatur ad lætandum, Propheta: *Lætamini*, inquit, *cum Jerusalem, ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis, & delitiis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Ecce, ego declinabo super eam fluvium pacis. Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Dubitare hisce de promissis non audebis, cùm cœlum & terra potiùs sint transitura, quàm punctum vel unicum, vel verbum ejus in minimo fallat, quantumvis quasi impossibile appareat.

Isa 66.10. & seqq.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, quale hoc sit centuplum, hac in vita promissum virtuti, & virtutum cultori. Hoc centuplum communi SS. Patrum sententiâ & opinione, sunt gratiæ divinæ, spirituales divitiæ, quas Deus homini virtuoso largitur, illustrationes, Spiritus S. interiores consolationes, gaudium bonæ conscientiæ, quod testimonio Sapientis, *juge est convivium*; spes, & confidentia divinæ misericordiæ, vera libertas spiritus, quibus fruitur virtuosus, sopitis passionum suarum fluctibus, mundi ac dœmonis insidiis elusis. Hoc clarè expressit Veritas in Evangelio: *Omnis*, inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Hæc & similia motiva, nunquid sunt imitationes gratiosæ, potentissima incitamenta, & allectiones fortissimæ, nos ad virtutem, & virtutis amorem excitandos, ad ejusque in nobis ardorem accendendum vehementissimum? Felix profectò ille, quem Dominus erudierit, ac de lege sua docuerit eum, ut in veritate dicere possit cum Psalmista: *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Et alio in loco. *Occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi. Nosce enim te*, testimonio Sapientis, *consummata justitia est, & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis. Gloria porrò, honor & pax omni operanti bonum*, inquit Apostolus. Et è contra: *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Dicite justo quoniam benè: Væ impio in malum.*

Matt.19.29.

Matth. 5. & 14.18. & 33.

Psal.26.1.

Psal.50.8.

Sap.15.3.

Rom.2. 9.& 10.

Isa.3.10.

MEDITATIO III.

Quòd virtus sit utilis, conducens, immò necessaria ad vitam æternam.

Duo motiva ad virtutem amplectendam.

I. Cœlestis gloria est præmium virtutis.

II. Quale, & quàm magnum sit illud præmium.

III. Via unica ad virtutem acquirendam.

Mandatum ejus vita æterna, Joan.12. 50.

PUNCTUM I.

Considera primò, quamvis præmium virtutis hac in mortalitate magnum sit, testimonio Veritatis in Scripturis sanctis: *Cùm venerit Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnem veritatem. Lux orta est justo, & rectis corde lætitia. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ,*

Joan.13.16.

Psal.69.11.

Psal.30.20.

tuæ, Domine, quam abſcondiſti diligen-
Pſal.118.49. *tibus te? Memor eſto verbi tui, ſervo*
tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Nam ubi
2. Cor. 3. 17. *Spiritus Domini, ibi libertas. Quâ libe-*
Rom.6.22. *rati à peccato*, inquit Apoſtolus, *ſervi*
facti eſtis Deo. Hujus cupidus libertatis
Pſal.118. 20. Regius Propheta: *Concupivit*, ait, *anima*
mea deſiderare juſtificationes tuas in om-
ni tempore. Juſtitiæ Domini rectæ, lætifi-
Pſal.18.11. *cantes corda. Judicia Domini vera, juſti-*
ficata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper
aurum, & lapidem pretioſum multùm,
& dulciora ſuper mel & favum. Ita hac
in mortalitate præmiatur virtus, ac ejus
præmium tanti à Sanctis, & Dei amicis
æſtimatur, concupiſcitur, & optatur:
Verùm majus per omnẽ modum in al-
tera vita erit, ubi Deus ipſe erit omniũ,
quæ prætendere & deſiderare poſſe-
mus, præmium. Hoc ipſe Deus di-
gnatione gratuitâ & ſpeciali ſervo ſuo
Gen.25.11. Abrahæ intimare voluit: *Ego*, ait, *prote-*
ctor tuus ſum, & merces tua magna ni-
mis. Ad hanc invitantur gratiosè electi
Matt.25.34. à Salvatore: *Venite*, inquit, *benedicti Pa-*
tris mei, poſſidete regnum, eſurivi enim,
& dediſtis mihi manducare, &c. Ibi nihil
Ioan.4.18. ulli deerit in ullo. *Omnis*, ait Chriſtus,
qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei,
non ſitiet in æternum. Eſtne aliquid quod
venire poſſit in comparationem cum
præmio virtutis, vel quod poſſit aliquo
modo æſtimari reſpectu illius? Cùm
bolus panis, calix aquæ, panniculamen-
tum miſerum pauperi ob Chriſti & Dei
amorem datum, meretur regnum cœ-
Matt.10.42. lorum. *Quicunque potum dederit uni ex*
minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tan-
tum in nomine Diſcipuli, amen dico vo-
bis, non perdet mercedem ſuam. Ex quo
hanc vitæ æternę mercedem apprehen-
dens Pſalmiſta: *Melior eſt*, ait, *dies una* Pſal.83.11.
in atriis tuis ſuper millia. Videlicet, in-
quit S. Auguſtinus, *millia dierum deſi-*
derant homines. Deſiderent unum diem, S. Aug. ſup.
qui non habet ortum nec occaſum, quid Pſal.
nobis cum millibus dierum? Intras à mil-
libus dierum ad unum diem. Ob hoc
ſubjungit Pſalmiſta: *Elegi abjici in domo*
Domini, magis quàm habitare in taber-
naculis peccatorum. Elige & tu, & effica-
citer elige, ut inhabitare merearis in
domo Domini, & in ſæcula ſæculorum
laudare eum, ut & tu in illo lauderis.

PUNCTUM II.

Conſidera ſecundò, & benè recogi-
ta, quid ſit regnum cœlorum. Pau-
cis: Regnum cœlorum eſt fruitio Dei,
Chriſti Domini & Salvatoris noſtri vi-
ſio, Virginis beatiſſimæ, Dominæ no-
ſtræ, omnium Angelorum, & omnium
Sanctorum ſocietas, honores ſupremi,
poſſibiles, decitiæ ineffabiles animæ &
corporis, divitiæ paradiſi inæſtimabi-
les, & cumulus omnium bonorum &
deſiderabilium indicibilis, pro omni
æternitate ſine ullo amiſſionis timore à
Beatis poſſidendus. Si mercatores &
inſtitores nulli parcant labori & indu-
ſtriæ, ſeſe quibuſvis etiam periculis
ſubjicientes terrâ marique, pro parvo
lucro in ſpe, ut ſe ſuamque familiam
eximant à neceſſitatibus & egeſtate hu-
jus vitæ: Quid ergò nos decet & opor-
tet facere ad virtutem comparandam,
quæ eſt unica ad cœlum & vitam bea-
tam via. Hujus vitæ felicitas inexplica-
bilis eſt. Hanc volens Pſalmiſta expli-
care, & non potens: *Inebriabuntur*, in- Pſal.35.9.
quit, *ab ubertate domus tuæ, & torrente*

P *volupta-*

voluptatis tuæ potabis eos. Quæ lingua, inquit S. Gregorius, *dicere, aut quis intellectus capere sufficit, quanta civitatis illius supernæ sint gaudia? Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?*

S.Greg.hom. 37. in Ev.

PUNCTUM III.

CОnsidera tertiò verbum hoc unicum, aliud non datur: Te oportet esse vel virtuosum, vel vitiosum, vel ornatum virtutibus, vel vitiis subjectum, non datur medium: Quia si annumerari nolis tepidis, ore Filii Dei condemnatis, qui cum omnibus peccatoribus, & vitiosis nihil prætendere possunt in cœlo, & regno Dei, ut vidisti & audivisti: Te oportet viam regiam virtutis amplecti, nulla porrò datur via alia ad cœlum & regnum Dei, in quo soli virtuosi præmiantur & coronantur. Qui ergò resolvit prætendere coronam in regno Dei, & præmium in cœlo, resolverit necesse est viam mandatorum Dei percurrere, & virtutis viam nunquam deserere. Hîc datur optio omnibus uti sinistram eligat vitii, vel dexteram virtutis. Hæc est beandorum & coronandorum in cœlo, illa condemnandorum & cruciandorum in inferno. Nunc te resolvas oportet, non est diu tardandum, non datur dissimulandi locus; unum è duobus eligendum est. Neutralitas in præsenti nulla admittitur. Ideò homo nobilis, qui dicitur in Evangelio abiisse in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti: *Vocatis decem servis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.* Ut de reportato lucro in reditu ejus remunerarentur, & de neglecto, ut exprimit Evangelium, punirentur. Lucrum hoc in exercitio virtutum invenitur, remuneratio verò vita æterna est. An non hæc remuneratio illo digna est labore? Resolve ergò nullo reputato discrimine, aut æstimato labore, virtutem fortiter amplecti, viriliter prosequi, ac feliciter eum sequi. Dic cum Propheta, & intus, & efficaciter dic: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Consilium S. Luciferi attende & sequere: *Primas*, ait, *apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, summasque sibi sollicitudines partes solas, quæ summa est, vindicet: Hæc nos occupet in præsidium & tutelam sui, jam non planè prima, sed sola.*

Luc. 19. 13.

S. Lucifer. ad Valer.

MEDITATIO IV.

Virtus facilè acquiritur.

I. Virtus facilè acquiritur.
II. Quid virtutem reddat facilem.
III. Etsi in acquirenda virtute foret difficultas reperta, tamen in vitiis difficultas est incomparabiliter major.

Mandata ejus gravia non sunt, 1. Joan. 5. 9.

PUNCTUM I.

CОnsidera primò, quòd præter honorem, laudem, fructum, & utilitatem in virtute repertam, inveniatur prætereà summa facilitas. Hanc certificat Veritas Patris, mundi Salvator, & unicus Magister & Doctor universo-

rum cupientium viam Dei in veritate discere invitans, eo motivo proposito, ad jugum suum portandum: *Jugum enim meum*, ait, *suave est, & onus meum leve.* Vel si nobis ingrata & difficilis videtur, non est nisi ratione appetitus nostri inordinati, non aliter ac cibi optimè conditi, delicatissimi, gustuique benè disposito suavissimi, amari & ingrati infirmis videntur, ratione linguæ bili vitiatæ, & stomachi peccantibus ac vitiosis repleti humoribus. Quibus exclusis, & sanitate redeunte infirmus jam convalescens, experitur cibos saporis optimi. Vis ergò ut virtus sit tibi facilis, eges duntaxat te ut eximas ab omnibus concupiscentiis inordinatis, unumque ut intendas bonum, juxta illud: *Vnica virtuti stat via, multa malis.* Quod Sapiens uno expressit verbo: *Non declines*, inquit, *ad dexteram, neque ad sinistram.* Ad unum ergò se quis determinare debet, unum quippe necessarium est. Ideò ad illud unum non determinatum dicitur: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Audietque verbum tuum condemnationis: *Discedite à me omnes operarii iniquitatis in ignem æternum. Nam neque fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque fures, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt.* Hæc ut evitaret, rogabat magno optando affectu Propheta: *Vtinam*, ait, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Ad illud desiderio cœlestis habitationis excitatus, ut alibi expressit: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Dilexi Domine decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Animus illo divinæ habitationis excitatus desiderio, maximos in via virtutis facit progressus, nullam in ullo sentiens difficultatem. Quia, ut benè Picus Mirand. *Si videtur homini dura via virtutis, quia continuè nos oportet pugnare contra carnem, diabolum, & mundum, recordetur, quòd quamcunque elegerit viam, etiam secundum mundum, multa illi adversa, tristia, laboriosa toleranda sunt. Recordetur, quòd in rebus mundi diutiùs pugnatur, & laboriosiùs, & infructuosiùs. In quibus labor est finis laboris, & tandem pœna æterna. Recordetur, stultum esse credere, ad cœlum posse pervenire, nisi per hujusmodi pugnam, sicut & caput nostrum Christus, non ascendit in cœlum, nisi per crucem. Nec debet servi conditio melior esse conditione Domini.* Via ergò sanctæ crucis, & continui certaminis, est via salutis, via ad veram requiem, via ad regnum.

Matt. 11. 30. — Prov. 4. 27. — Apoc. 3. 16. — Luc. 13. 27. — Mal. 21. 41. — 1. Cor. 5. 10. — Psal. 118. 8. — Psal. 83. 2. — Psal. 5. 8. — Pic. Mirand. de spir. pug.

PUNCTUM II.

CONsidera secundo, quòd illud, quod virtutem, & viam virtutis nobis reddit facilem, jucundam, & amabilem, sit primò gratia divina, à Salvatore nostro Christo Jesu nobis ad virtutem cum facilitate & delectatione animi exercendam specialiter data gratia, quam pretio sacratissimi sanguinis sui nobis acquisivit, virtute cujus nobis iter cœli lævigavit, faciens nos currere viam mandatorum suorum, dicendo cum Propheta:

Psal. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum. Non currerem,* inquit S. Augustinus, *nisi dilatâsses. Non ergò per proprium, & quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium malum; sed gratiæ tuæ adjuti & excitati adjutorio, currimus, quicunque currimus. Cordis porrò dilatatio, justitiæ est delectatio,* à divina proveniens gratia, viam virtutis nobis reddente delectabilem. Secundò, hanc facilitatem inducit amor ipsius virtutis: Amanti nihil difficile. Nemo propriâ edoctus experientiâ, ignorat, quòd nulla ibi inveniatur pœna, ubi amor imperat & dominatur. Amor facit dulcescere omnia, etiam quæcunque difficilia aliàs & amara in gratiam amati suscepta. Si ergò salutem nostram, & verum bonum nostrum amemus, omnes labores, pœnæ & difficultates ob hoc subeundæ, nobis incomparabiliter leviores, dulciores, & breviores videbuntur, quàm septem anni, quibus servivit Jacob pro Rachel. De quo in sacro dici-
Gen. 29. 20. tur eloquio: *Pauci dies illi videbantur præ amoris magnitudine.*

PUNCTUM III.

Considera tertiò, etsi foret in via virtutis difficultas subeunda nonnulla, illa tamen quæ in vitiis & peccatis reperitur, est incomparabiliter major & dif-
Eccl. 21. 11. ficilior: *Via peccantium,* inquit Ecclesiasticus, *complanata lapidibus.* Ita ut mali sæpè plus laboris impendant, ad se damnandum, quàm justi ad salutem suam acquirendam. Ob hoc in persona
Sap. 5. 6. 7. peccatorum exclamat Sapiens: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia seu abundantiæ quid contulit nobis? Ergò erravimus.* Hæc est consequentia & conclusio: Sed ubi antecedens? Illud est vita peccatoris priùs post mortem errorem agnoscentis, sed seriùs malè finiendo vitam malam, concludit in veritate benè, at sibi malè. Dum non potest ampliùs emendare & errorem corrigere. Agnoscamus nos modò in vita errorem nostrum, & corrigamus. Dicamus & concludamus: Ergò erramus, nos ipsos seducimus & damnamus, si credamus virtutem esse difficilem. *Unumquodque in* S. Thom. 1. 2.
quantum amatur, efficitur delectabile. q. 33. art. 1.
Verus amor, ait S. Augustinus, *non sentit amaritudinem, sed dulcedinem.* In eadem confessione est S. Bernardus: *Fa-* S. Bern. serm.
teor, inquit, *non sustinui pondus diei &* 35. in Cant.
æstus, sed jugum suave, & onus leve, pro beneplacito patrisfamilias pondo: Onus meum vix unius horæ, & si plus præ amore non sentio. Nihil est tàm durum atque S. Dionysius
ferreum, quod non amoris igne vincatur. cœlest. hier. c. 15.
Cui Tertullianus subscribens: *Nulla,* Tertull. lib.
ait, *major voluptas, quàm voluptatis fa-* de spectacul.
stidium. Ita virtutis viam facilem, jucundam & suavem, omnes Sancti & virtutis amatores & sectatores; viam verò vitiorum spinosam, difficilem & injucundam: *Ecce, ego sepiam viam tuam spinis* Oseæ 2. 6.
Et Psalmista: *Velut somnium surgentium* Psal. 72. 20.
Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Via impiorum, inquit Sapiens, Prov. 4. 19.
tenebrosa, nesciunt ubi corruant. Et Veritas in Evangelio: *Si cognovisses,* inquit, Luc. 19. 42.
& tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Id experientiâ convictus agnoscens S. Augustinus: *Jussisti Domine,*

S. Aug. lib. 1. Confess. c. 6. mine, inquit, & sic est, ut omnis inordinatus animus ipse sibi sit pœna. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates. Te propitio tantò magis, quantò sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu.

MEDITATIO V.

Qualis virtus Christiana esse debeat, ejusque differentia à simplici virtute morali.

I. Virtutes Christianæ paucæ sunt.
II. Differentia virtutis Christianæ à Philosophica.
III. Virtutis moralis ab infusa.

Non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui, Eph. 4. 17.

VIdete, ne in prosecutione & assecutione virtutum, imitemini Philosophos, & Gentiles Scriptores, virtutes duntaxat apparenter requirentes affectu vanitatis, & proprii commodi interventu.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd etsi plures virtutem æstiment, optent & requirant, sese etiam ut videtur, impendentes in ejus assecutione & exercitio, pauci nihilominùs inveniuntur veris & solidis virtutibus Christianis ornati. Cujus ratio potissima est, quòd hoc in negotio ducantur & regantur spiritu philosophico, politico & vano; hoc est, spiritu, sensu & lumine naturali rationis humanæ magis, quàm spiritu & lumine gratiæ Christianismi.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, hujus utriusque spiritus differentias. Prima est, quòd illi, qui puris principiis philosophicis inducti, virtutem acquirere intendunt, virtutem intueantur simpliciter in se ipsa, velut rem excellentem, rationi rectæ conformem, necessariamque ad hominis perfectionem, intra tamen naturæ limites conclusam. At Christianus, quà talis, Christo & salutis principiis se in ejus exercitio conformans, illam sic in suo principio, & origine, hoc est, in Christo Jesu respicit, qui fons est & scaturigo omnis gratiæ, omnisque operationis gratiosæ, inque ea æstimatione & pretio, quo dignatur nostras in se suaque gratia exercitas operationes acceptare: *Quia de plenitudine ejus*, pleni ut fiamus, *omnes accepimus*. Secunda est, quod Philosophus sibi firmiter persuasum habeat, posse se acquirere virtutem sua in perfectione, naturali virtute, suâque vigilantiâ, observantiâ, & speciali sui ipsius consideratione, ac suarum actionum ad rationem rectam conformatione, & continuâ reductione omni alio secluso. At Christianus totum Deo attribuens, recognoscit virtutem veram & Christianam posse acquirere, esse speciale Dei donum, *descendens desuper à Patre luminum*, nihil ex se ipso posse tali non adjutum divino adjutorio. Et ob talem sui ipsius recognitionem, & suæ in eo insufficientiæ notitiam, petit à Deo instantiâ magnâ veram virtutem, & donum veræ perseverantiæ, magna cum fiducia & perseverantia, puræ divinæ magis fidens misericordiæ, quàm pre-

Ioan. 1. 16.

2.Cor.3.5. cum suarum efficaciæ. Agnoscens cum Apostolo : *Nos non esse sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed omnem nostram sufficientiam ex eo esse.* Tertia est, quòd Philosophus virtutem amat, requirit, & practicat, sibi duntaxat ut satisfaciat, placeat hominibus, æstimetur magnus, & dignus apud mundanos magnis titulis & nominibus, pretium suæ virtutis & mercedem requirens & recipiens ab hominibus. Christianus autem virtutem amat, requirit, & exercet, causa Dei, non sui ipsius, Deo ut placeat, fiat quotidie magis Deo gratus, magis ac magis suo capiti Christo Jesu conformetur, eum glorificet, & exercitia virtutum, quas Christus practicavit, insuper continuet : *Adimplens cum Apostolo in carne sua, quæ desunt passionum Christi pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Col.1.24. In eo sequutus consilium Sapientis & factum non deserens: *Scivi,* ait, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire, cujus esset hoc donum. Adii Dominum, & deprecatus sum illum.* Hæc est scientia Sanctorum, & opus timentium Dominum, & Christi imitatorum ac familiarium, Christianismum verè profitentium.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò differentiam extremam repertam inter virtutes morales, & virtutes Christianas, in eo, quòd primæ sint humanæ virtutes, spiritu humano prodeuntes, naturales puræ, virtutes deceptoriæ, & apparentes, non subsistentes, soli proprio amori innixæ, & vanitati, quia vanæ, & non veræ sunt. *Veræ siquidem virtutes esse non possunt*, inquit S. Augustinus, *nisi in iis, quibus pietas inest.* S. Aug. lib. 19 de Civ. c. 4. At virtutes Christianæ, sunt divinæ, divino originatæ spiritu, supernaturales, verè tales subsistentes. Uno verbo, sunt ipsæ Christi virtutes, quas his omnibus communicat, qui illi adhærent, ut illi sint in Christo per imitationem, & Christus in illis per operationem, ut verificetur ita dictum illius : *Vos estis in me, & ego in vobis.* Ioan.24.10. *Vos*, inquit Glossa, *in me, quasi palmites in vite, & ego in vobis, quasi vitis in palmite.* Relinquentes ergò vanum, & seductorium Philosophorum, ac Gentilium agendi modum, eorumque maximas contemnentes, Apostoli consilium secuti : *Induite vos novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* Eph.4.24. Rom.15.3. Ducaris ergò in virtutum electione, exercitio, & assecutione, spiritu novi hominis, qui est Christus Jesus : *Qui non placuit sibi.* Hoc die, hac horâ, & hoc momento, huic te praxi virtutum totâ animi aviditate applices, non tibi ipsi placens, sed Deo, ad meritum & remunerationem, & proximo ad exemplum & ædificationem, tibi ipsi plenè renuntians, omnes tuas actiones, intentiones, & voluntates, Christo Jesu Domino nostro unicè offeras, illi ut placeas, non tibi ipsi aut hominibus, ut faciebant Philosophi Gentiles. Ne patiaris in te condignam Apostolicam reprehensionem, illis justè factam, cadere : *Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt eum.* Rom.2.21. *Vos autem non ita didicistis* Eph.4 20.

Christum. Placeas ergò Deo, quem cognoscis, illum glorifices, illum honores, illum ames. Christo servias: *Christus enim tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in justificatos jugiter influit.*

Trid. Sess. 6. cap. 16.

MEDITATIO VI.

Quàm magna esse debeat Christiana virtus.

I. Ad omnes Christianos hæc verba diriguntur: *Nisi abundaverit justitia vestra, &c.*

II. In quo justitia Christiana superat justitiam Pharisæorum.

III. Usque in quem gradum perfectionis se extendat virtus Christiana.

Dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm Scribarum aut Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, Matth. 5. 20.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quòd Christus Salvator & Dominus noster, omnes alloquatur Christianos, dicens: *Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm Scribarum & Pharisæorum,* qui tamen inter Judæos erant communi saltem æstimatione populi, pientiores, & virtuosiores; *non intrabitis in regnum cœlorum.* Hujus ipse reddit rationem alio in loco, ubi ait: *Omni, cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Quemadmodum plus requiritur à servo, cui decem Ducati dantur in remunerationem exhibiti, vel exhibendi servitii, quàm ab eo, cui duntaxat pro suo servitio quinque rependuntur Imperiales. Ideò Christiani, quibus Deus confert maxima dona & adjutoria ad benè operandum, cujusmodi sunt gratiæ actuales, & habitualis fides, spes, & charitas, cognitiones supernaturales, instructiones speciales, sacramenta eorumque effectus salutares, & hujusmodi favores gratiæ, & dona majora multò, & modo alio, quàm ulli unquam concesserit nationi, populo, aut genti, etiam Judaicæ, quam specialiter in antiquo Testamento prælegerat, obligantur ad perfectionem majorem & eminentiorem, quàm ulli alii: *Non enim fecit taliter omni nationi.* Ergò major ratio exigetur à Christianis, quàm ab ulla alia natione. Ergò se Christiani districtiori examine dijudicare debent, ut gravius judicium evadant divinum. Ne ut arbori fici infructuosæ illis contingat. Succide, inquit Dominus ejus, illam; ut quid etiam terram occupat? Evadentque maledictionem comminatam Corrazain & Bethsaidæ: *Væ tibi Corrazain! Væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim, in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico Tyro & Sydoni remissius erit in die judicii, quàm vobis.* Hæc Christiano ponderanda sunt seriò.

Matt. 5. 20. Luc. 12. 48. Psal. 147. 20 Luc. 13. 7. Matt. 11. 21. 22.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò synopticè, quò usque sese extendat, & extendere debeat virtus Christiana. Id ad longum exprimitur Mat. 5. 6. 7. & Luc. 6. & quàm adhuc longè absis à tali virtutis perfectione. Perfectio hæc inducit te ad dandum

dum omni petenti propter Deum, & ad nihil recipiendum eorum, quę tibi referuntur. *Omni petēti te tribue, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Mutuum da gratis omninò, lucri nihil inde requirens, doctrinæ inhærens Evangelicæ: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Hæc te urget perfectio illi non resistendi, qui tibi malum infert; verùm magis si te in unam percusserit maxillam, præbe illi & alteram. *Noli resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram, præbe illi & alteram.* Imò pallium rapienti dimitte, cui & tunicam non deneges, si de ea contendere tecum voluerit. Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, præbe ei & pallium. Hæc porrò Christiana virtus perfectum reddit, sicut Pater cœlestis perfectus est. Hoc est: Exprimit in nobis omnem perfectionem divinam, cujus creatura hac in mortalitate capax dignoscitur. Quo sensu Salvator: *Estote, inquit, perfecti, sicut Pater vester cœlestis, &c.* Hi eximii actus virtutum, hæc Christianæ perfectionis consilia, suntne tuo judicio à Christo Salvatore proposita, & inculcata duntaxat, ut libris & voluminibus recluderentur, sine eo, quod in ullum transiret actum, praxim & exercitium? Nullo modo. Ubi verò hoc tempore horum praxis reperitur? Verè ipso duntaxat solo intuitu, honorem, respectum & reverentiam tàm sanctæ & veridicæ doctrinæ reddemus debitam, excitati, nullâ nos occasione unquam hujusmodi praxim laudabilem intermittere deberemus? Te ad hoc resolvere ne moreris, occasionesque particulares, ubi praxis hujus intercurrere poterit, animadverte diligentiâ possibili. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Luc.6.30. Luc.6.35. Matth.5.39. Matth.5.40. Matth.5.48. Rom.2.13.

MEDITATIO VII.
In quo virtus principalis sita sit.

I. Virtus sita est in interiori homine.
II. Notæ discernendi virtuosum à non virtuoso.

Regnum Dei intra vos est, Luc. 17. v. 21.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, juxta verbum Domini; quòd Christiana virtus sita non sit in cæremoniis, & pompis exterioribus, quam ob causam ante immediatè dixerat: *Non venit regnum Dei cum observatione.* Hoc est, regnum Dei non venit exterioribus apparentiis & adumbrationibus, sed internis firmatur virtutibus. *Regnum Dei intra vos est.* Quod experiens Apostolus: *Condelector, inquit, legi Dei, secundùm interiorem hominem.* Quod confirmans suâ doctrinâ ad Galatas: *Dico autem, spiritu ambulate.* Regnum ergò Dei in corde tuo est, in anima tua, in tuo interiori homine. Hæcque differentia est inter Christianismum & Judaismum, quòd Lex Judaica exterioribus potissimùm cæremoniis & observationibus continebatur, quibus intendebatur magis sensibus exterioribus visus & auditus perceptibilibus, quàm interioribus hominem Deo gratum & acceptum facientibus. Deus, qui spiritus est, solo spiritu & veritate delectatur. Hoc clarè

Luc.17.20. Luc.17.21. Rom.7.22. Gal.5.16.

expressit

Joan. 4. 23. & 24. expressit Christus in Evangelio: *Venit*, inquit, *hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ideò Lex nova, & Gratia, à Christo data & promulgata, interioribus potissimè intendit, utpotè ut Deus adoretur, ametur, illique serviatur *in spiritu & veritate*, ut inquit Christus, Joan. 4. 24. Quâ Sapiens instructus doctrinâ, hortatur potissimè ad custodiam cordis & interni hominis: *Omni custodiâ*, inquit, *custodi cor tuum, ab ipso enim vita procedit.* Prov. 4. 23.

PUNCTUM II.

Disce huic insistens veritati, discernere hominem virtuosum, à non virtuoso. Hæ potissimæ sunt notæ. Primò, si virtus sit intra nos, in interiori homine, sequitur, hominem exterioribus non esse virtuosum, neque habitu, neque apparentiâ, exteriori religiositatis neque discursu, & sermocinatione pietatis, neque vitæ & status professione, aut ullis puris exterioribus & apparentibus. Alios inferre oporteret Ecclesiasticos omnes & Religiosos esse virtuosos: Quod non est. Judas porrò non obstante titulo Apostolico, & pietatis apparentiâ, erat nihilominùs juxta verbum Domini, diabolus: *Unus ex vobis*, inquit, *diabolus est. O quàm rari sunt, qui spirituales re & nomine censendi: Vocabulum hoc dinuntiatione sortiuntur multi, effectum verò ipsius pauci.* Secundò, homo præcisè non est pius & virtuosus, quia confitetur sæpè, sæpè communicat, quòd multas fundat preces, frequentet sæpè ecclesias, divinis assistat sæpè sacrificiis, aliis exercitiis studeat pietatis, ex eo, quòd hæc exteriora sint, quæ purâ exteriori apparentiâ & cæremoniâ exhiberi possunt, quæ nullum planè habent meritum, nisi spiritu Dei & veræ charitatis animata interiùs, ubi sedes est virtutis, & origo omnis perfectionis hominis: *Omnis*, inquit Psalmista, *gloria ejus, filiæ Regis ab intus.* Quo spiritu loquens Apostolus: *Testis*, inquit, *est mihi Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus.* Ut perfectio corporis procedit ab interiori animæ & spiritus inhabitantis virtute & perfectione; ita perfectio actuum externorum virtutis dependet & procedit à perfectione & virtute spiritus charitatis inhabitantis & influentis in actum exteriorem, ita ut actus exteriùs virtuosus sit secundariò, participativè, denominativè, & quasi extrinsecè; interior verò primariò, essentialiter, substantialiter, & intrinsecè, quia proximè profluens à spiritu inhabitante, cui conjunctus est. Qui ergò justè vult viri virtuosi qualitate & titulo gaudere, vivere debet vitâ interiori, vitâ spiritus, vitâ cordis & animi, quem dulcis hospes animæ Spiritus inhabitat per charitatem, ac eodem vitæ influxu in actus omnes exteriores, & imperatos influere. Incursurus aliàs dignam Dei reprehensionem apud Prophetam: *Populus iste labiis suis me glorificat, cor autem ejus longè est à me. Miser homo*, inquit S. Bernardus, *qui totus pergens in ea, quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse,* cum

Joan 6. 17. S. Laur. Iust. lib. de obed. c. 16.

Psal. 44. 14.

Rom. 5. 9.

Isa. 29. 23. Matt. 15. 14.

S. Bern serm. 2. in c. jejunii. *cùm nihil sit, ipse se seducit, comederunt alieni robur ejus, & ignoravit. Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit: Manet tonsura, jejuniorum observantia, regula custoditur, statutis psallitur horis: Sed cor longè est à me, dicit Dominus. Attende solerter, quid diligas, unde metuas, unde gaudeas, aut contristeris* Examina nunc, an actiones tuæ exteriores, functiones tuæ & exercitia, orationes tuæ, tua jejunia, tuæ eleemosynæ, communiones tuæ, confessiones, omnes pietatis exercitationes, tibi subeundæ, vel ex speciali voto & obligatione, vel ex pura devotione, assumptione liberâ nullâ ad hoc adactus singulari obligatione, illo spiritu interiori charitatis ita vivificentur, ut vita in nullo Judaicæ, seu Pharisaicæ vitæ conveniat, seu congruat in eo, tibi vigilantia adhibenda est. Psal. 49. 14. Ioan. 6. 64. *Immola Deo sacrificium laudis. Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam.*

MEDITATIO VIII.

De obligatione nostra ad Christum Jesum Dominum nostrum imitandum.

Primò ratione suscepti Baptismi.

I. Proplasma, & prototypon, seu archetypon Christi amorum, est Christus Jesus.

II. Ille Christianè non agit, qui non agit spiritu Christi.

III. Quàm pauci sint veri Christiani.

Quicunque baptizati estis in Christo, Christum induistis, Gal. 3. 27.

PUNCTUM I.

Suppone primò, quòd evidenter, & convincenter vi, & consequentiis præcedentium meditationum convincentibus resolutus omninò sis, & convictus omnibus vitiis, vanitatibus & mundaneitatibus rejectis, & ex animo abjuratis, virtutem de cætero animo amplecti generoso; & quòd efficaci ad hoc desiderio inducaris, absolutâ, & benè formatâ resolutione impulsus, virtutis ponderatâ utilitate, facilitate, & necessitate. Vide modò & maturè considera, quo te oporteat prototypo seu archetypo uti hac in virtutum praxi, & vitæ tuæ totius directione. Hoc tibi proponentem Apostolum audi. *Induimini Dominum Jesum Christum.* Rom. 13. 14. Tuum ergò archetypon, quâ Christianus es, aliud non est, quàm *Christus Jesus.* Et ut veritatem hanc assequaris evidenter, & funditùs tibi incorpores, nullo alio eges medio, quàm tui nominis interpretatione debitâ. Siquidem Christianus alius non est, quàm ille, qui suâ fide, & suis moribus doctrinam & vitam Christi Jesu sequitur, ipsamque Christi Jesu vitam, suæ vitæ ducendæ consuetudine repræsentat & exprimit. Non aliter appellatur quis Epicureus, quàm ille, quicunque in suis moribus, vita, & actionibus, doctrinæ Epicuri, vitæ, & maximis, seu principiis conformat. *Ipse est Christianus*, ait S. Augustinus, *qui non aspernatur viam Christi.* S. Aug. in Psal. 36. Et Apostolus: *Omnia vestra sunt; vos autem Christi.* 1. Cor. 3. 23.

Eph.3 13. Ioan.14.6. *Christi. In Christo,* inquit, *signati estis, Ego sum*, ait ipsemet Christus, dignatione nos instruens speciali, *via, veritas, & vita.* Si ergò resolutionem sumpseris, Christianam ducere vitam; necessariò illius perfectè instituendæ archetypon perfectum & indefectibile tibi erit *Christus Jesus*, quo dirigaris indefectibiliter, & ardenter exciteris ad vitam Christianam perfectè & irreprehensibiliter instituendam.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, hisce Christianismi veri veris inhærens principiis, quòd obligatione, quâ ut Christianus obligaris Christianè agere, vivere Christianè, & spiritu animari in omnibus tuis actionibus Christiano, eâdē obligatione Christum Jesum sequi & imitari obligaris. Eò quòd vita Christiana necessariò innitatur Christo Jesu, velut suo principio fundamentali & primario. Nemo Christianus habendus est, qui spiritu Christi non agit, & agitur. Hoc est, ad Christi perfectam imitationem. Hæcque sola operatio Christiana est æstimanda, quæ huic archetypo, spiritu hoc divino animata, conformiter elicitur, ipsiusque impulsu operatur. Hoc illo fundatur principio, quòd ratio recta non sit actionum nostrarum regula, in quantum Christianæ sunt, multò minus passio; verùm magis Christus Jesus solus regula perfecta & lex immaculata est, quam servare obligaris & sequi in omnibus, & per omnia à suscepto Baptismo. Apud S. Aug. incert. Auth. de vit. Chr. c.6. *Christianus ille est, qui non nomine tantùm, sed & opere Christum imitatur & sequitur, qui sanctus, innocens, impollutus, intactus est.* Unde Apostolus: *Quicunque,* inquit, *hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* Gal.6.6.

PUNCTUM III.

COnsidera secundò, (hoc si verum sit, quod verissimum esse, nemo sanæ mentis dubitat, ut actio Christiana sit, oporteat necessariò ut Christi legibus, regulis, & ordinationibus omninò conformis sit, & spiritu Christi animata; & ut quis Christianus sit, exercere oporteat actiones Christianas,) quàm paucæ ex infinito penè actionum numero verè reperiantur Christianæ; & quàm rarò in vitæ nostræ toto decursu verè simus Christiani. Major hominum pars, totâ vitæ suæ revolutione vivunt & aguntur bestialiter, quia solis passionibus acti, inordinatis & bestialibus operantur: *Homo cùm in honore esset, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal.48.12. & 13. Quamvis rarò satis homines sint rectâ ratione in suis acti & ducti operibus. Quòd verò Christiani videantur, & sint, id evenit rarissimè, quia vix, vel nunquam spiritu Christi Jesu acti, & impulsu operantur. Inter quos ex præmemoratis numeraris? Quorum partes tueri desideras, vel ipso facto tenes? Te seriò examina, & considera, si te desiderium, & vera veri Christiani teneat affectio? Si tuæ omnes cogitationes, locutiones omnes, & omnes actiones sint actionibus Christi Jesu Salvatoris nostri similes & conformes, Christi spiritu animatæ, & impulsu actæ?

actæ? In eo porrò tota Christianismi sita est ratio: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et ad Colossenses: *Sicut accepistis Jesum Christum Dominum,* inquit Apostolus, *in ipso ambulate, radicati & superædificati in illo.* *Hæc est via,* inquit Propheta, *ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Rom. 8. 9.
Col. 2. 6. 7.
Isa. 30. 21.

MEDITATIO IX.

Motiva alia ad Christum imitandum, primum est, quia nostrum est exemplar originale.

I. Christus est exemplar nostrum originale.
II. Esse debemus apographa illius.
III. In quo hæc similitudo sita sit.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, Exod. 25. 40.

PUNCTUM I.

CONsidera, quòd Deus cùm homines creâsset ad imaginem & similitudinem suam, non tantùm quò ad essentias eorum, sed etiam quò ad eorum operationes. Illis verò semper contrarium agentibus, misit omni tempore homines sanctos, ut illis essent in exemplum & testimonium suæ voluntatis: Verùm homines quantumvis sancti, erant semper homines, & per consequens defectibiles defectui subjecti: *Omnis homo mendax. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Hanc ob causam suâ singulari gratiâ, & misericordiâ infinitâ, misit illis Filium suum unigenitum, ut factus homo similis illis, foret archetypon illis & exemplar, cui conformarent suas actiones omnes, cogitationes suas, suos sermones, orationes suas, suas conversationes, seseque illi in omnibus, ut in bibendo, in comedendo, in dormiendo planè accommodarent, & in actione, & intentione. In nullo ab eo dissidentes, omnia ut ille operarentur: Ita Filius Dei veniens in carne, factus est nostrum originale prototypon, & nostrum exemplar in omnibus, ut illi conformati, in nullo deficiamus. Ob hoc Pater æternus præcipit nobis, ut oculos semper habeamus intentos ad illum, ad eum semper & in omnibus imitandum. *Misit Deus,* inquit Apostolus, *Filium suum in similitudinem peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* *Sequendus Deus erat, qui videri non poterat, sequendus homo non erat, qui videri poterat: Deus factus est homo, quem sequeretur homo.* Referas Deo gratias maximas, quas potes, nunquam à laudibus ejus cessans, quòd tibi tantâ benignitate, tàm rarum & eximium virtutum omnium exemplar dederit.

Psal. 115. 11.
Psal. 13. 3.
Rom. 8. 3.
S. Aug. serm. de nat. Chr.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd si Christus Jesus sit nostrum originale vitæ & virtutis exemplar, nos esse debemus ejus apographa & extracta. *Imago porrò dicitur ab imitando.* Necesse est ergò, quòd Christianus, ut Christi sit imago, illi sit omninò similis, debet omnes ductus & lineamenta illius referre: *Quos enim prædestinavit,* inquit Apostolus, *conformes fieri imagi-*

Rom. 8. 29.

imagi-

Ioan.13.15. *imaginis Filii sui.* Et ipse Christus: *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut sicut ego feci, ita & vos faciatis.* Ita ut & in omnibus nostris actionibus, & in modo agendi Christo conformemur, considerantes Christum esse humilem, patientem, castum, obedientem, & perfectum, faciamus & nos hasce Christi virtutes relucere in nobis, ita ut reperiatur Christus in nobis, velut in sua imagine. Certè, homo superbus, ambitiosus, avarus, invidus, & aliis deturpatus vitiis, nequit esse imago Christi, qui humilis est, liberalis, & omnibus ornatus virtutibus, magis quàm figura fœminæ turpis, ingratæ formæ, & visu horribilis esse queat unius Ester aut Judith imago.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, quòd sicut tota gloria Filii Dei in eo sita est, quòd viva sit Patris imago, & figura substan-
Hebr.1.3. tiæ ejus: *Qui cùm sit splendor gloriæ*, inquit, Apostolus, *& figura substantiæ ejus*, illum perfectè repræsentans; ita tota excellentia nostra, & omnis nostra salus in eo sita est, quòd simus imagines & repræsentationes hujus vivæ imaginis, & expressiones pulcherrimæ hujus figuræ, & veræ delineationes Filii Dei. Quod exprimens Aquila Evangelica,
1Ioan.2.6. ait: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Ob hoc Sponsus in Canticis Sponsæ suæ amicabiliter suadens: *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Hoc est: Fac ut perpetuò memineris mei in omni affectione & operatione tua. Recogita benè singula, & illud maximè Evangelistæ (*Debet,*) quo necessitas denotatur debiti ad praxin, ad Christi perfectam similitudinem pertingendi, ut Christus in nobis sit, & nos in Christo. Ille in nobis ut in suis servis & imitatoribus; nos in illo ut in nostro omnis nostræ perfectionis archetypo & origine. Fac igitur hac die, hoc instanti, sine mora, animo virili, resolutionem immutabilem tibi continuò ob oculos ponendi, in omnibus actionibus tuis, intentionibus, & omissionibus hoc divinum tibi datum ad omne bonum, exemplar, cui singulas in particulari tuas actiones conformare allabores, quasi singulas ejus effigies. Quia tot, quot sumus, vitæ nostræ pictores existimus, teste S. Gregorio Nysseno, voluntas penicillum manu ducit; colores, quos temperat super animæ telam, virtutes sunt; Christus Jesus est archetypon originale, cujus lineamenta exprimit successivè unum post alterum: *Suæ quisque*, inquit, *vitæ pictor est, artifex hujus operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus.* Epist. 1. Ad quod alludens Apostolus, ait: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* 1.Cor.15.49

MEDITATIO X.

Motivum secundum ad Christum imitandum est, quia ille Magister noster est.

I. Christus Jesus est Magister noster.
II. Qualis ejus sit doctrina?
III. Media eam in praxin reducendi.

Magister vester unus est Christus, Matt. 23.8.

Consideraprimo, Christum Jesum, quà homo est, esse Magistrum nostrum; quia Deus Pater eâ eum intentione nobis misit, nos ut doceret, velut pauperculos ignorantes, qui postquam multis, variisque modis, tempore multo locutus est nobis per Angelos suos, & per Prophetas, novissimè tandem locutus est nobis & per Filium, testimonio Apostoli: *Multifariam*, inquit, *multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in Filio suo.* Quam ob causam præcipit & nobis, ut illum audiamus, illique credamus. *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Verùm est & Magister noster, modo multò sublimiori, quia ille est originativè, & personaliter veritas & sapientia Dei. Adora ergò quâ potes mentis demissione divinum hunc Magistrum, teque magis dispone exequi quæ dicit & docet, quàm audire. Utrumque porrò est necessarium: At audire non sufficit, facere autem & exequi quod audivisti, satis est; modò audire, si quid tibi adhuc desit, non negligas ab eo, qui est ipsa veritas. *Ego*, inquit, *sum via, veritas, & vita.*

2.Petr.1.17.

Joan.14.6.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd ejus doctrina universa, ejusque verba sacro suo ore prolata & emanata, nullum alium finem habent, quàm exercitium & praxim, quam præscribunt, & ad quam diriguntur. Illa sunt vitæ nostræ infallibiles regulæ, nobis datæ, non ut simpliciter eas speculemur, recogitemus, & meditemur; verùm magis ut instructi illis, & edocti, nostros emendemus defectus, peccata & vitia corrigamus, malorum vitemus occasiones, virtutes exerceamus, nos ipsos reformare, & perficere conemur. Viam mandatorum ejus currentes, corde jam dilatato ad omnes ejus voluntates adimplendas disponamur. Hoc ipsum voluit à nobis intelligi, dum ipse primus practicavit priùs, quàm docuit, priùs loquens & docens linguâ operum, quàm sermonum: *Cœpit facere, & docere, Christus Dei virtus & sapientia.* Virtutum exemplis & fructibus priùs præluxit hominibus, quàm sapientiæ luminibus. Eam ob causam illum, qui audit, & facit, viro prudenti comparat, ædificanti supra petram: *Omnis, qui audit verba mea*, inquit, *& facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & flaverunt venti, & venerunt flumina, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.* Illum verò, qui audit verba ejus, & non facit, comparat viro insipienti & stulto, qui ædificat super arenam. *Et omnis*, ait, *qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* *Christus*, ait Sanctus Augustinus, *eo tempore, quod opportunissimum ipse noverat, & ante sæcula dispo-*

1.Cor.1.24.

Matth.7.28. & 29.

S. Aug. epist. 3. ad Volus.

disposuerat, venit hominibus magisterium & adjutorium, ad capessendam æternam salutem. Hoc Christus ipse suis expressit Discipulis: *Vos vocatis,* inquit, *me, Magister, & Domine, & bene dicitis. Si ergò ego Magister lavi pedes vestros, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Si ergò esse vis Christi verus Discipulus, te oportet doctrinam ejus in praxim redigere. Ejus autem doctrinam practicare, nihil aliud est, quàm ipsum imitari in omnibus, nihil porrò docuit, quod ipse priùs non practicàrit & fecerit.

Ioan. 13. 13. & 14.

PVNCTVM III.

COnsidera tertiò hæc sacratissima verba, & hanc doctrinam divinissimam, ut quis in praxin redigat, illa oportet primò legere, vel audire magna cum attentione & consideratione: *Qui legit, intelligat.* Secundò, oportet speciali in illa ferri affectione, & illa amare: *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos.* Tertiò, divina gratia ad hoc magno requirenda & efflagitanda est affectu. *Non enim omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est.* Hoc est: Quibus gratia datur illud capiendi. *Verba*, ait Salvator noster, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Hoc est: Producunt effectus in anima vivificos, animam vivificant, eamque ad vitam verè spiritualem, & perfectam inducunt: *Estote,* ait S. Jacobus, *factores verbi, & non auditores tantùm.* Et Apostolus: *Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.*

Matt. 24. 15. Luc. 4. 44. Matt. 9. 11. Ioan. 6. 64. Iac. 1. 22. Rom. 1. 13.

MEDITATIO XI.

Christus Jesus est caput nostrum.

Tria motiva ad Christum sequendum & imitandum.

I. Ecclesia est corpus, cujus caput est Christus.

II. Ad quid Christo in ea capitis Ecclesiæ qualitate obligemur.

Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, Eph. 1. 22.

PVNCTVM I.

COnsidera primò, quòd conformiter doctrinæ, quàm tradit Apostolus pluribus suarum Epistolarum passibus, Ecclesia sit corpus unum, cujus caput est Christus, & Fideles membra: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Et: *Nescitis, quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus.* Huic subscribens S. Leo, serm. 2. de Nativit. *Memento,* ait, *cujus capitis sis membrum.* In tuo proinde Baptismate, factus es membrum hujus corporis, promisistique Christo adhærere, velut capiti tuo, quod aliud non est, quàm ipsum imitari, ejus doctrinæ, & vitæ exemplo sese in omnibus conformare. Cordi tuo imprime profundè hanc tantam, tantique ponderis veritatem, quòd sis membrum Christi Jesu, & quare?

Col. 1. 18. 1. Cor. 6. 15. Eph. 5. 10.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quid Christo sub hac membri qualitate debeas. Illi principaliter debes quatuor. Primò, debes illi amorem, honorem, & defensionem, hoc est, divinum honorem, auctoritatem, & dignitatem cum præjudicio propriæ dignitatis, honoris, & vitæ, tueri & propugnare; sicut alia membra naturaliter se exponunt pro capite,
1. Cor. 12. 25. Apostolo teste: *Pro se invicem sollicita sunt membra.* Quem in sensum Sanctus Bernardus: *Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo: Quis mihi det gloriari in voce illa, quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam?* Secundò, illi debes esse unitus omni tempore, in omni loco, non aliter ac caput est unitum membris, & membrum capiti. Hoc contingit per gratiam sanctificantem, per affectiones & intentiones, quæ ejus sint intentionibus conformes, per voluntatis nostræ conformitatem, quâ ejus legibus ad amussim obedimus. Tandem regulam ab eo desumentes ad unamquamque actionum nostrarum eliciendam, eo modo, quo ille suas elicuit. Ita continuò in illo, & cum
Ioan. 15. 4. 5. illo operantes & fructificantes: *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos,* inquit Christus, veritas æterni Patris, *nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites.* Tertiò, vivere debes & animari Spiritu ejus: *Non enim potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi,* inquit Sanctus Augustinus. Hoc est: Non habere nisi unum cor, animam unam, & voluntatem unam, unam cogitationem, unam intentionem, devotionem unam, & unam dispositionem cum illo. An non esset res monstrosa, videre membrum in corpore humano vivere vitâ porci, in stercoribus solum, & sordibus suam quærens delectationem, vel vitâ draconis, vel vitâ leonis, aut bruti alterius? Res est incomparabiliter horribilior, Christianum videre sibi placere in sordibus & in infamia peccati. Fieri velle membrum potiùs diaboli, quàm Christi. Ab hoc nos avertere cupiens Christus: *Manete*, ait, *in* Ioan. 15. 4.
me, & ego in vobis. Cui annuens Apostolus, & per omnia subscribens: *Qui vivunt*, inquit, *jam non sibi vi-* 2. Cor. 5. 15.
vant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Et ad hoc suo exemplo adhortans: *Vivo autem jam non* Gal. 2. 20.
ego, vivit verò in me Christus. Si quis porrò, testimonio ejusdem, *Spiritum Christi non habet, hic non est* Rom. 8. 9.
ejus. Ultimum tandem, quod Christo Jesu debes velut capiti tuo, est, ut ei in omnibus obedias, in nullo à mandatis ejus recedens: Hoc est, sine mora, aut quacunque dilatione, aut contradictione, in omnibus, etiam difficillimis rebus, ejus omnia mandata, ordinationes & voluntates exequi, & adimplere. Illone modo huc usque, hoc ad usque indivisibile, te Christo Jesu, capiti tuo, (à quo recipis, & recipere debes, si quos recipis, omnes veræ vitæ influentias, motus, & vitalitates,) exhibuisti? Illine ipso facto semper in omnibus servivisti, obedivisti, & adhæsisti? En ejus doctrina tibi ipso opere tradita: *Non sicut ego,* inquit, Matt. 26. 39.

quit, *volo, sed sicut tu.* Illiusne voluntati ita paratus es obedire, sicut ille Patris sui voluntati obtemperavit? Audi Prophetam te docentem sermone, & opere præeuntem : *Dominus,* inquit, *aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Tune nunquam contradixisti divinis allocutionibus? Nunquam abivisti retrorsum? Examina te benè super quatuor proposita, an nunquam defeceris? An obligationi tuæ semper satisfeceris? Pete veniam de commissis defectibus, & omissis his tot obligationibus & actibus bonis, &c. Offeras te inposterum totum Christo Jesu unico capiti tuo, à quo vita & directio omnis provenit, ut de te disponat, vias tuas dirigat juxta omne beneplacitum suum. Dic cum Propheta, & intùs dic : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum ad prospera, paratum ad adversa, paratum ad omnia. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

Isa. 50. 5. *Psal. 24. 4.* *Psal. 142. 2.* *Psal. 16. 5.*

MEDITATIO XII.

Quartum motivum ad Christum imitandum. Christus Jesus Pastor noster est.

I. Dignè Salvator Christus Jesus functus est munere Pastoris.

II. Nos ut oves ejus eum sequi debemus & audire.

Ego sum Pastor bonus, Joan. 10. 14.

Ego sum Pastor bonus, ait Salvator noster, *veni quærere oves, quæ perierant, illis viam sternere, ostendere, & facilitare, per quam facilè, & sine offensione sequi queant.*

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd Christus Dominus Salvator noster, functus sit munere optimi Pastoris erga nos: Officium porrò optimi Pastoris est, gregem suum defendere, illum præservare, & omnibus eximere periculis, etiam cum præjudicio & expositione vitæ propriæ. Salvator autem noster dedit animam suam pro ovibus suis, illas suâ morte vivificavit, eripuit illas è faucibus inferni, & è potestate diaboli: *Ego sum*, inquit, *Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* *Ioan. 10. 11.* Secundò, bonus Pastor suum gregem deducit ad optima pascua. Nunquid Christus quotidiè illud præstat tot viis & exterioribus, & interioribus? Id ipse suo sacro ore fatetur : *Ego veni, ut vitam*, inquit, *habeant, & abundantius habeant.* *Ioan. 10. 11.* Hoc agnoscens Propheta, inquit : *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* *Psal. 22. 2.* Tertiò, munus boni Pastoris est, suas oves pascere & nutrire: Christus pascit nos, nutritque corpus nostrum & animam suâ propriâ carne & sanguine, in sacratissima Eucharistia. Genuit nos sicut pater in cruce, nutrit nos in altari sicut nutrix & mater. *Proprias oves vocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oves emiserit, ante* *Ioan. 10. 3. 4.*

eas vadit. Quod expertus Regius Propheta: *In loco*, inquit, *pascuæ ibi me collocavit.* Et ipse Christus verbis expressis promittit: *Per me*, inquit, *si quis introierit, salvabitur, & egredietur, & ingredietur, & pascua inveniet.* Et alibi: *Qui manducat*, ait, *meam carnem, in me manet.* Quod per Prophetam Ezechielem jam ante prædixerat: *In pascuis uberrimis pascam eas.* Cui S. Augustinus subscribens: *Non me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Hanc maturè pondera considerationem, quare se ipsum nobis ita det in cibum & nutrimentum, non ut se mutet in nos; sed ut nos mutet in se, ut alimentum convertitur in substantiam aliti, nequimus autem in ipsum mutari, nisi perfectâ imitatione, vivendo sicut ipse vixit.

Psal. 21. 2. — Ioan. 10. 9. — Ioan. 6. 57. — Ezech. 14 14 — S. August.

PVNCTVM II.

CONsidera secundò, quòd Christus Salvator noster, verè sit Pastor noster verus, cùm tàm exactè officiis veri Pastoris functus fuerit, nos oportet verò ut veræ ejus oves gerere. Oves veræ primò recognoscunt Pastorem suum: *Cognoscunt me meæ. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Hoc & agnovit Sapiens: *Nosse te, consummata justitia est.* Oves secundò audiunt vocem sui Pastoris: *Oves meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum.* Multi, ait S. Augustinus, sunt, qui foris audiunt. Ob hoc animam piam hortatur Psalmista: *Audi filia*, inquit, *& vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, &c.* Audi & tu vocem Salvatoris nostri, vocantem te, ad suamque sequelam invitantem: *Sequere me. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, &c.* Verùm animadverte, quòd terminus Scripturæ audire, non sit duntaxat aurem præbere, sed insuper corde & affectu illud ipsum amplecti & exequi, quod aure percipimus. Tertiò, oves suum sequuntur Pastorem, illi sese subjicientes: *Sequuntur me*, alienum autem nunquam sequuntur. *Alienum autem non sequuntur.* Sequerisne hunc Pastorem optimum? Vel alieni vocem potiùs audis? Ille fructus est hujus Meditationis, ut te principaliter resolvas sequi & imitari Christum Jesum, ac ad minus nunquam renuntiare huic ovis Christi qualitati & conditioni. Si hac in miseriarum valle, illum sequaris ejus imitans exempla, & divina ejus exercens opera, sequeris etiam in possessione felicitatis æternæ, & gloriæ æternalis. Ille porro est, qui dicit: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.*

Ioan. 10. — Ioan. 17. 5. — Sap. 15. 3. — Ioan. 10. 5. — Psal. 44. — Matth. 8. 22. — Luc. 9. 32. — Ioan. 1. 28.

MEDITATIO XIII.

Cujusmodi sint qualitates & affectiones hujus imitationis Domini Salvatoris nostri.

I. Imitatio Christi Jesu prima affectuosa esse debet.

II. Universalis, hoc est, interior, & exterior.

III. Imitatio interior in duobus sita est.

Si

Si quis mihi ministrat, me sequatur, Joh. 12.26.
Si quis esse velit Discipulus bonus, agat ut ego. Hoc est: Me sequatur. *Quid est, me sequatur?* inquit S. Augustinus, *nisi me imitetur?* Tract. 52. in Joan.

PUNCTUM I.

COnsidera, si Christum Salvatorem nostrum imitari desideres, quòd imitatio hæc qualitate seu proprietate duplici principali affici, seu exornari debeat. Prima est, ut sit affectuosa, spiritu amoris divini animata, intendens unicè illi placere, satisfacere illi, illum honorare, illum amare, & omnia ad ejus laudem, & gloriam ejus intendere & exequi: *Viæ ejus pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ.* Prov. 3. 17. Certè, Magister magno afficitur gaudio, & complacentiam habet singularem, dum animadvertit suum Scholarem & Discipulum suam apprehendere doctrinam, proximèque se assequi. Quod in Christo potissimùm verificatur, cujus deliciæ sunt, esse cum filiis hominum, sacræ humilitatis suæ virtutes eximias imitantium. *Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor.* S. Malach. apud S. Bern. O Væ! Quoties tuas exhibuisti actiones, ut placeres hominibus, & non Jesu Christo? Maledicti sunt in Evangelio, qui sua opera bona faciunt, ut videantur ab hominibus. An tu in horum numero non inveniaris, benè pondera.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quòd secunda hujus imitationis qualitas & proprietas sit, ut in omnibus, & per omnia sit universalis, quò ad interiorem, & quò ad exteriorem hominem, quò ad corpus, & quò ad animam, continuò habeat ob oculos nobile hoc archetypon, fortes sibi profundas formans Ideas Christi actionum, ut suarum actionum sint regulæ infallibiles. *In omnibus factis & verbis tuis, semper quasi exemplar, illum respicias, incedens, stans, sedens, & comedens, tacens & loquens, solus & cum aliis.* S. Bon. de Instit. Novit. c. 32. Ut in oratione cum tibi ob oculos ponas orantem in horto in monte olivarum. In comedendo & bibendo proponas tibi illum in nuptiis in Cana Galilææ. In omni loco, conversatione, aut negotio, ejus continuò spiritu ductus & animatus, exemplo ejus peragas universa. Et ita de cætero ambules exteriùs, ut omnis tua actio Christo sit conformis.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, quòd hæc Christi imitatio interior consistit primò in excellenti modo actus interiores exercendi; ut actus fidei, spei, charitatis, adorationis, gratiarum actionis, humiliationis, & aliarum virtutum, in quibus Salvator sine intermissione occupabatur, & exercebatur. *Holocausta medullata,* inquit Psalmista, *offeram tibi.* Psal. 65. 15. Ita ex medullis cordis, Christi spiritu animati, charitatis igne accensi, & Ideâ actionum Christi directi & excitati, omnes exerceas actiones, S. Bernardi exemplo ductus: *Cùm nomino,* inquit, *Jesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique sanctitate, ac bonitate conspicuum.* S Bern. serm 25 in Cant. Exteriores secundò actiones exercere

eodem spiritu, ut loqui, ambulare, bibere, comedere, ad minimas actiones usque, eâdem intentione & motivo, quo ille suas exercebat omnes actiones, quæ erant omnes perfectissimæ & eminentissimæ, ad semper Patris sui æterni gloriam quærendam destinatæ, eoque titulo meriti infiniti. Nunc te ipsum examina seriò hac in re, & propone firmissimè inposterum tuas sollicitè animare actiones exteriores eodem spiritu, ac iisdem intentionibus, quemadmodum Dominus & Salvator noster purissimis & nobilissimis, eæ ut Deo sint gloriosæ, ubique meritoriæ. *Pone*, ajebat Dominus Sponsus, *me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Idque & interiùs, & exteriùs, ut sit omninò correspondentia & conformitas in omnibus ad eundem spiritum Christi, quo animantur, & animari debent omnes actiones verè imitatorum Christi, ac verorum Christianorum.

Meditationes de Sacramento Confirmationis & donorum Spiritus S. quæ in illo dantur.

MEDITATIO XIV.

De excellentia & necessitate hujus Sacramenti.

I. Sacramentum Confirmationis confert robur ad Christum imitandum.

II. Cur dictum Sacramentum Confirmationis?

III. Excellentia illius.

Qui autem confirmat nos Deus, & unxit nos, & signavit nos, 2. Cor. 1. 21.

PUNCTUM I.

CОnsidera primò, quòd Christus Jesus Salvator noster obligans nos ita strictè & rigorosè ad sui imitationem, stabiliverit etiam atque etiam in sua Ecclesia nos ad hoc roborandum ac facilitandum media: Inter quæ Sacramentum Confirmationis, unum est ex primariis, in quo simus participes unxionis Christi Jesu, sicut in Baptismo simus nominis ejus participes. De qua unxione Propheta: *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* *Caro ungitur*, inquit Tertullianus, *ut anima consecretur.* *Christus*, ait Cyprianus, *à Chrismate dictus est, & ideò non solùm nominis sui particeps nos esse voluit, sed & unctionis.* Quam unctionem abundanter in hoc divinissimo Sacramento effudit super nos, ut S. Joannes Evangelista nos docet, quòd omnia ex ejus hauserimus *plenitudine. De plenitudine ejus*, inquit, *omnes accepimus.*

Psal. 44. 8.

S. Cypr. de unct. chrism.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, cur hoc Sacramentum appellatum sit Sacramentum Confirmationis. Ideò primò ita appellatum est, quia gratiam Baptismi auget, & intendit, confirmatque promissiones nobis à Deo in illo factas. Quem in sensum Urbanus Epist. Decret. *Omnes*, inquit, *fideles, per manuum impositionem, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Huic consentit Eusebius Emi: *Spiritus sanctus*, ait, *in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Secundò, quia

nos

nos confirmamus, & ratas habemus in nobis ipsis, & propriis personis, promissiones & protestationes, quas per susceptores nostros in Baptismo fecimus, renuntiando Satanæ, pompis, & actibus ejus, & renovamus quoquo modo possumus, contractum, tunc inter nos & Deum initum & celebratum.

PUNCTUM III.

Considera tertiò excellentiam hujus Sacramenti in eo, quòd nos reddat perfectos Christianos, adscribens nos militiæ Christi, nos milites spirituales constituit, conferens nobis vires spirituales ad generosè pugnandum contra inimicos nostros, & ad res difficiles, ac ad salutem necessarias exequendas, quod non in ea perfectione nobis tribuit Baptismus proportionaliter Christianæ teneritudini & infantiæ. Ea de causa solùm Episcopo convenit conferre Sacramentum Confirmationis; ad ipsum porrò velut caput in Ecclesia spectat duntaxat spirituali militiæ adscribere milites eorum juramentum recipere, ipsisque plenitudinem & perfectionem vitæ Christianæ conferre, ut *pleni Christiani inveniantur*, ait Urbanus Papa. In eundem sensum Melchiades Papa: *Manus impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est.* Ac ita si comparatio fiat unius Baptizati cum confirmato, erit velut comparatio unius Clerici simplicis cum Presbytero, vel Novitii cum Professo, vel infantis & parvuli cum viro perfecto. Unde S. Thomas ait, non dari in antiquo Testamento hujus Sacramenti figurâ ratione plenitudinis & perfectionis illius. *Oportet idèò Baptizatos post Baptismum sacratissimum Chrismapercipere, & cœlestis regni participes fieri.* Ex his conclude, quàm hoc Sacramentum sit necessarium, contra opinionem personarum infinitarum. Ita de illo Concilia, & SS. Patres loquuntur, dum terminis obligationem denotantibus, utuntur, dicentes: *Debent, oportet, ungi necesse est eum, qui baptizatus est.* Omnibus, inquit S. Clemens, festinandum est sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo. Secundò considera dispositiones ad hoc Sacramentum requisitas, cùm sit tantæ dignitatis: Inter varias autem ad hoc Sacramentum requisitas, præcipuæ sunt, ut is, qui hoc Sacramentum recipit, sit baptizatus, & in statu gratiæ. Prima requiritur, ut Sacramentum recipiatur. Secunda, ut fructus Sacramenti sequatur. Deo ergò, gratias quas potes maximas agas, & roga quàm humillimè cum Psalmista: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Verùm, primò ratum habeas id totum, quod promisisti in tuo Baptismo & Confirmatione, idque tàm effectu, quàm affectu, tàm opere, quàm sermone.

Melchiades Epist. ad Episc. Hisp.

Conc. Laod. Can. 48.

3. Const. 6. 20

Psal. 67. 30.

MEDITATIO XV.

De effectibus Confirmationis Sacramenti.

I. Duo Confirmationis effectus.
II. Quàm humani respectus malum sit universale.
III. Quid intelligatur per opera veri Christiani.

Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum, Matth. 10.3.
Qui autem erubuerit me, & sermones meos, hunc Flius hominis erubescet, Luc. 9.26.

PUNCTUM I.

Considera, quòd Confirmationis Sacramentum duplicem habeat effectum. Primus est, dare robur spirituale, ad fidem coram & inter infideles confitendam, & inter Hæreticos conservandam. Ad hoc suum Apostolus hortatur Discipulum: *Noli*, inquit, *erubescere testimonium Domini nostri.* Et ad Romanos: *Non erubesco Evangelium.* *Loquebar*, inquit Regius Propheta, *de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Christianum se putat, qui Christianus esse aut confunditur, aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere erubescit, aut metuit.* Alter Confirmationis effectus est, opera veri Christiani exequi & exercere, omni formidine & verecundiâ exclusâ. Hoc est: Quòd gratia nobis per hoc Sacramentum collata, ad id potissimùm serviat & conducat, ut nos eximat, & omninò liberet à duobus salutis nostræ maximis impedimentis, quæ sunt timor inordinatus malorum hujus vitæ, & verecundia mala, & multum nociva in Dei servitio, & exercitiis Christianæ virtutis.

2. Tim. 1. 8.
Rom. 1. 16.
S. Cypr. Tr. de Lapsis.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quàm malum hoc in orbe sit universale, & quàm multi humano respectu impediti, & retracti, bona opera facere omittant, & exercitia virtutum negligant. Si vis, propriâ convictus experientiâ, de hoc judicare; nunquid id verum est, quòd certas sæpè bonas actiones fecisses, quas intermisisti, illo solo vano illusus timore, ne de te mundus loqueretur, ne superstitiosus appellareris, aut hypocrita æstimareris, ac ita plus quid de te homines dicerent, judicarent, aut putarent, timuisti, quàm quid Deus sentiret? Si sint homines præsentes, adsint, etiam Deus tuarum spectator actionũ, non abest, cùm placere magis debes Deo an mundo? Quis tibi meliùs remunerabit? Si benè agere coram hominibus erubescis, si Deo servire coram mundo verecundaris, quid potes ab eo exspectare, nisi quòd te erubescat coram Angelis suis confiteri? *Qui me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & Filius hominis confitebitur eum, in gloria Patris sui, cum Angelis sanctis.* Hanc ob causam, & ad hunc timorem vanum expellendum, ac ad te à tàm nociva & pestifera verecundia liberandum, in Sacramento Confirmationis imprimitur signum S. Crucis tibi in fronte, quæ locus est pudoris & verecundiæ, ut ostendatur, si duci quempiam oporteat pudore

dore & verecundiâ, id duntaxat locum habere debeat in malo committendo. Sicque verificatur, quòd pudor & timor sint mali comites inseparabiles. *Naturalia mali*, inquit Tertull. *sunt pudor & timor*; sed non boni, quod fieri erectâ fronte debet. *Crucem illam*, ait S. Augustinus, *in qua Christus crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte.* Et in Psalmum 141. *Usque adeò*, inquit, *non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.*

S. Aug. serm. 2. in Parras.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, quid per opera veri Christiani intelligatur, quæ nobis Christus Dominus noster, & Salvator præcepit, & consuluit in Evangeliis SS. ut sunt pati, remittere injurias, societates malas fugere, occasiones proximas peccandi declinare, ac, uno verbo, sanctam ducere vitam, Christi Jesu Salvatoris nostri, maximis, præceptis, principiis, & consiliis omninò conformem. Huic se S. Augustinus conformans doctrinæ: *Non sine causa*, inquit, *signum suum in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat.* Et ad propositum optimè conducens Ludovicus Blosius adjungit: *Beati*, inquit, *qui ex eorum numero esse merentur, quos mundus pro stultis, Deus autem pro sapientibus habet.* Vide nunc, & seriò animadverte, an tuas actiones, nullo humano respectu, hominibus ut placeas, ductus, exerceas, vel cum præjudicio tuæ obligationis, si eodem excitatus motivo, easdem intermittas. Resolve te, potiùs intendere iis, quæ dicuntur in cœlis in veritate de te, quàm illis, quæ in terris, in vanitate, & falsitate sæpiùs referuntur. Cœlo, non mundo, cordi tibi sit satisfacere. Hoc unico si careas, semitas veri Christiani non ambulas, nec sentimento & ductu Christianismi dirigeris. Dicere oportet cum Apostolo Paulo: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, qui autem judicat me, Dominus est. Providemus bonum, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si porrò adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem. Illo unico spiritu Apostolico animatus, ambules, & non aberrabis.*

S. Augus. in Psal. 30.

Ludov. Blos. in Paradiso anim. fid. c. 7.

1. Cor. 4. 3.

2. Cor. 3. 21.

Gal. 1. 10.

MEDITATIO XVI.

De fructibus, & utilitatibus Confirmationis, depromptis ex septem donis Spiritus Sancti, virtute ejus speciali modo collatis.

I. Dona Spiritus sancti specialiter virtute Confirmationis dantur.

II. Quæ illa sint?

III. Quantum illis egeamus.

Cùm imposuisset illis manus Paulus, Act. 19. 6.

Hic

Hîc Confirmationis fit mentio : *Venit Spiritus sanctus super illos , & loquebantur linguis , & prophetabant.*

PUNCTUM I.

Considera primò, etsi dona Spiritus sancti semper cum gratia sanctificante, habituali, & informante dentur, sive in Baptismatis receptione , sive in aliorum Sacramentorum participatione ; in hoc nihilominùs Confirmationis Sacramenti collatione , modo datur & communicatur speciali. Ita sæpè fit in Actibus Apostolorum mentio , quòd illi, quibus manus Apostoli imponebant : Hoc est, quibus conferebant Confirmationis Sacramentum , recipiebant Spiritum sanctum: *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* (Act.8.17.) Dum vult inquirere , an sint aliqui Confirmati, inquirit , an acceperint Spiritum sanctum ? *Si Spiritum sanctum accepistis?* (Act.19.2.) Nimirum dona Spiritus sancti acceperint. Quæ Isaias exprimit : *Et requiescet , inquit , super eum Spiritus Domini , Spiritus sapientiæ & intellectus , Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus Scientiæ & pietatis , & replebit eum Spiritus timoris Domini.* (Isa.11.2. & 3) *Regula fidei*, inquit Tertullianus, *est, Jesum Christum misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat.* (Tertull. de præscr. cap.3.)

PUNCTUM II.

Considera secundò , quòd dona hujusmodi Spiritus sancti aliud nihil sint, quàm certi habitus, & virtutes animæ justæ, à Spiritu sancto communicatæ , quibus ea suis motionibus apta & conveniens fiat , eam dum excitat ad virtuosas actiones particulariter ad difficiles & heroicas. Ad hancque facilitatem & aptitudinem denotandam , Sacramentum hoc unctione interveniente confertur. Quemadmodum porrò rotæ novæ curruum , quodam interveniente strepitu & difficultate rotantur nullâ intercurrente unctione ; at unctæ sine ullo strepitu & difficultate facillimè & promptissimè volvuntur. Non aliter Spiritus S. virtute hujus Sacramenti , rotat & volvit rotas animæ nostræ , hoc est , omnes potentias movet & excitat unctione & balsamo donorum suorum , ad suos cum facilitate & jucunditate actus, quæ aliàs nisi magnâ difficultate & repugnantiâ moverentur. Hoc exprimens D.Thomas : *Dona sunt* , ait , *habitus quidam perficientes hominem ad hoc, quòd promptè sequatur instinctum Spiritus sancti , sicut virtutes morales perficiunt vires appetitivas ad obediendum rationi.* (S. Thomas 1. 2.q.68. art.1) Hisce Propheta præventus, ad promptitudinem suam ad bonum declarandam: *Dominus aperuit*, inquit, *mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* (Isa.50.5.) S. Bonaventura apertiùs hoc explanat : *Spiritualis unctio* , inquit , *dona sunt habitus , quibus disponimur ad sequendum instinctus Spiritus S. qui instinctus sunt memoriæ admonitio, intellectus illuminatio, & voluntatis motio.* (S.Bon.l.7. de don.Spir.c.2.)

PUNCTUM III.

Considera tertiò , ex hac veritate consequi necessario , quàm hæc Spiritus sancti dona sint necessaria. Hæc enim sola communicant nobis lumen verarum illustrationum veritatis,

tis, & ardorem sancti amoris. Nemo sine his potest se à suis expedire vitiis, suas malas habitudines eradicare potest nemo, nemo à somno torporis surgere, aut assultibus periculosis dœmonis, mundi & carnis obviare & resistere potest nemo. Nemo tandem potest ad sanctitatem perfecti Christiani pervenire: *Ipsa enim*, inquit S. Bonaventura, *dona, sunt quasi septem radii spirituales, tàm splendidi, quàm igniti, procedentes à sole ardentissimo charitatis, quibus sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Et subjungens: *Istorum*, ait, *donorum & actuum excellentium, & radiorum tàm splendentium, non sunt capaces mundi amatores, quia in eis datur Spiritus sanctus.* Visne jam scire hujusmodi dona acquirendi medium? Primum est, illa à Domino Deo petere magnâ instantiâ, ferventibus orationibus & precibus, hoc maximè Hymno ab Ecclesia ad hoc recepto: *Veni Creator, &c.* Et hac prosâ pulcherrimâ in Sacro legi solitâ per Octavam Pentecostes: *Veni sancte Spiritus, &c.* Hæc magno pronuntiando & recitando affectu, attentione & devotione. Resolve te ad hanc laudabilem praxin, in omni actione tua, magnam senties inde utilitatem & fructum. Tempus tibi ad hoc constitue commodum, vel ante Sacrum, aut post, aut aliud tibi opportunius. Secundum medium illa acquirendi, est, omninò renuntiare mundo, rescindere omnes inordinatas affectiones ad transitoria & vana, quia juxta verbum Domini, mundus non potest eum recipere: *Mundus non potest eum accipere, quia non videt eum, nec scit eum.*

Ibid. l. 7 de don.

Ioan. 14. 17.

MEDITATIO XVII.

De donis Spiritus sancti in particulari.

De dono Timoris.

I. Duplex timor.
II. Effectus timoris.
III. Reflexio super se ipsum.

Initium sapientiæ, timor Domini, Eccl. 1. 16.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd sit duplex timor. Primus est servilis, quo Deus, seu offensa Dei timetur ob pœnam. Alter filialis, quo timetur offensa Dei, quia Deo displicet. Primus à Domino recommendatur in Evangelio: *Timete eum*, ait Dominus, *qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* De hoc loquens S. Bernardus: *Benè*, ait, *initium sapientiæ timor Domini: Quia tunc primùm Deus animæ sapit, cùm eam afficit ad timendum: Times Dei justitiam, times potentiam? Sapit tibi justus & potens Deus, quia timor sapor est. Porrò sapor sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem.* Et Ecclesiasticus eundem denotans: *Radix*, inquit, *sapientiæ, est timere Deum.* Verùm solus timor secundus, utpotè castus & filialis, solo affectu justitiæ excitatus, meretur inter dona Spiritus S. locum obtinere, ex eo, quòd sit omnium virtutum custos, à charitate Dei inseparabilis, animatusque charitate, superbiam, quæ omnium malorum radix est, expellit, generans in nobis humilitatem, quæ bonorum omnium in nobis radix est. Ita *timor Domini, scientiæ*

Matt. 10. 28.

S. Bern. serm. 28. in Cant.

Eccl.10.17. & 22. *religiositas* dicitur. *Religiositas custodiet & justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum.* v.11. *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.*

PUNCTUM II.

CONsidera secundò effectus admirabiles, quos hic timor Domini producit in nobis, & in animabus nostris. Primus est, circumspectio, singularis advertentia sui ipsius, & modestissima compositio, tàm interioris, quàm exterioris hominis, in conspectu Dei, sive in oratione, sive in quavis alia actione, loco, aut constitutione, continuò nos summa cum reverentia cuidam etiam tremori reverentiali juncta, continens in præsentia Dei, qui scrutator est cordium, & omnium actionum, & intentionum nostrarum inspector. Ideò meritò illi assistentes, non duntaxat omne, quod illi displicere potest, summâ cavere diligentiâ debemus; verùm cum tremore & timore filiali, & reverentiali omnia nostra exequi, ut dicitur de Angelis in Scripturis sanctis, qui sunt columnæ Job.26.12. cœli. *Columnæ cœli contremiscunt. Primus contra negligentiam exurgit timor,* S.Bern.serm. de don. Sp. S. *nimirum ipse est, quo concutitur anima, discutitur conscientia, incutitur sollicitudo.* Concutitur anima timore reverentiali, discutitur conscientia investigatione speciali, & incutitur sollicitudo motivo singulari. Hoc motivo singulari sollicitè sui curam gerens, & recognoscens suum imperfectum Abraham: *Loquar,* inquit, *ad Dominum, cùm sim pulvis & cinis.* Gen.18.27. Tali reverentiâ & mentis demissione, dono timoris Domini excitatus, loquebatur Abraham Angelis Dei. Illud Sapiens agnoscit, dum ait: *Tu Dominator virtutis cum magna reverentia disponis nos, subest enim tibi, cùm volueris posse:* Sap.12.18. Secundus effectus est, causare in nobis aversionem extremam ab omni peccato, inducereque summum vel minimæ offensionis divinæ horrorē omniumque peccati occasionum sollicitè suadere, ac præcipere fugam. *Timor enim Domini expellit peccatum.* Eccl. 10. 27. Expellit timor Domini peccatum, & in se, & in suis causis. Tertius hujus timoris Domini effectus est, injicere summam, & penetrantem verecundiam, & confusionem nobis, dum vel minimam incurrimus Dei offensam. Unde Ecclesiasticus, hunc timorem inducere cupiens, ait: *Si non te in timore Domini constanter tenueris, citò subvertetur domus tua.* Eccl.20.4. Et S. Climacus describens pœnitentes: *Totâ die,* inquit, *contristati incedebant, obliti comedere panem suum, & potum aquæ lachrymis & fletu miscebant, pulverem, & cinerem pro pane comedebant, ossa cuti adhærebant, & ipsi tanquam fœnum exaruerunt.* Grad.5.

PUNCTUM III.

COnsidera jam tertio, si donum hoc timoris Domini possideas; & ad minus animadverte. Primò, an non loco debitæ exhibendæ reverentiæ, nimiâ irreverentiâ, libertate, & indecenti

decenti, cum Deo familiaritates agas & tractes? Secundò, an non locò summæ ab omni peccato aversionis, culpas leviores non æstimes, occasiones cadendi non recogitans, eas fugere parùm cures. Tertiò, si quandoque cecideris, an non de eorum sis numero, quorum meminit Propheta: *Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Ier.6.15. Examina te in hisce tribus defectibus, utque malis, quæ inducunt, obvies, bonumque illis contrarium obtineas, ad quod te hic timor Domini adjuvabit & inducet. Pete à Deo cum Psalmista: *Confige timore tuo carnes meas.* Psal.118.20.

MEDITATIO XVIII.

De motivis timoris Domini.

Timoris Domini, qui primum est, & fundamentale donum Spiritus Sancti, ita nobis in Scripturis sanctis recommendatur, duo, vel tria in præsenti proponemus motiva, tot distinctis correspondentia Meditationibus, ut eò efficaciùs animæ spiritus ejus imprimatur.

Primum motivum est parvus electorum & salvandorum numerus.

I. Cùm Salvator illud dicat, verum est.
II. Hæc veritas confirmatur exemplis innumeris Scripturæ.
III. Duæ conclusiones principales inde eruuntur.

Multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth.22.14.

PUNCTUM I.

Considera primò, quod os Domini locutum est, & per consequens verissimum est; quòd pauci sint electi, pauci salvandi, & pauci per angustã portam intraturi, ut alibi Veritas loquitur: *Quàm arcta via est, & angusta porta, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam!* Matt.7.14. Econverso loquens de his, qui damnantur, ait: *Quàm lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui inveniunt eam.* Et quia absolutè dicit, dicit sine exceptione, asseveranter dicit, & non potest non esse verum, quod dicit. Illud esse verissimum necesse est. O veritas terribilis! O formidabilis certitudo! O propositio pertimescenda! Eòque magis veritas hæc pertimescenda est, quòd verba hæc non sint intelligenda, ex sententia SS. Gregorii & Augustini, relativè ad omnem hominum multitudinem, ut omnes universim homines etiam extra Ecclesiam existentes, cujusmodi sunt Pagani, Judęi, Turcę, & alii, omnes à vera fide & veritate deviantes, (quod evidentissimum est, ipsaq; luce clarius;) verùm etiam relatione ad solùm fideles, sua non destituuntur veritate. Hoc clarè expressit Propheta: *Et erit,* inquit, Isa.7.4.& seqq. *sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium ejus spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim, & relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio olei duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus, fructus ejus.* Et iterum: *Quomodo si paucæ olivæ, quas rami gerunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit* Isa.24.13.

finita vindemia. S.August.lib.3.contra Cresc.cap.66. S.Greg.hom.19.in Ev. Lyran.Carth.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd Christus Dominus non tantùm ore suo sacrosancto hanc tantam nobis declarare voluerit veritatem; verùm illam in Scripturis sanctis multiplicibus figuris & confirmare dignatus est. Porrò tempore Noë, ex innumerabili numero hominum, in mundo existentium, octo duntaxat reperti sunt digni, non absorberi aquis diluvii, reservati specialiter ad genus humanum conservandum, & propagandum super terram. Ex octodecim centenis millibus hominum, qui ex Ægypto exierant, terram promissionis ingressuri, duo tantùm ingressi sunt. Illo modo volebat Deus denotare parvum numerum salvandorum. Accedit his S.Hieronymus: *Tanta erit,* inquit, *Sanctorum paucitas, de quibus loquitur Dominus in Evangelio: Multi vocati, pauci electi, ut eorum paucitas baccis olivarum rarissimis comparetur, quæ cùm excussæ fuerint atque demessæ, vix paucæ remaneant in ramorum cacumine, & quomodo cùm fuerit finita vindemia, solent pauperes, egestate cogente, vacuas circuire vites, & pauca uvarum grana colligere.*

Gen.7.

Num.14.

S.Hier.in c. 24.Isaiæ.

PUNCTUM III.

INferes ex præsupposita & maximi ponderis veritate, duas conclusiones infallibiles. Prima: Quòd cùm magnum habeas fundamentum, timendi, ne in illo minimo salvandorum numero comprehendaris, consilio acquiescas Apostolico, doctrinæ ejus aurem & manum non denegans: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Quia etsi certi essemus, quòd inter tot milliones hominum, qui hac in magna urbe Parisiensi inveniuntur, unicus foret reprobandus, omnes tremere deberemus, & apprehendere, ne fortè essemus illa maledicta creatura, cui tantum malum eveniret. *Vult Deus omnes salvos fieri,* inquit S.Ambrosius, *sed si accedant ad eum, non enim sic vult, ut nolentes salvemur.* Secunda conclusio est, cùm tàm pauci salventur, & numerus salvandorum sit tàm parvus, quòd fortè vix unus ex decem millibus salvus fiat, allaboremus omnibus viribus, ut ex illo parvo numero simus, & ille ex decem millibus, Christi consilio nos conformantes. Dum porrò quidam interrogarent, an pauci essent, qui salvarentur: *Ipse autem dixit, contendite intrare per angustam portam.* Cui S. Petrus se omninò conformans, ut Discipulus Magistro: *Satagite,* inquit, *ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Philip.2.12.

S. Ambros. in cap.1.ad Tim.

Luc.13.23.

2.Petr.1.10.

MEDITATIO XIX.

Secundum motivum timoris est numerus peccatorum & gratiarum.

I. Numerus peccatorum & gratiarum determinatus est.

II. Hic numerus diversus est.

III. Conclusio ex dictis elicienda.

Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum, Amos 1.3.

Super

Super tribus sceleribus habitantium patienter eorum conversionem, eis ad hoc gratiam efficacem tribuens, exspectabo: At si quartum adjecerint, illis efficacem conversionis gratiam non dabo.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd quemadmodum Deus ab omni æternitate sua omnes numeravit annos, menses, septimanas, dies, horas, & momenta vitæ tuæ, quibus positis & elapsis, necessariò erit tibi moriendum: Ita etiam determinavit numerum gratiarum, quas tibi ad cœlum & vitam æternam adipiscendam dare decrevit, & numerum peccatorum, quæ à te pati intendit, ita ut sit certus numerus peccatorum, quæ ab uno quoque hominum pati decrevit; qui numerus ubi fuerit completus, ulteriùs si quis adjiciat peccare, actum jam est de hujusmodi salute. De hac mensura & numero loquitur Propheta, dum ait: *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.* Prov. 18. 3. Et Dominus ad Abraham: *Necdum*, inquit, *completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, usque ad præsens tempus.* Gen. 15. 16. In eundem sensum loquitur Christus: *Implete mensuram patrum vestrorum.* Matt. 23. 31. Huic S. Augustinus adstipulatur doctrinæ: S. Aug. c. 4. de vit. Chr. *Esse certum peccatorum modum*, inquit, *atque mensuram, Dei ipsius testimonio comprobatur. Et quia unusquisque celeriùs vel tardiùs, prout peccatorum suorum modum expleverit, judicetur, evidentissimè demonstratur. Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matt. 23. 37. 38.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd numerus ille peccatorum, quem Deus in quovis peccatore pati vult, sit diversus. In uno porrò majorem, in altero minorem sustinere determinavit. In quibusdam, ut in Angelis, & multis hominibus, numerus ille perficitur in unico peccato, ad quod damnatio sequitur, in aliis non transcendit binarium, in quibusdam ad ternarium accedit, in aliis ad quaternarium, & ita cuilibet peccatori numerus ille in pluribus vel paucioribus determinatur, prout Deus pati voluit. Sicut reperiuntur fures & latrones, qui ad primum peccatum cadunt in manus judicis, & justitiæ rigorem experientes puniuntur. Alii canescunt in silvis, ad senectutem usque in hujusmodi sceleribus perseverant, & priùs pleni dierum & operum pessimorum in occasu vitæ suæ comprehensi, multitudine peccatorum, homicidiorum, furtorum, & aliorum innumerabilium oppressi, Justitiâ determinante, ultimo afficiuntur supplicio, millies & ultra merito. Quibus dicitur per Prophetam: *Non addam ultra misereri.* Osea 1. 16. *Omnia porrò*, inquit Sapiens, *in pondere & mensura, & numero disposuisti.* Sap. 11. 21. *Percutiet te Dominus amentiâ & cœcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Deut. 28. 28. Ita sordescentes in peccatis obcœcantur, ut lumen, illis ad conversionem necessarium videre non possint.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, ex hoc si magnam non habeas causam timendi; cùm ignores numerum gratiarum, quas Deus vult tibi dare, mensuramque peccatorum, quæ à te, & in te pati intendit. Scisne, an fortè primum, quod incurres mortale, non sit ultimum istius numeri? Vel si non cooperes gratiæ, hoc momento datæ tibi ad meritum, an unquam aliam sis recepturus? Ob hoc
Psal.94.8. hortatur Psalmista, ne minimum negligas momentum: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Idque præ timore non dici tibi, & omnibus gratias divinas rejicientibus, vel
Ier.51.9. negligentibus contingat per Prophetam: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quo benè uti noluit, cùm sine difficultate posset, si vellet: Vt qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum est.* S. Augustinus. Ob hoc monet Ecclesiastes, ut Dei opera benè ponderantes, omne bonum ab illo prove-
Eccl.7.14. nire debere: *Considera*, inquit, *opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit. In die bona fruere bonis, & malam diem præcave.*

MEDITATIO XX.

Tertium motivum timoris est casus magnorum virorum.

I. Magna est timendi ratio & causa, quia habemus inimicos potentes.

II. Tres inimicos potentes habemus.

III. Ratione nostræ extremæ fragilitatis.

Militia est vita hominis super terram, Job.7.1.

PUNCTUM I.

Considera primò, cùm vitæ hujus corruptibilis conditio, sit continuum militiæ exercitium super terram, ingerit nobis meram timendi causam & rationem; nostra ex parte una considerata fragilitas, & impotentia, & ex altera inimicorum fortitudo, potentia, & calliditas benè ponderata. *Non est* Eph.6.12.
porrò, teste Apostolo, *nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem* (tantùm,) *sed & adversus Principes & potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Hoc meliùs ut penetretur,

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd tres inimicos habeamus principales, ubique, & sine intermissione nos impugnantes, si quo modò expugnare queant, diabolum, mundum, & carnem. Diabolus, qui vagatur continuò, & pervagatur terras, civitates, monasteria, & loca quæcunque, etiam abditissima, secretissima, & sacratissima, quasi leo rugiens, circa nos undique quæ- 1.Petr.5.8.
rens quem devoret, seducat, & damnet; ita potens, Scripturâ testante, ut nulla potentia sit super terram, quæ ei comparari queat: *Non est potestas super ter-* Iob.41.24.
ram, quæ comparetur ei. Mundus suis honoribus, vanitatibus, divitiis, & tot pedicis, quot continet creaturas, nos illaqueare quærit, impugnat, & oppugnat

gnat ex omni parte à dextris & à sinistris insurgens, vehementi impetu conatur omninò expugnare. Et caro tandem suis lenociniis, voluptatibus, deliciis, blandimentis, & allectionibus ita pugnat, ut sæpè expugnet, & eos sæpiùs, qui firmiores, & animosiores videntur, dejiciat, & prosternat Ab his summoperè timendum & cavendum.

PUNCTUM III.

Considera tertiò fragilitatem, impotentiam, & defectibilitatem eorum, qui tot validis, & potentibus inimicis resistere debent. Hoc est dicere, ipsam nostram fragilitatem, & impotentiam. Et ipsâ edoctus experientiâ, animadverte, & considera casum lamentabilem præcipuarum mundi personarum, hominum virtuosiorum, sapientiorum, & omni gratiarum genere exornatiorum. Prætermisso siquidem primo Angelo, primis parentibus Adam & Evâ non memoratis. Regum omnium potentissimus David, omnium Sapientum sapientissimus Salomon, Princeps Apostolorum, & Vicarius Christi, S. Petrus ceciderunt. Hisce adjungas, si placet, Tertullianum, Originem, unum Judam ex Collegio Apostolico, unum Nicolaum ex septem Diaconibus, non præteriens. Et alii innumeri adduci possent. Unde clarescit veritas Scripturæ, quòd *sensus & cogitatio hominis prona sint in malum ab adolescentia sua. Scimus*, inquit Apostolus, *quia lex spiritualis est ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Fac nunc seriam super te ipsum reflexionem, & benè pondera, si illæ fortes Ecclesiæ columnæ ceciderint, si illæ sublimes quercus dejectæ sint, quid debiles, vacuæ, inconstantes, & ad omnem ventum tentationis fluctuantes arundines, ut tu, facient? Quomodo tot turbulentos suggestionum malarum ventos, & sævas tentationum tempestates sustinebunt? Non times, ubi vides tot præstantissimos viros cecidisse? ubi audis unum Tertullianum prostratum, *cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ.* Ubi unum Originem dejectum tàm miserè legis, *cujus ex sinu*, inquit Lirineus, *innumeri Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores & Martyres exierunt.* Ubi tot sanctissimos, constantissimos, & omnium linguis ut jam cœli cives, & Angelorum socios deprædicatos referri intelligis cecidisse. Quid tibi ne similiter cadas, faciendum putas? Non tibi ergò fidas nimiùm, qui stas, caveas ne cadas. Et ut sis à successibus, ictibus, & insultibus inimicorum tuorum tutior & securior, fuge occasiones, periculum devita, & ob hoc tibi periculosiores occasiones maturè pondera. *Quis enim miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis.* Ita accidit & illis, qui occasiones non fugiunt, pericula non vitant: *Qui enim amat periculum, peribit in eo.*

Gen. 8. 21.
Rom. 7. 14.
Ita Vinc. Lir. de Tert. c. 14.
Lir. de Orig. c. 6. 13.
Eccl. 12. 13.
Eccl. 3. 27.

MEDITATIO XXI.

De dono fortitudinis.

I. Cur fortitudo in Confirmatione nobis datur?

II. In quo sita sit fortitudo Christiana.

III. Media ad hoc donum acquirendum.

Omnia possum in Deo, qui me confortat, Philip. 5. 13.

Hoc

Hoc cum Apostolo tibi dicendum est, suscepto Sacramento Confirmationis.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, præter donum timoris Domini, quod in Sacramenti Confirmationis susceptione debita communicatur, Spiritum sanctum communicare etiam Confirmato, sacrâ unctione mediâ, donum fortitudinis, ad viriliter pugnandum, fortiter repugnandum, & glorianter expugnandum & vincendum omnes salutis suæ hostes & inimicos. Non aliter ac Athlethæ aliàs inuncti toto corpore, ne Antagonistæ prævalerent adversum se, in arenam ad luctandum descendebant. *Hoc oleo uncti*, ait S Cyprianus, *cum spiritualibus nequitiis colluctamur*, & ad patiendum generosè, ut milites generosi & fortes, exemplo sui Capitanei excitati, omnes occurrentes & intercurrentes confusiones & difficultates omnes, quæ se in servitio Dei ingerere possunt. Eam ob causam Episcopus in hujus Sacramenti administratione, parvam impingit Confirmato alapam, ad denotandum, quòd postquam quis hoc Sacramento Confirmationis fuerit initiatus & roboratus, nullos illi incursus tàm difficiles occurrere posse, quibus obviare non fortiter debeat, aut injuriam tàm sensibilem, quam libentissimè non debeat & possit, facillimè pati propter Christum: *Qui*, juxta Prophetam, *dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Mutuabuntur fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* (*Isa. 40. 29. & 30.*) *Spiritus dat robur vitæ, ut quod per naturam est impossibile, per gratiam ejus non solùm possibile, sed & facilè fiat. Ita ut in laboribus, in vigiliis, in fame & siti, in omnibus observantiis, quæ nisi farinulâ istâ dulcorentur, prorsus mors in olla appareat.* (*S. Bern. serm. de don. Spir. S.*) *Hoc spiritu erant præditi omnes, de quibus loquitur Apostolus: Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, &c.* (*Hebr. 11. 37.* *S. Bern. serm. de don. Spir. S.*)

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, etsi donum fortitudinis nobis æquè communicetur ad aggrediendum & oppugnandum, quàm ad patiendum, fortitudo tamen Christiani sita potissimùm est in patiendo: Quod manifestiùs apparuit in Martyribus, & omnibus Sanctis, qui in alio nullo suam fortitudinem, constantiam, & virtutem, quàm in tormentis, afflictionibus & pœnis manifestârunt. Et hoc est, quod operatur in nobis Sacramentum Confirmationis. Hoc est: Reddit nos firmos, immobiles, & imperturbabiles in pœnosioribus hujus vitæ incidentalibus & occurrentiis, morbos, bonorum omnium jacturam, pœnas omnes interiores & exteriores facit sustinere fortiter, imò gaudenter pati, ex eo, quòd per hoc Sacramentum cruces nostræ inunctæ sunt, hoc est, facilè tolerabiles. Ob hoc monitu divino Propheta excitatur, ne formidet, aut pertimescat: *Ne formides*, ait, *à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, Regibus Juda, &c.*

Ier. 1.7.18. &c. *Et bellabunt adversum te, & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Eodem firmatus robore Propheta, audacter, sine ullo terrore, eventus cujuscunque veritatem propugnabat: Psal. 118.46 *Loquebar,* ajebat, *de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Illo eodem roborata B. Agatha auxilio & mu- In Festo S. Agathæ, 5. Febr. nimine, *lætissimè & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata.* Ita dono fortitudinis donati, medio Sacramento Confirmationis firmati, fervemus & affectamus pati, sine quo aliàs sumus debiles, pigri, acediosi, & facilè superabiles, ut Apostolorum exemplo comprobatur, qui ante Spiritus S. adventum abscondebantur, & Ioan. 20.19. latitabant, *propter metum Judæorum.* At quàm primùm adveniente Spiritu S. fuerunt confirmati, audacter foràs egredientes, annuntiabant, & prædicabant veritatem & Evangelium, imò gaudebant, si illis ob hoc pati aliquid contingeret, Scripturâ testificante: Act. 5.41. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, quot media acquirendi & conservandi donum fortitudinis, sint. Primum est, summâ illud humilitate & confidentiâ à Domino Deo, & Christo Salvatore nostro petere. Secundum est, digna participatio corporis & sanguinis Christi, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Vocat porrò se ipsum, Psal. 77. *cibum fortium.* Cui adstipulatur S. Chrysostomus, dum ait: Hom. 46. in Ioan. *Recedimus ab hac mensa, tanquam leones ignem spirantes, & facti diabolo terribiles.* Tertium est, assuefacere se quotidiè vincere in parvis rebus, in non loquendo, in non conjiciendis oculis in objecta curiosa, & periculosa. In non præbendis auribus novellis inutilibus, in perferenda fame levi, siti, & frigore, &c. *Caro,* inquit Tertullianus, Tertull. de resurrect. carn. cap. 2. *corpore & sanguine Domini vescitur, ut anima de Deo saginetur. Hoc calice inebriati erant* S. August. in Psal. 22. *Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant, non uxorem flentem, non filios, non parentes.* Et de S. Laurentio loquens: S. Aug. tract. 23. in Ioan. *In illa longa morte, in illis tormentis, quia benè manducaverat, & benè biberat, tanquam illâ escâ saginatus, & illo calice ebrius, tormenta non sensit.* Sume nunc in particulari resolutionem aliquam super ultimum hoc motivum, & cum Regio Propheta Davide, pete omni tempore, die, horâ, & momento. Psal. 50.14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Et cum Religioso antiquo verè Deo religato, toto affectu decanta: Psal. 69.2. *Deus in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me, festina.*

MEDITATIO XXII.

De dono pietatis.

I. Donum pietatis excellentissimum est.

II. In quo hoc donum sit situm.

III. Reflexio super se ipsum facienda, pro examine, an illo dono donatus sis?

Pietas ad omnia utilis, 1.Tim.4.8.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quàm hoc pietatis donum sit excellens, cùm ut ait S. Paulus, quòd pietas ad omnia sit utilis. Primò porrò nos unit Deo, tanquam Patri amantissimo, & nos spiritu filiali animat, & corde veri filii, in eum, ut verum Patrem, excitat, verbis Apost. conformiter, ut spiritu adoptionis filiorum repleti, hæredes ejus facti, eum honoremus, amemus, & observemus, in nullo nullo à filiali debito deflectentes:
Rom.8.15. *Accepistis*, inquit S. Apostolus, *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus*
1.Tim.4.8. *filii Dei. Ut & filii ambulemus, promissionem habentes vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Secundò, hoc pietatis donum, fortes in nobis inclinationes causat, & imprimit, ad omnia, quæ Dei sunt, ut in nihil feramur, nisi in Deum, & in ea, quæ ad eum spectant, & ad illum referuntur, ut auctorem & originem omnis boni.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, in quo spiritus ille filialis, spiritus, quo in Deum
Rom.18.15. ferri debemus, *in quo clamamus, Abba Pater,*) situs sit. In eo nempe: Primò, illum ut amemus, honoremus, & observemus, ut verum Patrem nostrum, illum omni in occurrentia, societate, & congregatione defendamus, zelum ejus gloriæ & honoris habeamus, ejus per Prophetam monito acquiescentes: *Si*
Malach.1.6. *ego sum*, inquit, *pater, ubi est honor meus?* omnes ejus circa nos dispositiones, sive in honoribus, sive in confusionibus, sive in divitiis, sive in paupertate, sive in penuria, sive in abundantia, sive in sanitate, sive in infirmitate, in quocunque eventu, sive bono, sive malo, affectu filiali, de paternis ejus manibus, vultu hilari suscipiendæ & recipiendæ sunt. Illo affectu S. Bernardus: *Non recuso*, ait, *inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse.* In omnibus dicere cum Christo, Patri æterno, totique sanctissimæ Trinitati: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Secundò, magnâ animi teneritudine sanctam Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, & Romanam, matrem nostram venerari, amare, & suspicere, illi sese submittere in omnibus sine repugnantia, aut obmurmuratione, simplicitate infantili, & filiali devotione, omnes ejus ordinationes, cæremonias, & consuetudines sacras, etiam minimas venerari, suscipere, & observare. Tertiò, Sanctos honorare, ut ait S. Thomas, colere, & venerari, & singulariter Sanctam Sanctorum Dominam nostram, & Matrem Domini, ut purissimam omnium creaturarum, Deo gratissimam, ipsumque proximè contingentem. Quartò tandem, erga homines, eos amore prosequi fraterno, verbis eos gratiosis alloqui, amicè cum illis conversari, vultum semper illis ostendere amicabilem, servire illis in omnibus, & in suis miseriis debitè compati.

S. Bern. lib.2. de consid.

Matt.26.39.

PUNCTUM III.

SERiò te examina, & penitiùs introspice, si ad Deum accedas, ut ad Patrem filiali confidentiâ *clamans*, Apostoli monito conformiter: *Abba Pater.* Si adversitates omnes, morbos, & quaslibet obvenientes miserias, de manu ejus velut

velut de manu paterna, & amica, non velut de manu adversarii & inimica suscipias. Si non inhumani, & duri cordis, humoris ingrati, & illiberalis affectus sis erga homines. Si ita non sit, virtutem tuis operibus & pietatem simulas, omni licèt interna veræ pietatis radice careas, illorum adscriptus numero, quos Apostolus ad Timotheum reprehendens, ait: *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes.* Incipe hoc die, hac horâ, hoc momento, hoc excitari, duci, & repleri pietatis spiritu, ad hoc te Deus invitat per Prophetam: *Saltem*, inquit, *amodò voca me, pater meus.* Te in orationibus tuis, & aliis omnibus operibus, ad hanc excita pietatem, te ad hanc exerce. Ita hanc Apostolus suo Discipulo Timotheo recommendat: *Exerce te ipsum*, inquit, *ad pietatem.*

2.Tim.3.5.

Ier.3 4.

1.Tim 4.7.

MEDITATIO XXIII.

De dono consilii.

I. Quid sit hoc consilii donum, & cur nobis datum?

II. Quomodo Salvator & Dominus noster illud in omni decursu vitæ suæ sanctissimæ manifestat.

III. Defectus, quos quis contra hoc donum incurrit.

Consilium custodiet te, & prudentia servabit te, ut eruaris de via mala, Prov.2.11.

Consilium te ab omni malo tuebitur, impedietque ne aberres, deviesque in via cœli & salutis.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd consilii donum in Sacramento Confirmationis datum, aliud non sit, quàm quoddam lumen supernaturale, quo Spiritus S. intellectum illuminat, ad discernendum bonum à malo, ad dijudicandum in difficultatibus, occurrentiis, & casibus particularibus, ubi ratio se solâ hæret & deficit, quid faciendum, aut omittendum; & præcipuè ad præcavendum, ne nimiâ præcipitatione, impetu, & animi levitate quicquam agamus, aut incipiamus. Ob hoc descendit Spiritus S. in Apostolos, linguis dispertitis apparentibus, linguæ siquidem competit discernere dulce ab amaro. Hoc donum consilii, *primùm quidem ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, purificat consideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat, postremò divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens.*

S.Bern.lib.de consid.cap.7.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd non sine causa dixerit, & prædixerit Propheta, quòd Salvator & Dominus noster repleretur spiritu consilii: Ut porrò nobis daret exemplum ad omnes actiones nostras magna cum circumspectione, & summa cum deliberatione exercendas, actiones ejus ita fuerunt omnibus circumstantiis temporis, loci, & personarum contemperatæ, ut nulla ex

parte defecerint, vel in minimo. Ætate annorum triginta exspectatâ, secessit in desertum, antequam prædicare inciperet, & cum hominibus conversari. Quadraginta dierum spatio consideravit, & præmeditatus est, quid doceret & faceret in sua cum hominibus conversatione, Evangelio docente: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, cœpit Jesus facere & docere.* Sic enim, ut ipse ajebat Joanni Baptistæ, *decet nos implere omnem justitiam. Et Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus super eum,* à quo ductus est in desertum. Verùm, egebatne Salvator hac in desertum secessione? Nullo modo. Sed id nobis, qui naturaliter sumus inconsiderati in omnibus rebus, in exemplum præstitit, ut innotesceret nobis, quantum illo consilii egeamus dono, in toto vitæ nostræ decursu, ut illo directi in nullo aberremus, aut deficiamus. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.*

Luc. 3. 23. Act. 1. 1. Matth. 3. 15. Luc. 11. 34. & 36.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, quòd defectus potissimus, quem commisisti hac in re, sit, quòd proprio cerebro illusus, sensualitate propriâ, & judicio ductus, huc usque vixeris, divinæ te directioni subtrahens, eorumque recusans consilium & instructionem, qui te loco Dei docere, dirigere, & securè deducere poterant, in omnibus magnæ consequentiæ negotiis, quæ executioni te mandare oportebat. In his animadverte, si defeceris, veniam pete, & firmam fac de cætero resolutionem, incipere nihil, non consulto priùs divino & cœlesti oraculo, quod tibi per tuum manifestabitur directorem. Ne tibi contingat, quod Josue accidit, qui à Gabaonitis illusus fuit & deceptus, eò quòd, teste Scripturâ: *Os Domini non interrogaverunt. Dissipantur cogitationes,* ait Sapiens, *ubi non est consilium. Cor boni consilii statue tecum, non est enim tibi aliud pluris illo. In his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum, consilium stabile. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos: Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur.* Ante omnia opera tua gratiam Dei semper require, & instanter efflagita divinum adjutorium, etsi illud unicâ duntaxat fieret elevatione mentis ad Deum, dic corde humili, & fervido affectu cum Propheta: *Dirige me in veritate tua, & doce me.* Doce me, quid modò me facere oporteat, & quid omittere debeam. *Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Hæc est discretio, quæ oculus,* inquit Cass. *& lucerna corporis in Evangelio nuncupatur. Quod enim,* inquit Chrysostomus, *est oculus corpori, hoc intellectus est animæ.*

Jos. 9. 14. Prov. 15. 22. Eccl. 37. 19. & 20. Prov. 4. 26. & 28. Psal. 24. 5. Psal. 24. 4. Cass. Col. 2. 2.

MEDITATIO XXIV.

De dono scientiæ.

I. Quale sit hoc scientiæ donum.
II. Quam sit nobis necessarium.
III. Media illud obtinendi.

Beatus

Beatus homo, quem tu erudieris Domine; & de lege tua docueris eum, Psal. 93. 12.

PUNCTUM I.

Considera primò, hoc scientiæ donum virtute Sacramenti Confirmationis communicatum, non esse scientiam similem illi, quam Philosophi jactant, aut tradunt Theologi, quæ multo ordinariè comparatur studio, & variâ perfertur exercitatione; sed est scientia, quam Scriptura vocat Scientiam Sanctorum: *Dedit illis scientiam Sanctorum*, quæ lumen est supernaturale, Spiritus divinus diffusus in anima justi, qui eam cognoscere facit creaturas in intentione illarum creationis: Hoc est, ut effectus bonitatis divinæ, divinique ejus amoris notas, ut auxilia & instrumenta nostræ salutis in Deo dum cognoscuntur, dum æstimantur, dum amantur, Deus ut magis cognoscatur, æstimetur, & ametur. In quem sensum Laurentius Justinianus: *Tot laudantium*, ait, *audit voces, quot creaturarum intuetur species, quandam quoque in corde spiritualem sentit harmoniam, quæ interiora omnia complet jubilatione. Non enim à Conditoris se valet continere laude, cùm universa in divinis præconiis occupata intelligit. Omnia vocibus suis jucundissimum agunt concentum. Unde frequentissimâ respersus suavitate, animus tacitè vociferare compellitur: O Domine! quis similis tibi?*

Sap. 10. 10.

Laur. Iust. de Comm. 119.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quàm hæc nobis sit scientia necessaria, quòd illâ seclusâ, omnes acquisitæ scientiæ, non duntaxat sunt nobis inutiles, verùm etiam & saluti nostræ præjudicativæ, & nocivæ. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Hujusque ratio est: Quia etsi res naturales clarè cognoscant, earum proprietates & effectus penetrantes, ignorant tamen, quem in finem creatæ sint, cuique servire debeant. Et juxta hoc, locò, quòd illas ordinare deberent ad finem, ad quem eas Deus produxit: Hoc est, ad eum laudandum, benedicendum, & glorificandum, sæpè illis usi sunt ad eum offendendum: Nonne obstupescenda res est, quòd tota hæc & magna varietas cognitionum perfectissimarum, & clarissimarũ omniũ rerum, quas habent dœmones, illi conjunctas intellectui prodigioso, quem illis Deus misericordissimè communicavit, illis servit duntaxat ad Deum maledicendum, blasphemandum, & odiendum? Omnes nostræ notitiæ & cognitiones, nihilo meliores sunt, nisi illi scientiæ dono junctæ fuerint, Evangelio testante: *Vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Tota mundi conspiratio, & naturæ, est velut liber divinitate plenus, & speculum divinorum. *Et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.* Nimirum illi, qui illo scientiæ Sanctorum dono destituti. Evanuerant in vanitatibus suis. Hoc agnoscens Propheta: *Delectâsti me*, ajebat, *Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Ut id præcaveatur, hortatur

Sap. 13. 1.

Luc. 11. 35.

Sap. 13. 10.

Psal. 91. 5. 7.

Col.2.8. tatur S.Paulus: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Nunc animadverte, scientiam hanc, de qua loquimur, labore & studio non acquiri; sed oratione, & devotionis exercitio. Hanc ergò instanter à Domino Deo pete, & ferventer efflagita, dic cum Propheta: Psal.118.66. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Renuntia desiderio omni, quicquam sciendi, aut discendi, quod vel in minimo huic possit scientiæ adversari. Hoc agnosces, si tua studia non sint prejudicativa orationis & devotionis exercitiis, & quò magis proficis in studiis & literatura, eò semper humilior fias, quia Philosophorum & Theologorum scientia sæpè inflat; sed scientia Sanctorum à charitate inseparabilis, facit nos in oculis nostris humiles, & securos de nostra salute: 1.Cor.8.2. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.*

MEDITATIO XXV.

De dono intellectus, seu intelligentiæ.

I. Quid sit donum intellectus?
II. Quàm nobis sit necessarium?
III. Media illud obtinendi.

Intellectum tibi dabo, & instruam te, Psal.31.8.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd donum intellectus, quod Spiritus S. communicat in Sacramento Confirmationis, datur præcipuè ad supplendum defectum intellectus nostri, ad penetranda, & cognoscenda fidei mysteria, & salutis nostræ fundamenta, quæ eo divinæ scientiæ dono excluso, forent nobis incognita. Intelligere quippe, D. Thomâ teste, est intus legere, hoc est, ratione clarâ penetrare divino adjutorio. Quod agnoscens Propheta, ait: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.* Psal.50.8. Nimirum efficaciâ, & virtute doni illius, quo plures animadvertimus, qui etsi sint inculti literis, & sine studio, ut aliunde aliàs nequirent suæ fidei rationem reddere, tam firmiter tamen rebus fidei adhærent, ut videantur in sua fide immobiles, velut rupes, & petræ, nullis omninò tentationum, aut tormentorum fluctibus mobiles. Ea solùm de causa, quòd scientię hujus lumine clariùs cognoscant, & firmiùs ipso facto adhæreant à Deo revelatis, v. g. unus simplex rusticus, vel famulus, aut servus nullo literaturæ tinctus colore, quàm magni Philosophi, aut profundissimi Theologi cum omni sua scientia. Hoc agnoscit Propheta, & palam confitetur: *Mirabilia*, ait, *testimonia tua, ideò scrutata est ea anima mea. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Psal.118.129 130. Cui S.Augustinus subscribens: *Non satiabor*, inquit, *illis diebus considerare altitudinem consilii tui, super salutem generis humani,* S. Aug. lib.9. Confess. c. 6.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quàm hoc donum sit necessarium, cùm illo secluso, nihil de divinis possimus cognoscere, detegere, aut penetrare, aut ullâ ratione

ratione divino ductu dirigi. At hujus lucis adjutorio, idiotæ & simplices capaces fiunt ad divina contemplanda, ad mirabilia Dei penetranda, & ad sese horis & integris diebus in divinis suaviter colloquiis & meditationibus occupandos, Dei opera admiranda considerantes, & obstupescentes. Quod insinuavit Propheta Isaias, dum ait:
Isa.60.5. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & delectabitur cor tuum, &c.* Et Christus Salvator necessitatem doni hujus suis
Matt. 15. 16. insinuans Discipulis: *Adhuc*, inquit, *& vos sine intellectu estis.*

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, quod hujus doni intellectus, potissimum obtinendi medium sit, primò fides firma, simplex
Isa.70.9. juxta 70. & sincera: *Nisi enim credideritis, non intelligetis*, inquit Isaias Propheta. Secundum humilitas profunda, ex cujus defectu, teste S Augustino, Philosophi gentiles tantâ difficultate lumen Sancti Evangelii recipere potuerunt. *Pudet videlicet doctos homines ex Discipulis Platonis, fieri Discipulos Christi.* Humilia ergò & te, totumque tuum intellectum submitte, & captiva in obsequium Chri-
S. Aug de civit. lib.10.c. 29. sti, & fidei, *qui Piscatorem suo spiritu docuit sapere, & dicere: In principio erat verbum*, docebit & omnes humiles,
Matth.11 25. quia inquit Christus: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* Hisce duabus exornatus virtutibus, pete audacter cum Prophe-
Psal.118. 34. v.144. v.18. ta: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Intellectum da mihi & vivam. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*

MEDITATIO XXVI.

De dono sapientiæ.

I. Quid sit sapientiæ donum?
II. Quàm sit nobis necessarium.
III. Media illud obtinendi.

Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus, Psal.33.9.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd ultimum, & excellentissimum Spiritus S. donum, quòd ipsâ Sacratissimi Confirmationis Sacramenti susceptione communicatur, sit donum sapientiæ, quod aliud nihil est, quàm sapida Dei divinorumque scientia. Hoc est, quæ reddit nobis exercitium virtutum suave & gratum, quod nobis videbatur aliunde amarum, & insipidum. Hoc suaviter divina degustamus, illisque afficimur: Illo actiones, & exercitia virtutum etiam difficiliora, cum gaudio exercemus. Illo tendimus super omnia in in Deum, & Summum Bonum. Illud facit nos aversari & odisse omnes honores, delitias, voluptates, & terrenas divitias, thesauros, ac quicquid transitorium est. Illo Propheta David inductus, confidenter dicebat & confitebatur:
Judicia tua Domine, dulciora sunt super Psal.18.
mel & favum. Hoc agnoscebat Sapiens, dum dicebat: *Sapientiam præposui regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.*

Est

Sap.7.8.9. & 29. *Est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, invenitur prior. Fortè*, ait S.Bernardus, *sapientia à sapore denominatur, quòd virtuti accedens quoddam velut condimentum, sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodò & amara sentiebatur. Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam, saporem definiat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri, ex quo cordis palatum, sensu carnis prævalente, infecit virus serpentis antiqui, cœpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare.* S.Bern.serm. 85. in Cant.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quàm hoc divinum sapientiæ donum, sit utile, & necessarium, cùm sine illo res divinæ non æstimentur, non sapiant; & consequenter non desiderentur, aut quærantur, verùm magis negligantur, parvi pendantur, & contemptui habeantur: Imò illis præferatur unus honoris fumus, voluptas bestialis, execrabilis delectatiuncula. Sine hoc dono, nullus in exercitiis devotionis reperitur gustus, omnia sicca sunt, & insipida, cantus, orationes, functiones, studia, exercitia, ac omnia displicent, ubi unico hujus solis radio vibrante, res communiores, cæremonia exilis Ecclesiæ, oratio parva, communis & ordinaria, verbum unum prolatum, centies auditum, & sine affectu intellectum, tangit, & penetrat cor intimiùs, illud accendens, & immutans, omninò emollit. Et hoc ad causandum rerum divinarum & cœlestium gustum in nobis, & rerum terrenarum amittendum & expellendum. Ob hocque in Baptismo, Baptizans sal ori infantis imponit, dicens: *Accipe sal sapientiæ.* Habesne hunc divinarum rerum gustum? Examina te seriò, quò affectu exercitia pietatis frequentes, & an desideres acquirere, & discere media hujus sapidissimæ cognitionis, & sapientiæ obtinendæ. *Est hoc donum splendidissimum instar lucis, & sapidissimum instar mellis, non solùm sicut mel, sed plus quàm mel.* S. Bonav. in diata salut. tit.6. de don. cap.4. *Per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio.* Sap.9.19.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, quòd hujus obtinendi sapientiæ doni, medium optimum sit, oratio fervens, & constans, dicendo cum Sapiente, & precando: *Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret.* Sap.9.10. Secundum medium est, illam ardenter desiderare. *Optavi*, ait Sapiens, *& datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ.* Sap.7.7. Medium hujus adipiscendæ sapientiæ, est, magna animæ & corporis puritas: *Quia in malevolam animam non intrabit spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap.1.4. Et pro ultimo medio, aptissimo ad sapientiam acquirendam, memineris, quòd non *invenitur sapientia in terra suaviter viventium.* Iob.28.13. Hoc est dicere: Desiderantem sapientiam, oportere elevatum habere animum, super om-

nem

nem carnem, & universas sensuum voluptates: *Animalis homo non percipit, quæ Dei sunt.* *Gustato,* inquit S.Gregorius, *spiritu, desipit omnis caro.* *Sapientia sensum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum sanat, & reparat. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

1.Cor.2.14. S.Bern.serm. 88.in Cant. Iac.1.15.

De virtutibus Christiano magis necessariis.

MEDITATIO XXVII.

Et primò de virtutibus Theologicis fide, spe, & charitate.

I. Virtutes Theologicæ sunt omnium virtutum excellentissimæ, & consequenter excolendæ.

II. Fides, quæ prima est, necessaria est.

III. Duplex fides.

Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, 1.Cor.13.13.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quòd inter virtutes Christianas, excellentiores, & magis necessariæ sint virtutes Theologicæ, ex eo, quòd directè, & immediatè ordinent in Deum, velut proprium objectum, & quòd illi uniant immediatè, velut nostro fini ultimo, & æternali beatitudini. De quibus benè S.Augustinus: *Tria sunt hæc, quibus & scientia omnis, & Prophetia militat, fides, spes, charitas.* Ea de causa exercitium necessarium magis, & continum Christiani hominis esse debet, actus harum trium virtutum elicere, & frequentare, cùm gloriosiores, & Deo gratiores sint, nobisq; utiliores, & magis meritorii. His tribus porrò homo perficitur plenariè in ordine ad Deum quò ad omnes suas animæ potentias. *Homo,* inquit S.Augustinus, *fide, spe, & charitate subnixus, easque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria, etiam in solitudine sine Codicibus vivunt. Unde in illis arbitror jam completum esse, quod dictum est, sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, &c.* *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est.* *Fides,* inquit Tridentinum, *est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est, placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Admirare & obstupesce majorem devotorum hujus sæculi partem, videre tantam operam impendere in recommendandis, & acquirendis virtutibus moralibus, ac civilibus, de Theologicis verò ac divinis omninò necessariis superficie tenùs duntaxat loqui & considerare.

S.Aug.lib.de doctr.Chr.c. 37. S.Aug.loc. cit. Hebr.11.6. Trid.Sess.6. cap.8.circ. med.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd prima virtutum Theologicarum sit fides, quæ nobis notitiam veram & infallibilem veri Dei tribuit, & communicat, captivatque omnem intellectum ad firmiter, & simpliciter credendum omnia, quæ Deus vel immediatè per se ipsum, vel mediatè per sua organa nobis revelat, & dicit, idque præcisè, quia dicit. Hinc benè Christus, Magister

Matth.9.29. noster: *Secundùm*, ait, *fidem vestram, fiat vobis.* Et alibi: *Vade, fides tua te salvum fecit.* Et apud Joannem: *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Et iterum apud Marcum: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Hæc virtus ita necessaria est, ut sine illa, teste Apostolo, *impossibile sit placere Deo.* Hanc Salvator noster specialissimè in infinitis Scripturæ locis recommendat, quia radix est arboris vitæ, & fundamentum ædificii salutis. Quod mater est infanti, hoc est fides omnibus virtutibus, & vitæ verè Christianæ: *Fides* quippe *est sperandarum substantia rerum. Res sperandæ sunt in fide, sicut arbor in semine, quæ per fidem jam existunt quodammodò in nobis, sicut arborem modo quodam tenemus in semine.* S. Thomas. *Ille*, inquit S. Augustinus, *apud Deum plus habet meriti, qui plus attulerit non argenti, sed fidei.* Fides ergò ita necessaria est, ut sine illa meritum, nec gratia, nec salus obtineri, aut sperari possit.

Marc.10. Io.an.11.40. Marc.9.22. Hebr.11.6. Hebr.11.10.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, quòd fides duplex sit, una ordinaria, communis omnibus fidelibus, quæ in Baptismate illis infunditur in multis, & fortè pluribus, valdè parva, languida, & defectuosa, quę non meretur fidei nomen. Altera est extraordinaria, magna, & heroica, de qua loquitur Sapiens, dum ait: *Dabitur illi fidei donum electum.* Hujus meminit S. Leo: *Magnarum*, inquit, *hic vigor est mentium, & valde fidelium lumen est animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quò nequeant inferre conspectum.* Hanc intellexit Christus suis loquens Discipulis: *Habete*, inquit *fidem Dei.* Et alibi: *Si habueritis fidem sicut granum sinapi, dicetis huic arbori, eradicare, & obediet vobis.* Videre vis & audire, quales hæc fides habere debeat perfectiones, ut gradum debitum excellentiæ acquirat? Prima, ut sit certa sine dubitatione. Altera, ut sit firma sine vacillatione. Tertia, ut sine defectu sit viva, operans per charitatem. Hanc laudat Apostolus in Patriarcha Abraham. *Invisibilem*, ait, *tanquam videns sustinuit. In spem contra spem credidit, nec infirmatus est fide, &c.* Ob quod ait Tertullianus, *nobis curiositate non opus est, post Christum, nec inquisitione post Evangelium.* His subscribens Picus Mirand. *Magna insania est, Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sicut modò geniti*, Principe Apostolorum hortante, *infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.* Ex quo benè S. Augustinus concludens: *Non est fides*, inquit, *superborum, sed humilium.* Quoties ab his tribus fidei aberrâsti perfectionibus, voluntariè te in cogitatibus fidei adversantibus detinens, sive loquens liberiùs, sive disputans ferventiùs, sive curiosiùs requirens mysteriorum inscrutabilium rationes, conformiter fidei non procedens, & operans. Te nunc in conspectu Dei humilia, petens cum Apostolis in te fidem augeri: *Domine, adauge fidem.*

Sap.3.14. S. Leo de ascen. Marc.11.23. Luc.17.6. Tert. lib. de præsc. Pic. Mirand. Epist.1. 1.Petr.2.2. S. Aug. serm. de verbis Domini. Luc.17.5.

MEDI-

MEDITATIO XXVIII.

De fide viva & efficaci.

I. Obligatio nostra ut fides nostra sit efficax.

II. Duplex veritas fidei speculativæ, & practicæ.

III. Quàm parva fides sit inter Christianos.

Justus meus ex fide vivit, *ait Deus per Prophetam, Abacuc* 2.4.

Ita S.Paulus 1. Hebr.1.10.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, hisce inhærentes verbis, quantam habeamus obligationem & necessitatem, fidem nostram reddendi efficacem, vivam & animatam charitate, hoc est, bona opera producere. Quem in sensum S.Bernardus: *Fidem tuam*, inquit, *dilectio animet.* Prima ratio est, quia fides sine operibus mortua est, hoc est, omninò inutilis ad salutem: *Quid enim proderit, fratres mei*, ait S.Jacobus, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Fides sine operibus mortua est, sicut inutiliter flos apparet, ubi non sequitur fructus.* Altera ratio est, ex eo, quòd fides nobis non detur duntaxat ad cognoscendum & credendum, verùm etiam ad agendum, & exequendum, quod credidimus. *Ille* siquidem teste S.Gregorio, *verè credit, qui exercet operando, quod credit.* Fide pluriman hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo. Fide Abraham obedivit in locum exire, & exiit, nesciens quò iret, fide obtulit Isaacum, cùm tentaretur. Fide Moyses negavit se esse filium filiæ Pharaonis.

S.Bern. serm. 24. in Cant.

Iac.2.34.

S.Greg. hom. 26. in Ev.

Hebr.11.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quòd inter fidei veritates, quæ nobis proponuntur, aliæ sint intellectum concernentes, ut hæ, quòd Deus sit Unus, & Trinus: Unus in essentia, & Trinus in personis. Quòd secunda in Trinitate persona facta sit homo, naturam assumens humanam, ad personæ divinæ unitatem. Quòd sit unus paradisus, infernus unus, & similes, quas appellamus veritates speculativas, & credendas ex honestate fidei. Quia etsi non credantur, nisi etiam voluntate, quia tamen non sunt proximæ, regulativæ operationum, dicuntur speculativæ ad intellectum spectantes. Aliæ concernunt voluntatem, pro politia vitæ nostræ, quæ non duntaxat sunt credendæ, sed & exercendæ, & practicandæ. Exempli causa: Quòd unicuique sit ad salutem necessarium vitia fugere, virtutes exercere, mandata Dei servare, Deum amare super omnia, inimicos diligere, & aliæ similes Evangelicæ veritates & maximæ, quæ non duntaxat sunt ex honestate fidei credendæ, verùm etiam ex honestate operis. Ut ergò quis sit verè fidelis, non satis est, primas amplecti, sed & debet exercere secundas. Et testificabimus nos non perfectè illas credere, si has in praxin non reduxerimus: Nam omnes, & hæ, & illæ, sunt æquè indubitabiles, & & infallibiles. Emanant porrò ab eodem principio, quod est prima veritas, cui repugnat, subesse falsum. Hinc benè S.Augustinus: *Fides*, ait, *sic est in anima, ut radix bona, quæ pluviam in fructum ducit.* Et alibi: Cre-

S. Aug. praf in Psal.115.

Credere in Christum, inquit, *fides vocatur, difficile est, ut malè vivat, qui benè credit. Fides appellata est ab eo, quia fit quod dicitur. Duæ syllabæ sonant, cùm dicitur fides. Prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Interroga ergò te, utrùm credas? Dices credo: Fac quod dicis, & fides est.* S. Aug. ferm. 237. de temp.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, & ex præmissis elice & conclude, quâm rara & parva sit fides in mundo, quàm verè verificetur, quod Christus Salvator noster, & ipsa veritas, nobis apud S. Lucam, proposuit: *Veniens Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Quia si Christiani omnes examinarentur & probarentur, quot putas invenirentur verè fideles? Verũ in te ipso persistens, non te extendẽs ad alios, opera tua correspondentne tuæ credulitati? Conformanturne tuæ fidei? *Tu fidem habes*, inquit S. Jacobus, *ostende fidem ex operibus.* Credis facilè, nullâ difficultate interveniente, Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, quia nil tibi constat, nullus intervenit labor, opus nullum requiritur: Sed, credisne ad cœlum acquirendum, quòd tibi peccandi occasiones fugiendæ sint? Quòd te crucem tuam tollere oporteat? Quòd tibi ipsi violentiã facere necesse sit? Credisne hæc & similia, fide vivâ operante per charitatẽ? Illâ fide credebat Propheta, dum fatebatur, & Deo dicebat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Verbum Dei fides nostra est, verbum Dei lux est, lucerna est fides, veritatem in injustitia detinent. Considera, quòd fidelis*, ait S. Augustinus, *voceris, non rationalis, & accepto Baptismate hoc, dicimus fidelis factus est.* Certè, si in tuo horto crederes thesaurum absconditum, cum ut invenire & possidere posses, multùm laborares: Si verò ad eum inquirendum non movearis, indicium hoc evidentissimum, te hoc non credere. Idem dic de paradiso, de inferno, quia si crederes alterutrum futuram tuam in æternitate mansionem, plus conatus adhiberes unum adipiscendi, & alterum evitandi: An non verum est. Ideò ad hoc exhortans Christus: *Si potes*, ait, *credere, omnia possibilia sunt credenti.* Cujus fidei efficaciam agnoscens, in hunc locum S. Thomas: *Accedamus*, inquit, *cum vero corde, in plenitudine fidei, cum fide per charitatem operante.* Si ergò credis, cur non facis. *Quid vocatis me Domine, & non facitis, quæ dico?* Ac si diceret, mihi illuditis, vocatis me Domine, & mihi servitis, sed mea mandata contemnitis.

Luc. 18. 8. — Psal. 118. 10. — S. Ambr. in c. 11. Luc. — S. Aug. ferm. in Festo SS. Trinit. — Marc. 9. 22. — S. Thom. — Luc. 6. 46.

MEDITATIO XXIX.

De effectibus fidei.

I. Effectus fidei primus est timor Domini.

II. Effectus est purificare corda.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt, Joan. 20. 29.

Hoc intelligendum est ratione immensorum bonorum, & prodigiosorum effectuum, quos fides in anima producit.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd effectus præcipui fidei sunt duo, juxta S. Thomam.

Thomam. Primus est, timor reverentialis erga Divinam Majestatem, ex eo, quòd fides facit nos apprehendere Deum, vel ut Judicem, vel ut Patrem. Eum si ut Judicem consideremus, ejus offensam timemus, ut infligendam pœnam evadamus. Si ut Patrem agnoscamus, ejus offensam timemus, illi ne displiceamus: Indeque oritur timor, vel servilis, vel filialis. Ipsoque facto dœmones, vi duntaxat suæ fidei naturalis, *credunt, & contremiscunt.* Si benè persuasum tibi haberes, quòd Deus omnia, quæcunque facis, intueatur, audiat quæcunque dicis, ut omnium illi suo tempore rationem redditurus esses strictissimam. An non intra limites magnæ modestiæ, & profundissimæ coram illo reverentiæ, timorem & tremorem incussientis, (ut dicitur,) quòd tremant Dominationes, te contineres? Si ergò animadvertas, hac te carere reverentia, sive in Ecclesia, sive in tuis orationibus, sive in quocunque alio occursu, id provenire ex defectu fidei, nullatenus dubites. Ergò j. m excita fidem, & peccabis nunquam.

Iac.2.19.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd secundus fidei effectus sit, purificare corda fidelium: *Fide purificans corda eorum*, inquit S.Petrus. Hoc est dicere, in terminis sacræ Scripturæ, intellectum & voluntatem purificare: Quia fides primò intellectum ab omnibus ignorantiis & erroribus suis liberans, illum elevat supra se ipsum, facitque omnibus scientiis humanis, & sensuum experientiis renuntiare, ut veniat in participationem cognitionis & scientiæ, quam ipsemet Deus habet de rebus. Idem judicium de illis ferens, quod ipse Deus fert, nulli omninò deceptioni subjacens, aut fallibilitati. Scientia hęc & cognitio infinitè infallibilis, velut radius primæ veritatis, sola in hoc mundo nostrum perficit intellectum, & deiformem reddit eum, illo modo divinâ replens scientiâ & veritate, dignum Christi Salvatoris, de beatitudine Elogio facit: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Secundò, fides affectum & voluntatem ab omnibus suis vitiosis affectionibus, & inordinatis adhæsionibus purificat, facitque eam rebus omnibus rationi rectæ conformiter adhærere, & ut Deus vult. Quo sensu appellat S. Augustinus, fidem, oculum cordis. *Fides est oculus cordis: Videt, qui credit, & credendo intelligit. Omninò habet oculos fides, & majores oculos, & potentiores & fortiores. Hi oculi neminem deceperunt. Fides*, inquit Guilielmus Parisiensis, *est fortitudo, & generositas nostri intellectus.* Quia illâ nunquam deficit intellectus à veritate, vel affectus excidit à bonitate, aut à Dei voluntate, in omnibus, & per omnia. Itane uteris rebus omnibus? Quale facis judicium de honoribus, de divitiis, & de voluptatibus mundi? Si fidem consulas, illa te docebit, quòd omnia hæc sunt vanitas. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Credis hæc? Si credis, cur ergò hæc tanti æstimas? Econtrario, quid cogitas, vel judicas de

Act.16.9.

S.Aug. serm. de Cat.cl.

Idem in Psal. 145.

de pœnis, de vilipensionibus, & de injuriis? Naturam tuam si consulas, repugnantiam invenies; & tamen salutem tuam inde vult Deus dependere.
2.Cor. 4.17. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*
Thren. 3.27. *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.* Ita ratiocineris & judices de omnibus, & luce meridianâ clariùs perspicies, quàm verum dixerit Deus per Prophetam:
Isa.55.8. *Non sicut cogitationes meæ, cogitationes vestræ.* Quòd nimirum cogitationes, quas de rebus per fidem habemus, multùm sint differentes, ab iis, quas natura, sensus, & ratio nos docet. Eam ob causam non judices de rebus juxta exteriorem faciem, & superficiem, sed justè, & secundùm veritatem. Judica, ait Dominus, quod fidei propriè competit, quæ nunquam decipit, aut
Ioan.7.24. seducit. *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.*
I.Ioan.5.4. *Hæc est porrò victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

MEDITATIO XXX.

Repetitio meditationum præcedentium, concernens fidem per modum examinis.

I. Reflexio super illa, quæ de fide dicta sunt.

II. Circa quæ particulariter fidem nostram exercere debeamus.

Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate, 2.Cor.13.5.

PUNCTUM I.

Post omnia, quæ de fide vidisti, de ejus necessitate, de ejus excellentia, de merito ejus, & de ejus omnibus perfectionibus & prærogativis ruminâsti & examinâsti. Vide, ait S.Paulus, illam si ipso facto habeas. Et hoc ut recognoscas certiùs, seriò examina, & dijudica temetipsum, quomodo executus fueris ejus exercitia: Si actus ejus quotidie elicias, quot, & quâ perfectione? Si res omnes solo fidei oculo respicias: Si earum exteriori facie, seu specie, ob nimiam in te earundem receptam impressionem, nimiè allectus & illectus, non seducaris. At si ab exterioribus ad interiora, à præsentibus ad futura, à transitoriis ad eterna transiens, fidem tuam ostendas efficacem, & per charitatem operantem. Quia cùm fides res sit purè spiritualis, abscondita, in fundoque animæ recondita, non prodit, nec se ostendit nisi per sua opera. Eo fine dicitur *fides bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium, si quis non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Non enim vivit,* inquit idem, *ex fide, quisquis præsentia, quæ videntur, cupit, vel timet, quia fides ad invisibilia pertinet.* Ideò ait Apostolus; *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* S.Aug.serm. 18.de temp. S.August. in expos. cap. 3. Epist.ad Gal. 2.Cor. 4.18.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd oporteat nos exercere fidei actus, omnium quidem veritatum fide credendarum, tàm speculativarum, quàm practicarum: Certæ tamen dantur veritates, in quarum actibus eliciendis & frequentiùs quis se exercere debet, & diutiùs immorari. Ut sunt inevitabiles quatuor Novissimorum veritates, firmiter credendo omnia, quæ nos fides de illis docet, quæ in meditationibus vitæ purgativæ accuratiùs ruminavimus, & penitiùs introspeximus: Et continuò ex hisce frequentatis actibus certas eliciendo morales sequelas & conclusiones, velut certissimas quasdam vitæ rectè instituendæ regulas. Cujusmodi sunt veritates finis nostri ultimi, nostræ beatitudinis, divinæ præsentiæ, nullo nos unquam tempore, loco, aut circumstantiâ deserentis, quæ serviunt nobis in bonum virtutis, nos à malo vitii & peccati retrahentes, velut aptissima, firmissimaque frœna, & ad bonum virtutis, & meriti, velut viva & acutissima calcaria excitantes. Horum veritatem animus hominum impressam profundissimè exoptabat Moyses, dum ajebat: *Utinam* (homines) *saperent, ac novissima providerent.* Et Sapiens: *In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos & malos.* *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*, ait Elias. Infinitum esse divinum, quod est pelagus omnis bonitatis & perfectionis, & nihilum nostri esse, quod abyssus est omnis defectibilitatis & imperfectionis, causabunt in nobis summam nostri ipsorum humiliationem, depressionem, & abnegationem. Divina providentia nos inducet, ut omnibus nos his sapientissimis directionibus prompto & resignato affectu submittamus. Omnia objecta hæc sunt, circa quæ plures fidei actus elicere, & frequentare debemus. Hos frequentabat Propheta Regius, dum ajebat: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* *Ecce, gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt coram eo. Quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* *Ego Dominus, & non est alter, formans tenebras, & creans lucem, faciens pacem, & creans malum.* *Ego Dominus, faciens omnia. Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam & ego sanabo.* Hæc fide certâ & vivâ apprehendens, quis meritò tremebundus se humiliat & deprimit, Deum super omnia exaltans, honorans, & laudans. Circa augustissimum altaris Sacramentum frequentare actus fidei crebros, vivos, & intensissimos conari debent maximè Ecclesiastici, eo potiori jure, quo illis familiarius est, illud pœnè semper suis tractantes, manibus conficiunt, sibi, & aliis administrantes. Signum sanctissimæ crucis nunquam leviter ex consuetudine, sed vivâ interveniente fide, formare; nec aliter credo pronuntiare, quàm cum viva fide elicitâ trium mysteriorum in eo contentorum. An non ita est, quòd nunquam, aut raró hosce fidei actus elicueris? Nunquam te specialiter in illis exercueris? Ideò non

Marginal notes: Deut. 13. 29. — Prov. 11. 3. — 3. Reg. 17. 3. — Psal. 38. 6. — Isa. 40. 15. & 17. — Isa. 45. 7. — Deut. 32. 29.

non debet quis mirari, te in fide tàm esse debilem, quia solâ fide habituali, quam in Baptismo recepisti, donatus, illam non vivificans per actuum frequentationem. Idem omninò est, ac si illa careres. Et illi verè assimularis, qui bono armatus gladio, se ab alio occidi permitteret, ex eo, quòd illum pigeret extrahere gladium è vagina. Ideò accepimus lampadem ardentem in Baptismo, ut fides continuò in nobis arderet, igne charitatis. Ardenter ergò hanc fidem efflagita, hanc primam & fundamentalem Christianismi virtutem pete. Et ut hac die, hac horâ, momento hoc, hujus exercitii palæstram ingressus, seu stadium, memineris con-
1.Cor. 16. 13. tinuò consilii Apostolici: *Vigilate, sta-*
Tit. 2. 18. *te in fide.* Et ad Titum: *In omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri ornent in omnibus.* Vigila, tibi intende, & attende benè, quid teneas, an rectè in fide ambules, te ut magis in ea firmes, & confirmes; an de die in diem profundiores jacias radices, in omnibus testimonium perhibens, te perfectam habere fidem, ejus spiritu te agi, & agere, ut omnibus ostendas Salvatoris nostri Dei doctrinam illustrem, claram, & infallibilem, quam verbo & facto profiteris. Quod adhuc alibi exprimit Apostolus, & suadet subjunctis verbis: *In fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelii, quod audivistis.*

MEDITATIO XXXI.

De secunda virtute Theologica, quæ est spes.

I. Quid sit spes?
II. Spes est duplex.
III. Motiva sperandi.

Qui timetis Dominum, sperate in illum, Eccl. 2. 9.

Fidem sequitur spes, ex illo divino lumine non aliter ac radius emanat à sole.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd spes Theologica, sit illa virtus, quâ voluntas in Deum tendit & agitur, ad sperandum, & certa cum fiducia exspectandum omnium possessionem bonorum, & universorum evacuationem ac liberationem malorum vitæ præsentis, quæ nunc est, & futuræ, divinæ bonitati, misericordiæ, liberalitati, fidelitati, in suis promissis, suæ in exequendis omnipotentiæ ac infinitis filii sui innitens meritis. Ex quo recognoscis, & certificaris, quòd objectum materiale spei Theologicæ sint omnia bona, quæ à Deo sperare possumus, temporalia & æternalia, corporis & animæ, naturæ & gratiæ, vitæ præsentis, & futuræ. Et motiva, quibus innititur, sunt potentia, bonitas, fidelitas Dei, & merita Salvatoris, Domini nostri Jesu Christi, *fidelis porrò est*, teste Apostolo, *qui repromisit.*

PUNCTUM II.

Considera secundò, quòd spes sit duplex, una communis omnibus fidelibus, quæ solâ amittitur desperatione. Altera extraordinaria, & heroi-

ca,

ea, in paucis duntaxat reperta personis & hominibus. Et hæc est, ad quam tendere & intendere debemus, illâ ut firmemur, & solidemur in bono. Appellatur fiducia seu confidentia, hoc est, spes fortis, vigorosa, & immobilis, ac exspectatio indubitata, quod promissum certò & infallibiliter dabitur, quæ à D. Thoma dicitur *modus quidam & robur spei*. De qua Seneca: *De te spem habeo, nondum fiduciam.* Illâ excitatus Psalmista: *In verbum tuum superſperavi.*
2.2.q.120.

PUNCTUM III.

Considera tertiò motiva & rationes quibus meritò inducimur, ut Deo fidamus, firmissimè illi innitentes. Prima ratio & sola sufficiens est, quia Deus nos ad hoc excitat, movet, & invitat infinitis penè S. Scripturæ passibus. Et Dominus ac Salvator in suo Evangelio: *Habete*, inquit, *fiduciam. Ego sum, nolite timere.* Certissimum porrò est, quòd si Deus summè bonus, summè pius, & misericors, non intenderet nobis assistere, subvenire, & in omnibus providere, nos non cogeret, ut in se speraremus, & omnem nostram collocaremus fiduciam, fieretque ei summa injuria, illi quacunque in re diffidere. Ad hanc spem & firmam nos invitat Apostolus: *Teneamus*, ait, *spei nostræ confessionem indeclinabilem, fidelis enim est, qui repromisit. Quare Dominus*, inquit S. Augustinus, *toties nos ad innitendum sibi moneret, si supportare nos nollet? Non est illusor Deus, ut se ad supportandum nos offerat, & nobis innitentibus ei, se subtrahat. Sperate in*
Hebr.10.23.
S.August.

Domino in sæculis æternis, & in Domino Deo forti in perpetuum. Erubescere debet adultus, si nesciat facere, quod naturaliter facit infans. Secunda ratio est, quia nostra ad hoc defectibilitas & infirmitas cogit. Cùm enim ex nobis ipsis nihil simus, aut possimus, nostrum refugium, subsidium, & protectionem à Deo requiramus oportet, non aliter ac pueri robore ambulandi, & se sustentandi destituti, rei firmæ illis proximæ apprehensæ innituntur, ut casum aliter inevitabilem evitent. Hos parvulos & innocentes infantulos imiteris. Innitaris unicæ providentiæ divinæ, in omnibus operibus, & negotiis tuis magnis & parvis, tuis semper diffidens viribus, & parvi omnes creaturarum vires, potentias, & virtutes æstimans, dic cum Regio Propheta Davide: *Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Omnes enim, qui sperant in eo, non infirmabuntur. Qui ambulat in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & & innitatur super Deum suum.* His adhærens S. Bernardus: *Ut quid cunctamur abjicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias. Et huic uni tàm solidæ, tàm perfectæ, tàm beatæ spei, totâ devotione animi, toto fervore spiritus inhærere?*
Isa 29.
Hebr.text.4.
Lib.1.erudit. princ.cap.5.
Psal.72.28.
1 Mac.2.61
Isa.50.10.
S.Bern.serr. 19.in Psal. Qui habitat.

MEDITATIO XXXII.

De qualitatibus & notis spei verè Christianæ.

I. Quòd sit firma.
II. Illâ inducamur in contemptum creaturarum, nosque singularis perfundat lætitia, dum ab his deseramur.

III. Media ad hanc perfectam confidentiam pertingendi.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur, Psal. 111.7.& 8.

Anima hoc sanctæ hujusmodi spei spiritu animata, inquit David, disposita, parata & resoluta est, sperare in Domino, omni in occurrentia: Cor ejus est roboratum, & modo tali firmatum, quod non timebit, quidquid illi acciderit.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd tres sint præcipuæ qualitates, notæ & affectiones magnæ illius spei & fiduciæ, cujus heri tibi institui sermonem. Prima est: Quòd firma sit, constans, & immobilis, suum robur & constantiam in medio periculosiorum & intolerabiliorum eventuum faciens patescere. Ita ut
Hebr. 6.19. sit Apostolico fato verè conformiter, *sicut anchora animæ tuta, ac firma*. Con-
Ier. 17.7.8. gruit huic sermo Prophet. quo dicitur: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus, & erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus, & erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum.* Altera est, quâ inducimur ad parvi æstimandum auxilium humanum, aut quarumcunque creaturarum debilium, & incapacium nobis servire, in illis ut collocare queamus spem & fiduciam nostram. Hoc proinde anima nostra præpeditur suam fundare confidentiam in scientia sua, in sua dexteritate & industria, in suis divitiis, & facultatibus in amicis suis & fautoribus, in suo merito seu æstimatione, in suis parentibus & cognatis, in potentia Regum & Principum terræ. Et generaliter, ne ullis adhæreat aut fidat creaturis: Verùm magis supremus hujus gradus, & nota verior & sincerior est, gaudere, & exultare, dum quis se omni humano animadvertit privatum subsidio, favore & auxilio, ab amicis derelictum, ab universis desertum creaturis, quæ vel non possunt, vel non volunt auxiliari. Lætanter & gaudenter concinens cum
Propheta: *Pater meus, & mater mea de-* Psal. 26.10.
reliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Vel cum viro patientiæ Job:
Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, & Iob. 13.15.16.
ipse erit Salvator meus. Etsi Deus me afflictione affligeret omni, & morti traderet amarissimæ, non deseram spem, quam in illo constitui, nec abjiciam fiduciam, quòd salvabit me. *Ita contra* Rom. 4.18.
spem in spem credidit. Abraham, *in pro-* 20.
missione Dei non hæsitavit diffidentia. Ita
fidens *Susanna suspexit in cœlum, erat* Dan. 13.35.
enim cor ejus fiduciam habens in Domino.

PUNCTUM II.

COnsidera media & motiva hanc heroicam adipiscendi fiduciam. Primum est, sibi ipsi diffidere totaliter de suis viribus, ex perfecta sui nihili & peccatorum suorum cognitione; ex qua necessariò talis sequi debet in omninò non desipiente diffidentia. Alterum est firma fides & credulitas infinitæ potentiæ summæ bonitatis Dei, & meritorum Salvatoris nostri Christi Jesu, quæ cùm sint infinita, jus nobis tribuunt obtinendi quidquid petere possumus saluti

nostræ

nostræ conveniens & congruum. Unde tanta nobis dicit & repromittit asseveratione & certitudine: *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hoc confirmatus Propheta & excitatus motivo, dicebat: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo. Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Unde Apostolus: *Non sumus fidentes in nobis ipsis, sed in Deo. Sperantem porrò in Domino misericordia circumdabit.*

Ioan. 16. 23. Psal. 137. 6. 7. Psal. 22. 5. Psal. 22. 4. 2. Cor. 11. 9. Prov. 31. 10.

PUNCTUM III.

TE nunc examina, & accuratiùs introspice, ubi fundentur spes & confidentiæ tuæ, super quid tuam ædifices fortunam, si hanc de te ipso, & de tuis viribus habeas diffidentiam, si te soli bonitati divinæ, & meritis filii ejus committas. Hisce porrò innixus fulcris & fundamentis, cum Apostolo dicere poteris; *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Omnia possum, non in me, qui nihil sum, non in hominibus etiam potentissimis, immò, nec in Angelis; sed in Deo solo, qui me confortat, & cujus brachio nihil resistere potest, dicens cum Propheta: *In ipso speravit cor meum, & adjutus sum.*

Philip. 4. 13. Psal. 27. 7.

MEDITATIO XXXIII.

Quanta bona producat virtus spei in nobis.

I. Bona virtutis spei sunt maxima, econtra

II. Confidentiæ hominum sunt deceptoriæ & fallaces.

Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te, Psal. 83. 13.

Beatus vir, O Domine, qui sperat in te, quia hæc virtus spei illi est fons omnium bonorum inexhauribilis.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quòd inter bona, quæ nobis, & in nobis producit hæc virtus spei, præcipuum sit, quòd illa nobis acquirat thesauros inæstimabiles gratiarum & divitiarum spiritualium. Primò, quia obtinet quidquid petit & desiderat, & nihil est, quod non impetret & obtineat. *Quoniam in me speravit, liberabo eum, clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Secundò, nobis certam moraliter securitatem salutis nostræ & beatitudinis æternæ tribuit, estque ipsa species quædam illius gaudii, & beatitudinis ipsiusmet anticipatæ possessio. *Spe gaudentes,* inquit S. Paulus, *lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem, spe salvi facti sumus.* Et Psalmista: *Salvos facis sperantes in te. Dedisti lætitiam in corde meo, quoniam tu Domine singulariter spe constituisti me.* Et S. Paulus: *Fortissimum, ait, solatium habemus, qui confugimus ad tenendum propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam. In tribulatione patientes, qui confidunt in Domino,*

Psal. 90. 14. 15. Rom. 2. Psal. 5. 12. Hebr. 10. 35. Rom. 8. 24. Psal. 16. 7. Psal. 4. 7. 10. Hebr. 6. 28. 29. Rom. 12. 22. Psal. 125. 1.

sicut mons Sion. Tertiò, spes animum nostrum reddit invincibilem, ad quodlibet aggrediendum & exequendum, quia facit nos omnipotentiæ junctos divinæ, ejus in omnibus uti brachio.
Psal. 30. 15. Unde Psalmista: *In Domino*, inquit, *sperans, non infirmabor. In silentio & spe erit fortitudo nostra.* Si sperem in Domino, nihil me deprimet, nihil me de-
S. August. in Psal. 127. jicere poterit. *Labores non sunt sine gaudio*, propter spem nos labores ipsi jucundant, & lætos faciunt de spe.

PUNCTUM II.

Considera secundò, meliùs ut percipias & penetres hujus divinę virtutis progressus, per ejus contraria, ut opposita juxta se posita magis elucescant, quàm sint ordinariè seductoriæ, fallaces, & deceptoriæ spes, & confidentiæ fundatæ, & innitentes creaturis. Incapaces omninò nos quietare, aut aliquo modo solidare, nos fluctibus inquietudinum, & continuarum perturbationum immergunt. Et bona unde speranda sunt tàm exigua, quòd sit res admiratione omni digna, quo modo tantum impendamus laborem, ut eas acquiramus. Cùm insuper spes collocata in hominibus, suo sæpiùs frustretur fine, & exspectatione: Spes verò in Deo posita, nunquam suo destituatur fine, fructu, & effectu. *Spes*
Rom. 5. 5. *porrò*, ut ait S. Paulus, *non confundit.* Ob hoc Regius Propheta hortatur, ne in hominibus ullo modo spem nostram
Psal. 145. 3. ponamus: *Nolite confidere*, inquit, *in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Hujus rationem perfectè
Isa. 36. 6. expressit Isaias, his verbis: *Ecce*, inquit, *confidis super baculum arundineum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.* Scisne quid agas, dum spem ponis in hominibus? Inniteris baculo arundineo fracto, qui intrabit in manum tuam, eamque lædet, & perforabit, ut non possis ampliùs operari. Quo ex motivo benè Propheta ait, tales esse maledictos: *Maledictus*, inquit, *homo, qui confidit* Jer. 17. 5.
in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Væ, ait, *qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt. Et super equitibus, quia prævalidi nimis,* Isa. 31. 1.
& non sunt confisi super Sanctum Israël. Renuntia ergò hisce omnibus inanibus confidentiis, quas usque modò habuisti, aut habere potuisti, in hominibus, in eorum potentia, favore, & gratia. Ut liberè cum Propheta dicere possis: *Tu es Domine spes mea. In te Domine spe-* Psal. 90. 9.
ravi, non confundar in æternum. In te Psal. 30. 10.
projectus sum ex utero, ne discesseris à Psal. 21. 11.
me.

MEDITATIO XXXIV.

In quo spem exercere nos oporteat.

I. A Deo sperare nos oportet bona corporis & animæ.
II. Victoriam nostrarum imperfectionum.
III. Veniam peccatorum nostrorum.

Dominus dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat, Isa. 40. 29.

Hoc est, quod anima præstat, quæ in illo sperat, & totaliter se illi confidit.

PUN-

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quòd spes respiciat ut objectum, omnia bona corporis, & animæ, quæ Deus dare potest, in vita hac præsenti, & in altera, & futura, & liberationem ab omni malo, quo affligi possimus. A minori ut sumamus exordium, nos sperare primò debemus, à bonitate & providentia paterna Dei, omnia vitæ conservandæ hac in mortalitate, necessaria, ut victum, & vestitum, habitationem, & reliqua necessaria ad vitam sustentandam: *Scit enim*, inquit Christus, *Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Etsi quandoque hæc nobis subtrahat, vel ex eo provenit, quòd illis nimis inhiemus, vel prævidet, quod aliàs nostro in bono profectui & saluti præjudicarent: *Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Sinistra ejus sub capite meo, non enim me deseret in temporalibus necessariis; sed tamen ita sinistra sub capite erit, ut dextera ejus complectatur me, pollicens vitam æternam. Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Nunquid fuisti nimis aliquando sollicitus, quàm par est, ratione temporalium? An non nimiâ anxietate hæc requisivisti, contra mandatum Salvatoris Dei nostri: *Nolite solliciti esse.*

Matth. 6. | Cant. 2. 6. | S. August. in Psal. 114. | Matth. 6. 32. & 33. | Matth. 6. 31.

PUNCTUM II.

QUod à divina bonitate secundò sperare nos oportet, & præstolari, est victoria omnium nostrarum imperfectionum, animum nullo modo despondere, aut nimiâ affici tristitiâ, animadvertentes nos, tanto tempore, tot factis & repetitis propositis semper in eosdem reincidere defectus, easdem perpetrare culpas. Natura nostra re ipsa corrupta est, & nostræ infirmitates & deficientiæ maximæ sunt. Remedia tamen adhuc majora sunt, & prævalent, modò adhibeantur. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient, ab illo pasti & solidati, qui est robur fortium.* Ita apud Ezechielem repromittens, ait: *Ego pascam oves meas, quod perierat requiram, quod infirmum erat, consolidabo.* Tertiò, quod nos à Deo exspectare oportet, est omnium nostrorum remissio peccatorum, qualiumcunque, & quantorumcunque, modò id debitè ab eo petierimus, & nos ad hoc, ut res exigit, disposuerimus, fundati in eo, quod Salvator venerit in hunc mundum, ut mundaret nos à peccatis nostris, ob hoc ubique requirens, quod perierat. Summâ recepit peccatores mansuetudine, summâ allexit charitate, dulcedine audivit incomparabili, possibili docuit patientiâ, summâ adjuvit misericordiâ, ut evincitur in Samaritana, in Zachæo, in fœmina in adulterio deprehensa, in Maria Magdalena. *Verè reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Quia virtute meriti sanctissimæ passionis, omnes gratiam invenerunt, nemine excepto. *Quid misericordius intelligi potest*, ait S. Augustinus, *quàm cùm peccatori æternis pœnis damnato, unde se redimat, non habenti: Pater dicat, accipe unigenitum filium meum, & da pro te, &*

Isa. 40. 31. | Ezech. 34. 15 16 | Rom. 5. 10.

S. August. in illum locum. *ipse filius dicat, tolle me, & redime te, quid ergò justius, quàm cui datur pretium majus omni debito, ut peccatum dimittat illi, qui pro debito affert hoc pretium.* Tandem ultimum, cui inniti debet spes nostra, est nostræ prædestinationis beneficium, sperantes futuros nos de numero electorum, & quòd Deus salvos nos faciet, ejus si correspondeamus gratiis. 1. Tim. 2. 4. *Vult (enim) omnes salvos fieri. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* 1. Tim. 3. 15. Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum: Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: Si autem filii & hæredes.* 1. Tim. 2. 4. 1. Petr. 3. 9. 2. Cor. 5. 25. *Vult omnes homines salvos fieri, nolens aliquos perire. Christus porrò pro omnibus mortuus.* Si ergò tibi obveniant cogitationes in contrarium, resume animum, robora, & excita hujusmodi verbis & sententiis veritatis infallibilis, & maximè subjunctis Christi verbis admonitoriis & ad bonum excitatoriis: Matt. 9. 13. *Euntes*, inquit, *discite quid est misericordiam volo, & non sacrificium, non enim veni vocare justos, sed peccatores.*

MEDITATIO XXXV.

De charitate, tertia virtute Theologica.

I. Cur charitas sit omnium virtutum excellentissima & perfectissima.

II. Deus ipse est charitas.

Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, 1. Cor. 12. 30.

Post duas primas virtutes Theologicas fidem & spem sequitur ultimo loco charitas, ut nobilissima & excellentissima inter illas tres.

PUNCTUM I.

Considera primò, cur Apostolus appellet charitatem excellentissimam omnium virtutum. Primò, quia in Deum tendit, dirigit, & impellit modo puriori, liberiori, & vacuo ab omni proprio interesse, quia est anima, vita, forma & robur omnium aliarum virtutum, illas coram Deo vivificans, & reddens dignas meriti infiniti: *Nunc*, inquit Apostolus, *manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* 1. Cor. 13. 15. Ob hoc appellatur à S. Augustino charitas plenissima justitia; S. Aug. lib. 1. de nat. & grat. 41. *Charitas*, ait, *est verissima, plenissima & perfectissima justitia.* Col. 3. 14. Ob hoc *vinculum perfectionis* dicitur à S. Paulo. Secundò, quia charitas est gratissima & gratiosissima inter omnes alias virtutes, quæ sine charitate nec gratæ, nec gratiosæ sunt, aut esse possunt. Quid porrò lapidi est gravitas, quid igni levitas, hoc est homini amor & charitas. *Amor meus, pondus meum*, inquit S. Augustinus, *illo feror, quocunque feror.* Lib. 13. Conf. c. 9. *Ubi amor*, ait S. Bernardus, *labor non est.* Serm. 85. in Cant. Tertiò, quia inter omnes virtutes nulla est utilior charitate, nulla commodior aut magis proficua. Sine illa enim pauperes sumus, cum illa divites; sine illa nudi sumus, cum illa optimè vestiti & ornati; sine illa deformes & turpes sumus, cum illa pulcherrimi & formosissimi. Dum porrò illa in animam ingreditur, & infunditur, adducit secum ex se velut sibi naturaliter conjunctas, & ex divina ordinatione inseparabiles socias omnes gratias, virtutes infusas, ac omnia dona Spiri-

Spiritus S. Et in anima existens illam purificat, sanctificat, & perficit, animam & corpus vivificat, omnes actiones nostras, operationes & actus usque etiam ad minimos facit meritorios, & dignos paradiso, & vita æterna. Illâ præsente, omnia homini levia & facilia sunt, Christo testimonium perhibente: Matt. 11. 30. *Jugum meum*, inquit, *suave est, & onus meum leve.* Unde Apostolus dicebat, 1.Cor.13.2. quòd sine charitate nihil esset. *Etsi habuero omnem Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Huic subscribens S. S. August. de verb. Dom. sec. Ioh. serm. 50. Augustinus: *Ecce venitur*, inquit, *ad passionem, venitur ad sanguinis effusionem, venitur ad corporum incensionem; & tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia. Detrahe charitatem, nihil prosunt cætera. Quale bonum est charitas ista, fratres? Quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid utilius? quid securius?* Sola ergò charitas, qui habet illam, sufficit, & omnia sine illa, qui habet, non non sufficiunt, nec prosunt.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quòd omnes hi tituli gloriosissimi hujus divinæ virtutis comparatione illius, quem illi S. Joannes dat, nihil sint, dum ait, quòd Deus hujus charitatis nomen assumat: 1.Ioan.4.8. *Deus*, inquit, *charitas est.* Quid dici potest magnificentius, excellentius & altius, aut eminentius? *Brevis laus, magna laus*, inquit S. Augustinus hac in materia, *brevis in sermone, & magna in intellectu. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis.* Rom.5.5. S. Aug. tract. 7. in Ioan. *Quid amplius dici potuit, fratres? Si nihil de laude dilectionis diceretur per omnes istas paginas hujus Epistolæ, si nihil omnino per cæteras paginas Scripturarum & hoc solum unum audiremus de voce Spiritus Dei, quia Deus dilectio est, nihil amplius quærere deberemus.* Cùm ergò charitas sit virtus tàm excellens, cùm Deum amare, sit res tàm proficua, utilis & delitiosa, & tàm divinæ accepta bonitati, quis huic virtuti de cætero non omni vellet conamine intendere, studere, & viribus omnibus adhærere? *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1.Ioan. 4.16. Quis posset enumerare bona inæstimabilia, quæ hæc mansio illi, qui ita in Deo manet, adfert? Adfert illi corporis puritatem, animæ sanctitatem, intellectus lumen, pias voluntatis affectiones, rectitudinem intentionum, passionum regimen indefectibile, animi in suis difficultatibus magnitudinem, in omni sua directione sapientiam, & perfectissimam in cunctis agibilibus prudentiam, ut in nullo omninò deficiat, sed in omnibus proficiat. Ergò Apostoli monito acquiescentes: *Sectamini charitatem. Omnia vestra in charitate fiant.* 1.Cor.14.1. 1.Cor.16.14.

MEDI-

MEDITATIO XXXVI.

In quo sit principaliter situm mandatum de dilectione Dei, & quis sit hic amor?

I. Amor Dei duplex, intensivus & appretiativus.
II. Solus appretiativus præcipitur.
III. Praxis hujus amoris.

Qui amat patrem aut matrem, plus quàm me, non est me dignus, Matth. 10.37.

Hisce verbis docet Salvator, quòd præferendus in amore sit Deus omnibus rebus mundi, & creaturis universis.

PUNCTUM I.

CОnsidera primò, quòd detur amor duplex, intensivus & appretiativus. Amor intensivus, amor est teneritudinis, & ardoris sensualitati multùm affinis, & condescendens, ut amor parentum in filios adhuc in infantilibus annis, teneritudine maternâ fovendas, & educandas. Amor appretiativus, vel præferentiæ, ille est, quo inter duo unum præferimus, & eâ æstimatione, ut parati simus plus pati & facere causâ illius, quàm alterius, quia illud pretii majoris tenemus. Ita Deum amore appretiativo amamus præ omnibus, quia ille suo pretio & æstimatione omnia antecellit.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quòd etsi rationabile foret, quòd Deum amaremus amore intensivo, & nos ipso facto ad hoc posset obligare; amore tamen appretiativo & præferentiæ contentus est, volens duntaxat ut illum amemus super omnia alia, ac eligeremus potiùs totum universum, cum omnibus in eo contentis, perdere, quàm illum offendere. Ille est amor, quem à nobis requirit, quem ordinavit, præcepit nobis primo & maximo legis mandato. Illeque est, quem practicare ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex omnibus viribus nostris, Deum & Dominum nostrum, omnibus, quæ in mundo sunt, aut esse possunt, præferentes, præeligentes potiùs omnibus bonis nostris, honoribus, fama, & vita ipsa privari, quàm quicquam contra voluntatem ejus exequi. Eheu! quàm sæpè exile quid voluptatis brutalis, fumum transeuntis honoris, & phantasticæ æstimationis apprehensionem, divinæ prætulisti voluntati? Te illius pœniteat temporis. Et propter unum, quo habito beatus es, & quo dempto miser es.

PUNCTUM III.

DIsce, quòd praxis amoris hujus, & præferentiæ, quæ tibi præcepta est, in duobus sita sit. Primum est, Deus propter nullam rem mundi, quamcunque, etiam possibilem, non offendere. Alterum est, dum sese occasio offert, vel quæstio est, nec uni resistere tentationi, quæ premit, vel unam subire mortificationem, vel quodcunque bonum opus pœnale exercere, omnes superare oportet difficultates qualescunque supervenientes, Deo ut fidele perhibeas testimonium, te illum plus æstimare, quàm te ipsum, dicereque cor-

cordiali affectu, exempli causâ, hanc bonam actionem nunc exequi intendo; quam nullâ ratione exequerer, nisi tui causâ ô mi bone & benigne Deus; ita modò accingo me illius executioni propter te, mi Deus; non attentâ Quacunq; intercurrente resistentiâ, ipsam etiam mortem illaturâ. In hoc non facies nisi quod fecit ante te Salvator Noster Jesus Christus, qui in horto olivarum sibi ex unâ parte objiciens suam capturam ignominiosissimam, vincula indignissima, flagellationem, dolorosissimam, clavos durissimos, omnesque pœnas acerbissimas, quos in suâ passione pœnosissimâ pati debebat: Et ex altera parte Voluntatis sui æterni Patris executionem, & amorem; quo in eum ferebatur, ostendere volens, se hoc ultimum propriæ præferre vitæ; ait: *Ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit Pater, sic facio. Surgite eamus.* Indeque perrexit gaudenter in mortem. Hoc est verè amare, eo modo agere ex amore. Verùm, quod certamen unquam subivisti? Et quam tibi unquam Violentiam intulisti? pondera bene & seriò recogita. *Probatio enim dilectionis est exhibitio operis.*

Ioan. 14. v. 31.

S. Gregor. homil. 10. in Evang.

MEDITATIO XXXVII.

Quæ esse debeant qualitates veri amoris Dei? elicitæ ex S. Aug. lib. de morib. Eccles. Cathol.

I. Primò: Amor debet esse humanus.
II. Secundò: Esse debet temperatus.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ, Matth. 22. v. 37.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quòd prima qualitas, & affectio veri amoris, juxta terminos ipsius mandati divini sit; quod supremus sit & summus, excedens omnem cujuscunque alterius rei amorem: quia Deus in eodem corde & animo non patitur æqualem, aut admittit competitorem; Vult totum cor vel illius nihil. *Diliges Dominum Deum tuum*, ait: *ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Et ex omnibus viribus tuis; ex totâ virtute tuâ, ex totâ fortitudine tuâ*, ubique requirit & præcipit totum non partem. Ideo reiterat ad sexies ex toto, ut ostendat, non esse licitum, quamcunque partem excipere qui toto dicit, & petit, nihil relinquit vel excipit. Et quidquid dederis, nisi totum dederis, non das, quod petit, nec ei sufficit, aut satisfacit illi aut tibi: quia non evadis reprehensionem justam, quod illum amare nolis, in cujus amore consistit salus tua, *quod dicit in toto*: ait S. Basilius: *nullam in res alias divisionem admittit, quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est, ut demas de toto. Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat. Quomodo dicis*: ajebat Dalila Samsoni: *quòd amas me; cum animus*

Matt. 22. v. 37.

Marci 12. v. 30.

Isaia 28. v. 20.

Iudic.16.v.15. *animus tuus non sit mecum*? Amandus ergò Deus, ex toto corde est, ut nihil sit cordis non illius, & animus totus cum illo esse debet, ut nulla ejus pars cum alio sit. Vellésne bene dare & concedere, quòd non ames Deum? Sed possesne bene jurare & subsignare, quòd illum ames, ex toto corde tuo; Etsi non est illum amare, non amare ex tuo corde, quid dices?

PUNCTUM II.

Considera secundò: Quòd altera qualitas & affectio amoris sit, quod temperatus, & suis certis restrictus limitibus; Hoc est, quòd non desideret, aut requirat res hujus mundi transitorias: Verùm magis hujusmodi contemnat; quales sunt honores, commoditates, & voluptates Corporis; Vani favores, & Laudes hominum, superfluitates comessationes, & similia, quæ sub nomine vanitatis comprehendit Sapiens; ex eo, quòd universæ hujusmodi res longè nobis inferiores, ut ventus, prætereant, &, ut fumus,
Ecclesi.10.2. evanescant. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum. Amor vult esse sursum, nec ullis infimis*
3. Imitat. Chri.c.5. *rebus retinetur: Amor vult esse Liber, & ab omni mundana affectione alienus. Nutrimentum charitatis imminutio cupiditatis; perfecta charitas nulla*
3. Aug. lib. 13. q.26. *cupiditas. Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus.* Examina te nunc, & maturè pondera, si hac ratione Deum amaveris? Si amaveris cum ex toto corde. Si creaturam aliquam cum illo amaveris, Si divisus ita sit amor tuus animadverte bene, ne tibi accidat, quod dixit & prædixit Propheta. *Divisum est Cor* Osee 10. v.2.
eorum; nunc interibunt. Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, Dominum Deum tuum timebis, & ei soli servies, ipsi adhærebis. Lucæ 14. v. 33. Deut. 10. v. 20. *Minus enim*: ait S. Aug. *te amat Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.*

MEDITATIO XXXVIII.

De aliis veri amoris qualitatibus.

I. Amor esse debet generosus.
II. Debet esse constans & perseverans.

Fortis est, ut mors dilectio, Cant. 8. v. 6.

Amor est fortis, ut mors, quia mors separat animam à Corpore; ita amor Dei totaliter semper & pro semper animas nostras à rebus Terrenis earumque affectionibus separat & avertit.

PUNCTUM I.

Considera primò, quòd altera qualitas & affectio amoris sit, quod fortis & generosus sit. Hæc autem fortitudo, & generositas in eo sita est: quòd generosè patiatur jacturam omnium bonorum hujus vitæ transeun-

transeuntis, peribilium, non moveatur ad occurrentem adversitatem, aut facultatum amissionem. Non timeat dolorem, non infamiam perhorrescat non infirmitate deprimatur, non dejiciatur paupertate. Imò nec morte terreatur, exemplo S. Pauli: qui dicit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita; neque Angeli & principatus, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei: In his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos.* Et paulò altiùs provocare audet, omne quod homines plus apprehendunt, an se ab hac queat charitate separare. *Quod ergo nos separabit à charitate Dei tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius* 2. Animadverte hic cum S. Chrysost. quod non ponit: *An pecunia an divitiæ? an ornatus*, quia omnia hæc sunt vilia, non nisi abjectos, & vilis naturæ homines movere possunt: Verùm, quæ videntur gravia posuit, *famem, persecutiones, & illa quidem, & hæc tanquam nihil essent, contempsit. Ego*, inquit S. Chrysost. verus Apostoli sectator: *non solùm capite privari; & in mare projici: sed etiam infinitos cruciatus pro Christo meo sustinere paratus sum*: Annon verum est, quòd amor tuus valdè elongatus & remotus ab hac sit perfectione? Hanc nihilominus ab omnibus Christianis S. Aug. requirit. Si pati non possis parvum malum, febriculam aliquam; parvum contemptum; confusionem levem, quomodo sustinebis Martyrium? Hæc tibi non levi consideratione pensanda sunt.

Rom. 8. 33.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò; quòd quarta & ultima qualitas & affectio veri amoris est, quòd sit constans & perseverans: quia sola perseverantia coronatur. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Parum est, rem aliquam incepisse, nisi consummetur. In eo præcipuè fortitudo amoris sita est, ut faciat nos perseverare, non obstante quovis disgustu, tristitiâ, aviditate, & tœdio in spiritualibus afflictionibus, quæ nobis in viâ virtutis occurrunt, aut occurrere possunt. *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi:* ait Sponsa constans in amore Sponsi. *Virtus boni operis perseverantia est: huic soli redditur corona justitiæ: quid enim prodest, esse bonum, esse sapientem, esse potentem, Si non perseveraveris usque in finem.* Quoties resolvisti, amare Deum super omnia, & nihil amare, nisi illum & propter illum; Et eo non obstante, quâ firmitate, quâ confidentiâ, quâ stabilitate perseverâsti? minimum obstaculum te tuis omnibus privavit propositis, & resolutionibus & animum omninò abjicere fecit. Ex hoc solo judica, & conclude, qualis tuus ille fuerit amor. Cum juxta S. Aug. & S. Hieron. *Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam vera fuit.* Valdè elongatus es ab amore Sponsæ, de quo dicitur, quòd aquæ multæ (intel-

Apoc. 2. v. 10.

Cant. 7. v. 15.

S. Bern. de Pass. Dei.

(intelliguntur per aquas multas, *omnes pœnæ*, tribulationes, & omnia obstacula, quæ amori objici possunt) *non potuerint extinguere charitatem*, hoc est, ardorem divini amoris. *Aquæ multæ, non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* *Cant.8.7.*

MEDITATIO XXXIX.

Motiva inductiva ad exercitium & praxim amoris divini.

I. Primum Motivum est divinum Mandatum.

II. Alterum est facilitas hujus mandati.

III. Tertium est amor, quo nos Deus amat.

Plenitudo legis est dilectio: Rom.13. v.10.

OMne quod in Lege in Prophetis, & in Evangelio reperitur, hoc magno amoris divini præcepto comprehenditur.

PUNCTUM I.

COnsidera primò; quòd ratio prima, quam habemus, Deum super omnia amandi, & quæ esse fundamentum omnium aliarum rationum, & motivorum, sit expressum mandatum divinum; quod Deus expresse cum in finem dedit, quod est, & dicitur primum & maximum mandatum omnium Mandatorum: Ad quod omnia alia veluti ad suum finem referuntur, velut appendices datæ ad perfectionem illius primi mandati observantiam & executionem. *Finis præcepti est Charitas.* *2. Tim.1. v.5.* Eò referuntur omnes Christianorum obligationes: quibus Spiritus amoris ita proprius est, sicut Judæis spiritus timoris. Illo Spiritu inflammatus S.Aug. confidenter, cum Domino Deo loquebatur dicens. *Quid mihi es? quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? parva ve ipsa est, si non amem te?* quas miserias ut evadat psalmista, ultroneè se ad Dei amorem offerens: *diligam te, Domine*: ait: *fortitudo mea Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & Liberator meus.* *Psal.17. v.2. & 3.* Hunc autem amorem, ut assequebatur auxilio Dei, quem amare cœpit; ut suum unicum bonum requirens alibi: *Clamavi*: inquit, *ad te, Domine; dixi tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* *Ps.141.v.6.*

Recogita paululum, quam ad Deum tuum, habeas obligationem; quòd hoc tibi dederit mandatum. Reges suis subditis dicere non consueverunt: Vobis me amare permitto: Verùm, magis ajunt: Volo, ut mihi serviatis. Et Deus non contentus, permittere illum ut amemus: Verùm illud ipsum nobis præcipit cum repromissione magnæ, si id fecerimus, remunerationis, & minis justæ, si omiserimus, castigationis. Annon quis justè suæ salutis inimicus esse

esse debebit, illi tam justam recusans obligationem.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò: quòd hoc mandatum, non duntaxat sit cum gratiâ possibile: Verùm, quod plus est facillimum. Quia nemo est, qui non sit capax hujus mandati adimpletionis, & amoris divini; Etsi in aliis virtutibus dentur certi excusationis prætextus, ut quis se ab earum eximat praxi, in hujus nihilominus virtutis, amoris & charitatis praxi, ut ab eâ quis se eximat nullus talis prætextus Locum invenit, aut invenire potest: Potest quis dicere jejunare non possum: Verùm quis dicet: amare non possum? Et ipso facto si Mandatum hoc erat Judæis in lege illâ Timoris: ut illis Móyses declaravit & ostendit, facile: Quantò magis erit Christianis facile & delectabile in suâ lege amoris, & gratiæ: Ubi Salvator & Dominus, Christus Jesus, dicit, & verum dicit, *quod jugum suum suave sit, & onus suum leve*. Hoc agnoscens psalmista increpando, *Nunquid*: ait: *adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti Sarcinam Levem, non solùm non prementeo nere ponderum: Verùm etiam sublevante, Vice pennarum*.

Ps.93.v.20.

S.Aug.

PUNCTUM III.

COnsidera tandem tertiò: quòd ultimum & potissimum motivum, solum ex se sufficiens aliis omnibus cessantibus, & seclusis sit amor, & charitas Dei; quâ nos ipse amat, & diligit, ad animandum nos ad illum reciprocè amandum, & redamandum. Ille ipse est: qui tibi dicit: *Charitate perpetuâ dilexi te*. Si ergò te amavit, & constanter amat ab omni æternitate, an non ob hoc habes causam urgentissimam, illum, brevi, quo vivis, tempore, redamandi? Amor solvitur solò amore. Deus ergò te prior cum amaverit, ut S. Joannes testatur: *quoniam ipse prior delexit nos*: fores ita obduratus, illi ut non parem conareris reddere amorem? *Nimis durus est animus qui, si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere*, inquit S. Aug. *Nos ergò diligamus Deum quiâ prior dilexit nos. Nulla major est invitatio ad amorem, quàm prævenire amantem. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Verùm, quomodo amavit te, Deus? quâ te mensurâ & pondere dilexit? *Sic Deus dilexit Mundum ut filium suum unigenitum daret*. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo in tormenta, in opprobria, in flagella, in mortem ipsam. Hæc est mensura suæ dilectionis: seipsum dare totaliter sine reserva & exceptione pro te. Et tu illi dare recusabis quod à te petit? dùm pro omnibus tibi concessis gratiis & beneficiis, tuo solo corde, illi totaliter dato & consecrato, contentatur? Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Nonne, si conferrentur in me omnes *vitæ filiorum Adam*, &

Ierem.31.3.

1.Ioh.4.v.19.

1.Ioh 4.

3.Aug. de cath rud.

Osee 11.4.

Ioh.3.v.15.

& omnes dies seculorum & nihil esset ad comparationem corporis istius: quod spectabile, & stupendum est virtutibus etiam supremis, in conceptu de Spiritu sancto compactum, de virgine natum, in vita innocentia purum est. Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam: vel potiùs unum Minutum voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantis tantillum beneficiis prævenit: qui toto se dato, totum me comparavit? Toto se dato, te totum comparavit: ergò totum te illi redde. Audi, quid à te petat. Fili: inquit: *præbe mihi cor tuum.* Dic ergò illi, & Corde dic, & in veritate dic, & ipso opere dic, non solùm, ô mi bone & benigne Deus, cor meum lubens tibi præbebo & præbeo; sed & corpus meum, & animam meam & cogitationes meas, verba mea, actiones meas studia mea, patientiam meam, & omnes dolores meos: Vellem mille haberem vitas, imò infinitas ad offerendum & sacrificandum amori tuo. *Suscipe, domine, universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem, quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: Id totum tibi restituo, ac tuæ prorsus trado gubernandum voluntati: amorem tuum solùm dones, & dives sum satis, nec ultrà aliquid posco:* S. Ignatius.

S. Bern. de quod desit.

Proverb. 23. v. 26.

MEDITATIO XL.

De effectibus Charitatis, & conformitate voluntatis nostræ cum divina.

I. Cur nos debeamus conformare voluntati divinæ?

II. In quo hæc conformitas sita sit.

III. Quomodo à Domino nostro Christo Jesu practicata?

Domine quid me vis facere? Actor. 9. v. 6.

HÆc verba sunt communiora animæ unius igne Charitatis divinæ inflammatæ.

PUNCTUM I.

COnsidera primò; quâ ratione effectus charitatis verus & genuinus sit conformitas & unio voluntatis nostræ cum divinâ voluntate. *Fideles porrò in dilectione acquiescent illi. Gloria magna est sequi Deum.* Eoque sæpius hujusmodi conformitatis & omnimodæ resignationis in voluntatem divinam exercere actus debemus: quò occasiones frequentiores sunt. Idque primò ad amorem, quo illum prosequimur testificandum. Secundò ad illum glorificandum & honorandum excellentiori modo, quo honorari & glorificari potest, volendo, quod vult, quando vult, & quomodo vult. Ad vivendum tertiò in quiete perfectâ & imperturbatâ; quæ inveniri non potest nisi in animâ quæ perfectè voluntati divinæ subjecta illi in omnibus conformatur in nullo discrepans: *Quis enim ei restitit & pacem habuit. Hostiam & oblationem noluisti,* inquit

Sap. 3 v. 9. Eccl. 23. v. 38.

Iob. 9. v. 4. Ps. 39. v. 7.

inquit Psalmista, *corpus autem aptâsti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio: In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui. Nihil gratius Deo possumus offerre, quam ut dicamus ei, quod dicitur in Isaiâ, posside nos.* Paucis totum exprimit, S. Job. *Acquiesce Deo, & habeto pacem*: Ita ut vera pax, stet in solâ voluntate Dei formaliter, indefectibiliter, eminentialiter & originaliter: Et in omnibus illi voluntati adhærentibus participativè, in quantum satis est, ad perfectam habendam pacem in conformitate præmemoratâ sitam, quod exprimit Propheta, *Utinam attendisses ad mandata mea: facta fuisset, sicut flumen pax tua*, Isaiæ. 28. v. 18.

Hib. 10. *v.* 5. *S. Aug. in Psal.* 3. *v.* 11. *Iob.* 22. *v.* 21.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò. In quo sita sit hæc conformitas; quam nos habere oportet ad voluntatem Dei? Primò sita est in abnegatione plenariâ nostri totaliter nos Deo committentes, ut de nobis, de corpore nostro, de animâ, de nostris facultatibus & de omnibus ad nos spectantibus faciat in tempore & æternitate, quidquid illi placuerit. Secundò. In eo quòd resignatione omnimoda sine murmure, resistentiâ & contradictione, verùm magis cum gratiarum actione, & voce Laudis recipere debemus omne, quod nobis acciderit, ut famem, sitim, paupertatem ignominias, contemptus, & confusiones, omnes defectus, etiam naturales, ut morbos, dolores velut tot salutis nostræ media, imò mortem ipsam, quacunque ex parte, vel quocunque modo illa nobis adveniant. Quod præclarè Salvianus expressit. *Humiles sunt: inquit: hoc volunt; Pauperes sunt, hoc volunt; itaque quidquid acciderit iis, quicunque vere religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quantumlibet aspera nulli Lætiores sunt; quàm qui hoc sunt, quod volunt:* Approbare tertiò debemus omnia, quæcunque in universo accidunt, ut frigus & calorem, grandines & tempestates, famem & bellum. Pacem, & discordiam & hujusmodi, eodem modo, quo Deus illa facit, permittit, immittit, & vult, nullâ factâ divinarum suarum ordinationum inquisitione, aut contradictione excogitatâ vel minimâ. Hoc præstitit Propheta David, ubi ait: *Ut jumentum factus sum apud te.* Et Tres pueri in fornace concinunt: *Benedicite frigus & æstus Domino &c. benedicite glacies, & nives Domino, &c. Discant ergò hanc vocem omnes Ecclesiæ filii, magno pretio redempti, gratis justificati, Pater non mea voluntas, sed tua fiat.*

Salvian. lib. 2. de provid. *Ps.* 72. *v.* 23. *Dan.* 3. 60. & 70. *S. Leo ser. de pass.*

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò: quomodo Salvator & Dominus noster Christus Jesus perfectissimè hanc virtutē exercuerit & practicaverit, ut illum imitareris; in quibuscunq; vitæ suæ eventibus, & incidētibus difficultatibus, contrarietatibus, persecutionibus, passionibus,

Et

Et quibusvis etiam difficillimis & Tœdiosissimis: dum ajebat: *non quæro voluntatem meam; sed voluntatem Ejus; qui misit me. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus; qui misit me. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Et in agonia in horto olivarum! *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.* Non obstantibus cunctis doloribus tormentis, & cruciatibus, nil refert. Ita Christus Jesus, Dominus universorum, erat Patris æterni voluntati conformis, ut ab eâ ne in minimo discreparet, sed perfectè in omnibus illam adimpleret. Compara modò illum tecum: & vide quantum adhuc distes ab hac perfectâ ad divinam voluntatẽ conformitate, quot porrò murmurationes, quot impatientiæ, quot inquietudines, contradictiones, & repugnantiæ in te reperiuntur, dum patiendum, quid difficile subeundum & obediendum est? Confundaris, ita teipsum confundas meritò, quòd tam parum divinæ conformis sis voluntati, & per consequens tam parvo & exili divino feraris & accendaris amore. Coneris tibi verba Salvatoris reddere familiariâ: *Pater: non mea, sed tua voluntas fiat:* ut illis uti queas: dum tibi ad eum imitandum necessariæ erunt, ad Deum Laudandum, glorificandum quàm excellentissimè cum illo poteris. *Hæc enim vox capitis, salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes Martyres coronavit.*

Jo. 5. v. 20. Joh. 4. v. 34. Matt. 11. v. 26. S. Leo. ser. 7. de passione.

MEDITAITO XLI.

Conclusio omnium, quæ usque modò dicta sunt, de charitate.

In quo præcipuè sita sit charitas, & quæ Ejus nota magis infallibilis, & certa.

I. Amor Domini Salvatoris nostri effectibus probatur

II. Hanc proba veritatem.

III. In quo specialiter nostram testari debeamus amorem.

Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me, Joan. 14. v. 2.

PUNCTUM I.

Considera primò juxta, verba hæc præfixa, & omnia quæ jam vidisti, audisti, & examinâsti: quòd verus amor, quo in Deum ferimur & ferri debemus, non consistat in simplicibus desideriis, velleitatibus, & affectionibus cordis & animi, quæ citò æquè & tam facilè provenire queunt ex quadam tenerâ & sensibili complexione, quam ex gratiæ impulsu & motione. In quo plures decipiuntur, & illuduntur: quod præclarè expressit Richard: Dulcis: inquit: *in Deum affectus, quodammodo carnalis est, & fallax, & humanitatis interdum potius, quàm gratiæ, cordis, quàm spiritus sensualitatis, quàm rationis.* Nec verus amor verbis, probatur, quæ in ore hominum sæpè decipiunt & seducuntur depromentia protestationes servitiorum & obse-

Richard. à S. Vict. conc. 6. in Cant.

obsequiorum, amicitiæque certissimas, ut apparet, demonstrationes illis, qui multum sunt indifferentes, & in quos nullâ feruntur affectione, aut intentione minimi exhibendi obsequii. Et hoc more sunt amici, in corde indifferentes: vel etiam inimici: Verùm Nota vera, necessaria & infallibilis amoris Dei sunt opera exhibita. Ob hoc bene S. Bern. *Amor facit operari indesinenter. Dilectio:* ait S. Aug. *Vacare non potest. Nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. Amor operatur magna, & reputat parva, operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, reputat breve.*

S. Greg. hom. 59. in Evang.

S. Thomas opusc. 61.

PVNCTVM II.

CONsidera Secundò quòd quando Salvator de amore Loquitur: nullam illius aliam requirit probam quàm ipsa opera: *Si diligitis me, mandata mea servate: qui non diligit me, sermones meos non servat. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Ipso facto quomodo amavit nos? amavitnè solâ Linguâ & sermone? Verbáne sola Ejus in Nos probârunt dilectionem? quæ non pro nobis fecit? quæ non passus est? Et quæ non nobis donavit? Donavit nobis cœlum, terram, omnia bona naturæ, & gratiæ thesauros, suum corpus, suum sanguinem, animam suam divinitatem, omnia nobis donavit. Eccæ forma, juxta quam illum diligere debemus. *Videndum:* ait S. Aug. *est, quantum dilexit nos Deus: quia proprio Filio suo non pepercit, &c. Et quales nos dilexerit quia injustos, & peccatores. Quantum ergò, ne desperemus: quales ne superbiamus. Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ, pro dilectione (& juxta Sept.) omnem vitam suam in dilectione, quasi nihil despiciet.*

Ioan. 14. 15.

Io. 14. v. 24.

Ioh. 15. v. 14.

S. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 1.

Cant. 3. v. 9.

PVNCTVM III.

COnsidera tertiò: quod etsi debeamus nostrum in Deum amorem, quo illum prosequimur generaliter testari in omnibus nostris operibus magnis, & parvis, sine ullâ exceptione, omnia, ut illi placeamus operando; possumus tamen, & debemus quibusdam in occasionibus particularibus illi particulares demonstrare nostri specialis in eum amoris notas, v. g. patiendo libenter pro ejus amore, quidquid tandem fuerit vel esse potuerit ut contemptus, afflictiones, temporis incommoditates, nostri statûs inconvenientias, onera, & molestias, ut verbum durius, acerbiorem reprehensionem, & hujusmodi: *Charitas enim omnia suffert, omnia sustinet;* Sibi ad virtutem certam acquirendam facere violentiam. Ad alicui periculosæ occasioni resistendum se privare aliquâ voluptatulâ. Ad pauperi subveniendum, illud impendere quod nostris aliâs insumpsissemus recreationibus Hi & similes modi agendi, & se se habendi sunt speciales testificationes; quibus Deo testifi-

1. Cor. 13. v. 7.

ſtificamur; quòd illum in veritate amemus. *Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos, certus ſum*
Rom. 8. 37. & ſeqq. *enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Te nunc ipſum introſpice, ſi hunc verum habeas amorem, ex anima feriò, ejus notas, & judicia vidiſti, quæ alia non ſunt, niſi opera & præceptorum Dei adimpletiones. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione meâ,* Ioh 15. v. 10. *ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.*

MEDITATIO XLII.

De Charitate proximi: Et primò de ejus neceſſitate.

1. Nota præcipua amoris Dei, eſt amor proximi.
II. Hujus præcepti ſpecialis in Evangelio recommendatio.
III. Quomodo illum practicare, & exercere debeamus.

Matt. 22. v. 39. *Secundum autem (præceptum) ſimile eſt huic diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Matt. 22. v. 39.

SAlvator noſter poſtquam expoſuerat primum & maximum mandatum, amandi Deum: Subjungit continuò hoc ſecundum de amore proximi, ut à primo inſeparabile.

PUNCTUM I.

COnſidera primò: quod, cum Charitas ſit virtus, qua inducimur ad amandum Deum ſuper omnia, & proximum noſtrum, ſicut nos ipſos propter Deum; Charitas illa nequit in nobis eſſe perfecta, quin utramque habeamus: Imò non eſt nota certior ad dignoſcendum, quantum quis Deum amet; quàm videndo & animadvertendo quantum amet proximum ſuum: ex eo quod hi duo amores non componant, niſi unum eundem perfectum, & totum adæquatum amorem, unumque & eundem habitum velut duo rivi ex uno fonte profluentes, & velut duo ramuſculi ex eadem radice, & trunco prodeuntes. Una non conſiſtit ſine alterâ: ſemper ſimul eſſe debent pari paſſu procedentes. Ut in ſuâ Canonicâ ait S. Joannes. *Si quis dixerit: quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit mendax eſt.* 1. Io. 4. v. 20. *Sunt duo iſti amores:* inquit S. Gregor. *duæ quædam partes, ſed unum totum eſt ex utriſque compoſitum: duo annuli, ſed catena una, duæ actiones, ſed una virtus, duo opera, ſed una Charitas, duo apud Deum merita, ſed unum ſine alio inveniri impoſſibile eſt.* S. Greg. 7. moral. c. 10. *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.* 1. Pet. 4. v. 8. Unde Chriſtus Salvator, qui venerat mittere ignem in terram. *Mandatum:* inquit: *Novum do vobis ut*

Io.15.v.12. *ut diligatis invicem, ficut dilexi vos. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.*

PUNCTUM II.

COnſidera ſecundò, quòd Dominus noſter Chriſtus Jeſus non contentus Nobis in hoc loco inſinuaſſe, & notam nobis feciſſe obligationem noſtram quam habemus noſtrum proximum amandi ut ſalvemur, per expoſitionem præcepti legis antiquæ; voluit nobis quoque dare in lege novâ novum & expreſſum mandatum. Ioan.15.17. Cùm dixit. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Mando vobis, vos invicem amare.* Ecce termini expreſſi, ex quibus diſcimus quòd charitas mutua ſit nota & character Chriſtiani Ob hoc Io.13.v.15. dicit alibi: *In hoc cognoſcent omnes; quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Hæc duplex charitas eſt velut principalis, & ultima differentia Chriſtianum ab omnibus non Chriſtianis diſtinguens, ita ut ſi eâ quis careat, non Chriſtianus, ſed Chriſtiani duntaxat umbra eſt. Ideò Chriſtus mandatum novum dedit, quod tenentes & ſervantes Chriſtiani veri eſſemus. S. Aug. tract. 38. in Ioan. *Hæc autem mandati,* inquit S. Aug. *repetitio mandati commendatio eſt. Edictum dulce, ſuave præceptum,* Ad Galat. 5. v.14. ait S. Bern. *Omnis Lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut teipſum.* S. Aug. tract. 5. in 1. Epiſt. Ioann. *Dicis: te diligere Chriſtum: ſi fratrem non diligis, quomodo eum diligis, cujus mandatum contemnis?*

PUNCTUM III.

COnſidera tertiò: hujus ut virtutis praxim debitè habeas, triplici modo poſſe nos proximum noſtrum diligere & amare. Primò amari proximus poteſt; quia creatus eſt ad gloriam, & ſervitium Dei, & quia creatura & opus Dei eſt. *Non enim:* inquit S. Thomas: *per charitatē diligimus in proximo, niſi Deum.* Secundò amari poteſt & debet: quia eſt imago Dei, in quâ ex conſequenti Deus reperitur & repræſentatur. Tertiò amari debet proximus: quia Deus illum amat infinitè amore infinito, volens ab omnibus ſic amari. Hiſce tribus modis præcipit nobis Deus proximum noſtrum amare; Deum, & intereſſe Dei intuendo in illo continuo. *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli.* S. Aug. tract. 1. in 1. Ioann. Hiſcene modis, Hiſcene reſpectibus ad Deum amâſti huc uſque proximum tuum, an ſolùm propter ſuas perfectiones naturales, quæ illum tibi reddunt amabilem? 1 Io.3.v.10. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli: Hæc ſola Charitas eſt, quâ amamus proximum* noſtrum in Deo, quaque ſeparantur, & diſcernuntur filii Dei & filii diaboli: *Nos ſcimus,* ait S. Joan. 1. Ioan. 3. 14. & plura c. 4. Ejuſdem Epiſt. *quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres, qui non diligit, manet in morte.* Sæpe recogita & nunquam hæc ex Joan: ad fideles verba, tibi excidant. *Filioli diligite alterutrum; Quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolùm fiat, ſufficit & ſatis eſt.*

MEDITATIO XLIII.

Quòd inimicos nostros amare debeamus.

I. Proprietas est Christiani suos inimicos diligere.
II. Hoc ipsum docuit nos Salvator verbo, & exemplo.
III. Motiva ad hoc nos moventia.

Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, Matth. 5. v. 44.

NOn Consilium sed præceptum ad Salutem Necessarium, hoc passu, à Christo domino nostro nobis traditum est.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: quod sit Christiani hominis proprietas, inimicos suos diligere, & benefacere qui oderunt se, & à quibus malum recipiunt. *Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.* (Tertull. cap. 1. ad Scap.) In illo situs est verus spiritus novæ legis, quam profitetur, qui est gratia & amor. Eam, ob causam Dei Filius discipulis, qui volebant ut se de Samaritanis vindicaret; qui recusabant illi ingressum in suas Civitates, faceretque descendere ignem de cœlo ad sumendam de illis vindictam, dicebat *nescitis, cujus spiritus estis.* (Lucæ 9. v. 55.) *Dominus in Evangelio*, ait S. Aug. *ut inimicos diligere debeamus: non dedit Consilium: sed præceptum. Iubemur inimicos diligere, ut hæc sit propria, & perfecta bonitas nostra, non communis: Amicos enim diligere, &c.* (S. Aug. serm. 593. de Tem.) *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: Sed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis; ut benedictionem hæreditate possideatis*, (1. Pet. 3. v. 9.) & Apostolus *benedicite:* inquit: *persequentibus vos.* Ac si dicere vellet; vivitis jam si sub lege amoris, non odii, sub lege dulcedinis & mansuetudinis, non rigoris & asperitatis, & sub legè gratiæ, non pœnæ, omnia in Charitate, mansuetudine & gratiâ vobis peragenda sunt, omnis rancoris, odii & asperitatis, secluso indicio vel minimo. Animadverte paululum, quo spiritu movearis? an non adhuc ducaris spiritu legis antiquæ & servitutis quia Christianissimi & Christianorum spiritus est spiritus amoris in omnes homines. *Christianus porrò* Teste Tertulliano: *nullius est hostis.*

PUNCTUM II.

COnsidera secundò Salvatorem nostrum nō hoc duntaxat nos verbo docuisse verùm etiam ipsa praxi, vita & exemplo totiusque sui hac in mortalitate, incolatus decursu perfectissimè expressisse. Ita ut dici queat veridicè; quod tota ejus vita non fuerit nisi continuum exercitium amoris inimicorum suorum, morsque ejus unicum, efficax & acceptabile sacrificium velut unicum remedium peccatorum illorum

rum deletivum, & vitæ illis collativum, qui eum morti tradebant. *Qui, cum maledicerctur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur,* unde S.Amb. *Cum posset,* ait: *ulcisci maluit immolari. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filii ejus.* Quæ & qualis non lectio facta est Christianis omnibus; videre Deum, qui unice sui oris sacratissimi halitu, aut intuitu vel minimo ocelli poterat omnes suos persecutores & inimicos, velut fulmine dejectos perdere, exterminare & omninò annihilare, ne quidem inter tanta sibi injustissimè illata tormenta injurias & cruciatus, uti minis: *Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus: qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè.*

1.Pet.2.23.

1.Pet.2.v.23.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, quòd nulla actio nobilior excellentior, Deo acceptior & magis meritoria in toto Christianismo sit quàm illa, quâ diliguntur inimici. Quia nulla est reperibilis alia, in quâ natura sibi minus attribuat aut attribuere possit, nec ex consequenti in qua amor purior inveniatur puro justitiæ affectu directus: omnis commodi affectione rejectâ. Ex quo provenit; quòd reddit dignos nos magis, & capaces miserationis divinæ & cœlestis gratiæ, quàm ulla alia. *In quâ enim mensurâ mensuraveritis, remetietur vobis.* Expressè porrò adhuc alibi ait Salvator: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt. Magni animi est injurias despicere, multi lenes injurias altiùs demisere, dum vindicant: ille magnus & nobilis est, qui, more magnæ feræ, latratus minutorum canum securus exaudit.* Et Dominus Noster Christus Jesus. *Si diligitis, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* Ex quo bene S.Aug. concludens: *Aliud majus sacrificium non est*: ait: *quidquid debemus Deo, nisi quidquid bonum est, etiam malis hominibus fecerimus.* Et præclarè alibi: *Homo hominem vincit humanâ felicitate, Diabolum autem vincit inimici dilectione.* Plura ut convincaris, requiris? non putas, ad quemlibet movendum, cordis etiam adamantini, hæc sufficere? Consilium Salvatoris non foret sufficiens? At mandatum Domini est. Huic repugnare audebis? Honor, Laus, & meritum ex dilectione inimici provenientia, non erunt motiva sufficientia te, ut ad dilectionis inimicorum praxin inducant, & permoveant? Adjicias adhuc ultimum repromissiones in Domino verbis subjunctis à Magistro veritatis expressas: *Vt sitis:* inquit: *Filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

Matt.7.v.22.

Luc.6.v.32.

Senec. Lib. de ira.

Matth.5.v.46.

S.Aug. lib. 50.hom.6.

S. Aug. in Psal.14.

Matth.5.v.45.

MEDITATIO XLIV.

Quomodo intelligendũ mandatum de dilectione inimici, & quomodo nos obliget.

I. Mandatum de dilectione Inimici in quatuor consistit.

II. Horum dedit nobis Salvator noster exemplum.

Diligite inimicos vestros , & eritis filii Altissimi, Luc.6.v.38.

VIs infallibilem virtutis in te notam ostendere? hanc manifestius in imitatione bonitatis divinæ manifestabis, reddendo bonum pro malo inimicis tuis, & vincendo in bono malum.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Hoc de dilectione inimicorum mandatum obligare primò, ne oderimus eos, qui oderunt nos, illis reddentes malum pro malo, Apostolico acquiescentes, Consilio, *nulli malum pro malo reddentes.* Rom.12.v.17. Secundò: ut nullum illis exterius malevolentiæ & nostræ in illos indignationis ostendamus indicium Ecclesiastico consentientes: *Omnis injuriæ,* ait: *proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ.* Eccl.10.v.6 Tertiò: hoc mandatum obligat ad inimicos non excludendos ab orationibus nostris, ab eleemosynis, & ab aliis benevolentiæ testificationibus, omnibus communiter reddendis, verùm magis ad illas generali charitatis, benevolentiæ, & benignitatis vinculo nobis astringendos. Alterum, ad quod quartò nos obligat hoc mandatum, est ad ignoscendum omnes, nobis injurias factas, sine quo nullã nostrorum reatuum sperare debemus, aut possumus veniam à divinâ bonitate. Evangelio id expresse docente: *Dimittite & dimittemini.* Luca 6 37. Unde bene S. Aug. *qui ergò bene vult inimico suo, Deo similis est.* S. Aug. serm. 2 in Ps.70. *Si gavisus sum ad ruinam ejus:* ait B. Job: *qui me oderat & exultavi quòd invenisset eum malum; non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.* Iob.31. v 29. Et Sapiens? *qui in ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus.* Prov.17.5. Ad quod hortatur apertiùs Apostolus: *Donantes autem invicem:* inquit: *Sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Ephes.2.v.34. Huic subscribens S. Aug. *quem vis contemnere:* ait: *pretium ejus attende, & cum morte Christi totum mundum appende.* S. Aug. de Verb. Dei. Confirmat Christus in Evangelio: *Si offers:* inquit: *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris; quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matt.5.v.23 & 24. Hæc unica est conditio, quâ quotidie petimus nobis à domino dimitti. Et hoc verè, etiamsi inimicus noster nullo modo meretur, Christo tamen illud concedere deberemus, qui illud multis modis meritus est de nobis, & qui in pluribus

bus ac incomparabiliter in majoribus nobis donavit: qui id à nobis petit; id nobis præcipit, id expectat à nobis: ut dimittamus non ore tantum, & apparenter; sed corde, animo & affectu, *de cordibus vestris*: ait Scriptura: Et non duntaxat primâ & alterâ vice, quibus quis offendit, sed *usque septuagesies sexties*. Hoc est, S. Augustino teste, toties, quoties te offendet. Ad hoc præceptum illud nos obligat nostris reconciliare inimicis eò usque, eaque conditione, ut Salvator nostra rejiciat munera, si primò non fuerimus nostris reconciliati inimicis, illisque concorditer vivamus in uno sensu vocationis nostræ, quâ illi placentes perseveremus usque in finem. Verùm hic amor inimicorum nobis præceptus ulteriùs tendit, vult non duntaxat reconciliemur inimicis, at ut & illis benefaciamus, in suis subveniamus necessitatibus, periculis, & afflictionibus.
Rom. 12. v. 20. *Si esurit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus, & Dominus reddet tibi.*

PUNCTUM II.

CONsidera secundò: in hoc passu, ùt in omni alio Dominus noster Jesus Christus nihil nobis præcipit quod ipse priùs non exercuerit & practicaverit. Pendens in cruce in suis summis doloribus & vehementissimis Cruciatibus; primam, quam emisit vocem, non fuit se de suis vindicandi inimicis, vel illis ut comminaretur, verùm ut illis, licet indignissimis veniam impetraret & misericordiam, ad hoc adducens rationes, illos excusabiles reddentes; *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*. Et Propheta hoc prævidens dicebat: *Et pro transgressoribus rogavit.* Luca 23. v. 34.
Et apposite S. Bern. *flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis Confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor: Ignosce, ait, illis, quia nesciunt quid faciunt.* O verbum: inquit S. Anselm. *magnæ patientiæ, magnæ dulcedinis, magni amoris, & inenarrabilis Charitatis.* Vide nunc, & seriò animadverte: an eâ te ratione erga inimicos habueris? Illis si non feceris aut optaveris malum? Si illos non odio prosecutus fueris? Si te cum illis reconciliaveris? Si illis tuleris auxilium, illud non denegaveris? quod impendere potuisti? rumina bene id, quod in dies non unâ repetis, dicis, & oras vice, *dimitte nobis &c. Sicut & nos dimittimus*. Examina bene per Ly, *Sicut*: quid à Deo petas, quid & quomodo requiras: Hoc est, ac si diceres, si non dimitto, mihi non dimittas, Rogo, ut non mihi magis dimittas, quam ego dimitto inimicis meis. Hæc conditio est, quam tuæ inseris orationi illam modificans petendo, tibi fieri, quod tuis vis fieri inimicis. Fac ergò primò inimicis tuis & proximis, quod tibi à Deo fieri desideras

Isaia 53. v. 12. S. Bern. ser. 4. de pass. S. Anselm. de passione.

S. Aug. Enchirid. 19. Matt. 6. v. 15. *ut tam magnum tonitru*, ait S. Aug. *qui qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Si enim non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

MEDITATIO XLV.

Quomodo, & quantum proximum amare nos oporteat.

I. Quis sit noster proximus?

II. Duæ dimensiones ad amandum proximum; prima est, sic ut nos ipsos illum amare.

III. Altera quomodo Salvator, & Dominus noster nos amavit.

Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate, 2. Joan, 3. v. 18.

FIlioli mei, *discipuli mei, amantissimi, non amemus verbo, ceremoniâ exteriori deceptiva & fallaci, sed interiori affectu, & effectu exteriori.*

PUNCTUM I.

COnsidera primò: per proximum nostrum intelliguntur omnes generaliter homines, nullo excluso, prout Salvator Noster in Parabolâ, Samaritani declaravit apud S. Lucam. Et apud S. Matth. Matth. 23. 8. & 9. *Unus est:* ait, *Pater vester, omnes autem vos fratres estis.* Si omnes homines sint, fratres nostri, Inde sequitur, quod sint proximi nostri, nos proximè attingentes.

PUNCTUM II.

COnsidera, quod Salvator noster, nos ut informaret; quantum nostrum proximum diligere debeamus duplicem nobis dat dimensionem seu mensuram. Prima est, illum ut amemus sicut nos ipsos: *diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Matth. 21. v. 39. Hoc est illum amare primò, propter Deum. Secundò illum non amare, ob nostrum commodum, utilitatem, oblectationem, & voluptatem: Sed ob ejus bonum, & bonum ejus æternum: illud ei exoptantes & procurantes quantum est in nobis: quia proximo desiderare sanitatem, honores, bona temporalia, non relativè ad ejus salutem, non est, illum amare Christianâ charitate & Deo placente, sed amore naturali & humanâ. *Quid homini homine propinquius*, ait S. Aug. *Non est ulla cogitanda longinquitas generis, ubi est natura communis. Omnes proximi sumus conditione terrenæ nativitatis, & spe cælestis hæreditatis.* S. Aug. de moribus Eccles. c. 26. Et in Psal. 118. *Quod agis tecum, id agendum cum proximo est: Hoc est, ut etiam perfecto amore diligas eum: non enim diligis tanquam teipsum; si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis.* Idem Serm. de Temp. 19. Eccles. c. 26. *Maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo, quantum eum diligat Deus;* Idem de Mor. *& ideò cognosceret ut in ejus dilectionem, à quo priore dilectus est, inardesceret; proximumque, illo jubente & demonstrante, diligeret:* S. Aug. de Catechis. Rud. c. 4. Ex his conclude quàm pauci sint veri Christiani, cùm sit illorum numerus tam exilis; qui illo amore puro & ad vitam æternam suos diligant proximos. Quo amore tu eos diligis? Hoc maturè ponderare debes.

PUN-

PUNCTUM III.

COnsidera quod secunda dimensio seu mensura; quam nobis Christus Redemptor noster ordinavit in amore proximi; est illum amare, sicut Christus dilexit nos; *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* (Ioan. 13. 34.) At quomodo Christus amavit nos? Certum est, illum non amasse nos propter ullam qualitatem seu perfectionem Corporis aut animæ, nec propter ullam dignitatem, eminentiam, aut sublimitatem, quam habeamus, vel habere possumus in mundo; Verùm solùm in DEO & propter Deum pro gloria Dei, & pro nostra salute. Et amavit nos, non obstantibus nostris defectibus, vitiis, peccatis, & sceleribus, eo usq; ut amore nostri mortem subierit & mortem crucis ignominiosissimam. *Vix enim pro justo quis moritur:* (Rom. 5.) Ecce sicut Christianus suum proximum amare debet. Itane facis? Annon ideò illum amas, quia sanguine junctus, quia affinitate copulatus, quia Patriæ ejusdem civitatis aut oppidi; Quia te obligavit, tibi bene fecit, quia ingenij boni & indolis, quia Conversationis gratæ & tibi commodæ? Hic amor non est propriè Christianus amor, amori Christi Jesu conformis. Eum porrò iisdem de causis amares, licet fores Turca, Judæus, aut Ethnicus. Ea de causa te bene & seriosè super hoc examina tuasque intentiones, desideria, & affectiones purifica. Et animadverte usque ad quem gradum amor proximi inter Christianos pertingat. Te ut excites ad proximandum, & illum amoris Christiani gradum assequendum, ut dicere possis cum Apostolo. *Ego libentissimè, impendam, & impendar ipse pro animabus vestris.* (2. Cor. 12. v. 15.) Libenter omnia mea impendam & vitam ipsam propter Deum & propter bonum & salutem animarum vestrarum. *In hoc cognovimus charitatem Dei:* ait dilectus Christi discipulus: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* (1. Ioan. 3. 16.) Ob quod consecutivè concludit ad Christi imitationem: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Majorem, hâc, dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro animis suis.* (Ioan. 15. 13.)

MEDITATIO XLVI.

In quo exercere debeamus charitatem proximi.

I. Charitas proximi regnare debet in intellectu nostro, in voluntate, in ore, & in manibus.

II. Quæ sint præcipua charitatis opera.

III. Meritum harum actionum.

Omnia quæcunq; vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, Matth. 7. v. 12.

Omnia servitia, gratias, & auxilia quæ vobis fieri ab hominibus desideratis in vestris necessitatibus spiritualibus & temporalibus, illis referre vobis est necesse, Hæc est enim proximi tota dilectio S. Prosper. lib. 3. de vita. contempt. cap. 15.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, descendens & accedens particulariùs ad particulariores charitatis proximi operationes & functiones; Quod hæc charitas re-

 gnare

gnare debet in voluntate, omnes invidiæ motus supprimens, & omninò annihilans. In Intellectu dominetur, omnes sinistras de proximo cogitationes opiniones & judicia temeraria suffocans & repellens, regnet & in ore præscindēs omnia verba aspera, injurias omnes, omnes irrisiones, detractationes & qualescunq; sermones à rectitudine justitiæ deflectentes. Manus retrahere debet ab omni mala actione, & opere injusto; illas dirigens ad omnia charitatis opera proximo exhibenda eo modo; quo nobis ab aliis exhiberi vel-
1 Pet. 4. 8. lemus. Hoc sensu *Charitas verè ope-*
Rom. 15. 10. *rit multitudinem peccatorum proximi,*
1. Cor. 13. & præcavendo peccatum; *Dilectio proximi malum non operatur. Charitas non*
Aug. in Ps. 147. *agit perperàm. Charitas non se multùm dolet errare; cùm bene credit etiam de*
Prov. 33 18 *malo.* Unde sapiens: *Justi*: inquit: *Misericordes sunt, & miserentur*: ob hoc S. Job, qui ab infātia Cultor fuit justitiæ confidenter loquens ait: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ Egressa est mecum.* Ad hanc omnes excitat & hortatur Apostolus:
Col. 3. 12. *Induite vos sicut electi, sancti & dilecti, viscera misericordiæ & benignitatis, humilitatem, &c.*

PUNCTUM II.

Considera secundo, quòd inter opera misericordiæ & benignitatis tria vel quatuor Christianis maximè recommendentur & inculcentur, ut captivos, & in carceribus detentos, visitare, infirmos & mœstos consolari, elargiri Eleemosynas, hospitalitatem exercere. Quæ certis casibus sunt de necessitate salutis. Hiscene charitatis es addictus operibus? Necessitatibus ne sanctorum communicas, Apostoli monito acquiescens? *Necessitatibus*, ait, Rom. 2. 10.
Sanctorum communicantes, non potes quandoque infirmos captivos & carceribus detentos visitare? Dasne Eleemosynas, quantum tuæ ferunt & permittunt facultates? Vel saltem ex tuis superfluis mandato Domini obediens? *Quod superest date Eleemosynam*? Si id ex defectu sufficientis notitiæ horum operum meriti facias: Audi verbum Domini, quid te de hoc doceat.
Date, inquit: *Eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis. Amen dico vobis* Luc. 18. 41.
quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit? miserat tantùm duo minuta, in Gazophylacium. Matth. 13. 4.

PUNCTUM III.

Considera quod omne quod dederis feceris que pauperibus Dominus & Salvatur noster factum reputet sibi ipsi. *Amen dico vobis, quamdiu* Matth. 25. v. 40.
fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quia CHRISTUS JESUS in pauperibus est, ut in suis membris, atque ita dum pauper porrigit tibi manum; Ipsemet CHRISTUS porrigit tibi manum, petens in paupere à te eleemosynam ore proprio te rogat, illi das & illi recusas: quod maximè movere debet, quemlibet Christianum ad eleemosynas. Secundò meritum horum operum exci-

tari imprimis debet; ita quòd videatur Dominum & Salvatorem nostrum nulli suum dare debere paradisum; Quam illis tantùm, qui exercuisse opera misericordiæ inventi fuerint. Iustis porrò in die judicii dicet: *Venite benedicti Patris mei, esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Malis autem & injustis dicet, *discedite à me maledicti, &c: Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Minimum horum operum illi ita est cordi, quod calix aquæ frigidæ, & panis bucella sua non sit caritura remuneratione. *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli. Amen dico vobis non perdet mercedem suam.*

Matth. 25. v. 34.

Matth. 6. v. 42.

MEDITATIO XLVII.

Defectus Charitatis proximi, eiusque defectuum supportatio.

I. Quid Apostolus intelligat hisce verbis: Alter alterius onera portate.

II. Rationes inducentes ad proximi defectus supportandos.

III. In quo supportatio hæc sita sit.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem CHRISTI, Galat. 6. v. 2.

PUNCTUM I.

Considera primo quid Apostolus per onera hæc intelligat: Intelligit Apostolus per hæc onera nostros mores malos, inclinationes & consuetudines pravas, antipathias nostras, nostros morbos, passiones nostras, vitia & peccata nostra; quæ nobis supportanda sunt invicem, ait: si legem Christi adimplere velimus. Quæ lex charitatis est, de qua ante meminimus. *Charitas patiens est qui portant invicem onera sua nisi qui habent charitatem? Qui non habent charitatem graves sunt sibi, qui autem habent, portant se.* Ipso facto, quo quis quempiam plùs amat, plùs illum supportat; Et è converso quo minus amatur, eo minus supportatur, charitas & patientia cohabitant, ut impatientia & odium.

1. Cor. 13. 4.

S. Aug. in Psal. 12.

PUNCTUM II.

Considera secundo, rationes inducentes nos ad supportanda proximi nostri onera, defectus & vitia. Prima est considerare, neminem inveniri in hoc mundo perfectum, ex omni parte beatum, in quo nihil reprehensibile inveniatur, & in quo consequenter non sit quicpiam culpandum supportandum & patiendum. Hoc divino convincitur eloquio. *Si dixerimus*, inquit discipulus quem diligebat Jesus: *Quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et ipsa veritas CHRISTUS. *Quid vides inquit: festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.*

1. Ioan. 1. 8.

Matth. 7. 3.

Secunda, est Salvatoris exemplum continuò ob oculos habere. Considerare accuratiùs, quâ charitate, & compassione infirmitates, defectus, & imperfectiones eorum supportaverit; Qui cum illo conversabantur, & agebant: Quo modo ignorantiæ eorum compatiens illos instruxerit, asperitatem mitigaverit: infidelitatem & ruditatem Apostolorum dissimulaverit, Judæ malitiam & proditionē passus fuerit. Quam, etsi clarè & infallibiliter cognoverit, eum tamen Apostolum dignitate non privârit, illi vultum ob hoc nunquam torvum ostenderit, verbum asperum aut iracundum illi non dederit: Verùm illum in sua admittens mensa ut amicū receperit, quod S. Cyprian: pulchrè expressit. *In Judæis tolerandis æquanimitas ait: quanta & quanta patientia. Incredulos suadendo ad fidem flectere, obsequio ingratos fovere. Contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, &c. Judam potuit longâ patientiâ ad extremum sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palàm ostendere. Proditoris osculum non recusare.* Verùm à te ipso, & habitatione tua non recedens; quot peccata, quot imperfectiones, quot malitias, quot à recto, & vero deviationes, quot negligentias & à bono defectiones; quot in verba malitiæ declinationes, & in peccatis pati eum à te oportet excusationes? Rigidior & asperior ne eris erga proximum, quàm Deus ergà te sit? Audi, quid tibi & omnibus veritas per Apostolum loquatur. *Estote autem*: ait: *invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut Deus in Christo donavit vobis*: *Deus autem in Christo nobis donavit omnia*, ergò & nos proximo donare omnia debemus.

S. Cyprian. lib. de bona patient.

Eph. 4. v 34.

PUNCTUM III.

Considera tertio in quo potissimè sita sit supportatio hæc proximi: Hæc consistit in supportandis cum patientia, & benignitate iis, qui variis imperfectonibus & spiritualibus & corporalibus subjecti sunt; Eos non rejicientes à nobis, non exacerbantes mores eorum, eorum importunitates, petitiones illorum indiscretas humaniter audientes, responsiones impertinentes eorum nō aspernantes; illorum agendi modos indiscretos & inciviles libenter patientes, & in his omnibus illos magnis non objurgare clamoribus; aut reprehensionibus contristare, verùm magis magna animi tranquillitate & affabilitate eos audire, illis respondere cum suavitate, cum benignitate succurrere, oculo compassionis hosce omnes defectus intueri, velut inseparabiles nostræ miseræ naturæ hæreditates, subjecta ac materias patientiæ, & occasiones meritorum. Hoc magno ad precabatur suis Romanis Apostolus affectu. *Deus autem* inquit: *Patientiæ, & solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundùm Jesum Christum; ut unanimes uno ore honorificetis Deum*, illo ergò modo nobis ordinat præscribit, & statuit Apostolus pati à proximo nostro. *Cum omni* inquit: *humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate.* *Eph. 4. 2.*

MEDITA-

MEDITATIO.

De virtutibus in octo beatitudinibus recommendatis; & de modo; quo Christianos obligant.

I. Cur Dominus, & salvator noster suam incipit prędicationem per beatitudines.

II. Viæ diversæ, quibus homines eam assequuntur.

III. In quo sita sit harum virtutum felicitas.

Elevatis Jesus oculis in discipulos suos, & aperiens os suum dicebat: Beati pauperes, Beati mites &c. Luc. 6. v. 20. Matth 5. v. 2. & seqq. *DEI filius volens suum promulgare Evangelium suos initio docet, & instruit discipulos huius vitæ beatitudinem non sitam esse in eo, in quo maxima mundi pars desipiens consistere putat. Illum audite, cum sit veritas ipsa quæ loquitur.*

PUNCTUM I.

Considera primo; quod non sine causa urgentissima Dominus & Salvator noster suam incipit primam, & excellentissimam prædicationem per beatitudinem, innotescere faciens, in quo illa, hac in vita, sita est; ex eo quod in mundo sit reperibilis nemo; qui non desideret esse beatum, aut in alium operetur finem. *Quis enim unquam:* inquit S. Aug. *Vel potest, vel potuit inveniri; qui esse nolit beatus? Nam quisquis Libidinibus deditus, luxuriâ stuprisq; corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit, & se miserum putat, cum ad suæ concupiscentiæ voluptatem non pervenit. Et quisquis avaritiæ facibus inardescit, ad hoc congregat quocunque modo divitias, ut beatus sit.* Hoc redarguens idem S. Aug. *beatam:* inquit, *vitam quæritis in regione mortis, non est illic; quomodo enim beata vita ubi nec vita? Omnes quidem beatitudinem concupiscunt; sed quomodo ad eam perveniatur plurimi nescunt.* Cor tuum interroga, cur rem unam concupiscit; alteram refugit, an non ob hoc duntaxat est, suum ut inveniat bonum, requiem habeat, & beatus sit, omni fugato sibi adversante & contrario?

S. Aug. in Psal. 18.

S. Aug. l. 4. Confess. c. 31.

PUNCTUM II.

Considera secundo, hæc unde proveniat infelicitas, quod etsi beatitudinis desiderium omnibus sit hominibus naturale, ipsis à natura inditum, & vias nihilominus ita inter se diffidentes eo pertingendi teneant? Quidam porrò ita honoribus inhiant acquirendis; ut iis propriam sacrificent quietem. Alij hisce omninò spretis honoribus, deliciis & voluptatibus solùm delectantur; Alij student duntaxat divitiis acquirendis congregandis conservandis, & sine intermissione augmentandis. Cæteri solum sibi in magnis placentes expensis & largitionibus prodigalibus gloriantur tantùm bonorum profusionibus. Sola ratio tantæ diversitatis est; quod non audiatur veritas, Magister verus nō recipiatur, verùm creduntur, suscipiuntur & consuluntur alii prorsus Magistri; quàm Jesus Christus. Mundus & concupiscentia ita præveniunt

& præoccupant animum & mentem nostram; quod incapaces simus illum audire, qui solus est Magister, solus dator, & sola vera via nobis data; quâ ad veram beatitudinem tutè & infallibiliter pertingimus, purifica mentem tuam, animum examina, voluntatem considera, esnè exemptus & liber ab hujusmodi perversis magistris dicere intendo à maximis; principiis & doctrinis vanis & falsis mundi, ut intendere liberè possis veris & sanis doctrinis ex sacratissimo ore Domini & Salvatoris nostri Christi Jesu procedentibus, in quibus vera sita est beatitudo.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò quod Dominus Jesus salvator noster nobis dicens. *Beati pauperes, &c. Beati mites, &c.* docet nos, & nobis sole clariùs innotescere facit: quod omnis vitæ hujus felicitas tota constituta sit in spe vitæ melioris. Cùm omnis ratio, & causa beatitudinis, quam adducit, sit; quod illorum erit regnum cœlorum, quod consolabuntur, quod Deum videbunt, &c. Quæ omnia principaliter futurum respiciunt, & ventura promittunt; ita ut quis mirari non debeat, si id quod Christus Jesus nobis promittit & proponit ut fortunam bonam & felicitatem, potiùs appareat infelicitas in oculis hominum, qui solùm præsentem hanc vitam considerant, quæ, cùm non sit nisi miseria, & afflictio Spiritus, nequit felices nos efficere, nisi cooperando & conducendo ad acquisitionem vitæ alterius, quæ æterna erit, omnes miseriæ & mali ignara cunctis cumulata bonis. Incipe ergò nunc ulteriùs non decipi, ulteriùs non seduci, verùm credere debes, quod in hoc mundo felix sit nemo nisi quem Christus Jesus talem appellavit nisi cui ipse illud nomen imposuit, qui solus novit in quo hæc sita sit, beatitudo, hujus pariter & æternæ vitæ. Ita ut cogitare debeat nemo illam in divitiis, voluptatibus, deliciis & honoribus posse invenire, verùm solam in pœnis, in laboribus in pœnitentiis, & mortificationibus, in quantum hęc sunt dispositiones, media, & viæ attingendæ suo tempore & in die æternitatis sempiternæ felicitatis. Prout suis nos instruxit verbis & præivit exemplis. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Psal. 143. 15. Mundani, mundanis allecti, & illecti illecebris felices reputant hos, qui hæc terrena, transitoria, & apparentia bona possident. At re ipsa, ipso facto decipiuntur illuduntur, & seducuntur, pura porrò his deceptio, seductio, & infelicitas vanæ felicitatis adumbratione contegitur. Quia felices nulli sunt, nisi quos filius Dei tales nominat & effatur, Cujusmodi sunt pauperes, spiritu mites, misericordes, & quis Meditationes subsequentes proponet spectandas & imitandas. *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Psal. 143. 15.

MEDITATIO XLIX.

De paupertate Spiritus.

Prima beatitudo.

I. Triplex paupertas,

2. Sola

II. Sola paupertas Spiritûs commendatur.

III. Notæ, quibus innotescit, quis hanc habeat.

Beati pauperes Spiritu, Matth. 5. v. 6. Animadverte, & observa, oppositionem formalem inter Christi Jesu maximas, & principia & mundi maximas, ac fundamenta, quæ ex adverso clamant, quod divites sint felices.

PVNCTVM I.

COnsidera primò, quod paupertas triplex sit, prima est eorum, qui ipso facto & actu pauperes sunt, affectu desiderio & voluntate divites, cujusmodi multi inveniuntur. Altera, est illorum, qui effectu divites sunt, affectu pauperes. Quales fuerunt Patriarchæ & sancti multi. Tertia paupertas eorum est, qui sunt pauperes affectu & effectu sive divina providentia, sive electione propria ad hanc sint redacti paupertatem.

PVNCTVM II.

COnsidera secundò, quod ex hoc triplici paupertatis statu, ultimæ duæ duntaxat paupertatis sectatores partem in regno cœlorum invenient, quia prima paupertas, pœnam duntaxat tolerans pauperum, maledictionem divitum, solummodo pro sua portione & hæreditate obtinebit. Et adhuc inter ultimas duas nulla obligatio seu mandatum, reperitur nisi in secunda & ultima, sita in interiori denudatione omnis affectionis ad bona seu divitias, orta ex libero actu voluntatis, se ad hoc astringentis, ea de causa paupertas Spiritus nuncupata. Ex eo quod nos obliget non habere affectum ad divitias, nec divitias in affectu tenere. Hinc S. Bern. *Non simpliciter pauperes nominat propter plebeos pauperes necessitate miserabili; non laudabili voluntate: Non tibi prodest, si eges facultate,* ait S. Aug. *& ardes cupiditate: non enim quibuscunque pauperibus regnum cœlorum promittitur, sed iis tantummodo in quibus divitiarum inopiam animi humilitas comitatur. Pauper enim humilis pauper Spiritu appellatur. Qui cùm egenis foris cernitur nunquam intus per superbiam elevatur: quoniam ad obtinenda regna cœlorum plùs valet mentis humilitas, quàm præsentium divitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui divitias bene possessas habent, possunt pauperes spiritu appellari. Animadvertis ne hoc, ut fidei articulum impossibile esse; ut quispiam salvetur,* nisi fuerit pauper Spiritu? ne tibi inopiam blandiaris, teipsum probes; hanc an habeas fidem. Hanc porrò ut habeas, nõ sufficit verbis credere, sed oportet & explicationem & sensum genuinum mente tenere, alias in principiis & maximis moralibus Christianæ doctrinæ, similis eris Arianis qui in fide Mysterijs Sanctissimæ Trinitatis, admittebant verba, quibus Scriptura hoc Sanctissimum Mysterium exprimebat; mente verò sensum tenebant contrarium, verba & verborum significatum omninò destruentem.

S. Bern. Sermon. Fest. omnium SS.

S. Aug. in Psal. 12.

PVN-

PVNCTVM III.

COnsidera tertiò; quid signa, notæ, & indicia, ex quibus elucescat, an quis hanc habeat internam ab omnibus bonis terrenis & divitiis animi exemptionem, & hanc veram spiritus paupertatem; ad quam omnes obligantur Christiani; sunt. Primo semper plùs paupertatē quàm divitias æstimare. Idque ob respectum, & honorem, quem verbo, & doctrinæ Salvatoris & Domini nostri Christi Jesu debemus. *Beati ergò pauperes spiritu suo, divites Spiritu Dei.* S. Aug: in Psal. 141. *Vosmetipsos,* ait Apostolus: *tentate si estis in fide ipsi vos probate.* Secundo, semper angi & timere habere potiùs nos, plura bona, ob quæ nos Deo & hominibus debitores constituimur quàm pauciora; quæ natura desideret. Unde Apostolus suum monens discipulum. *Divitibus hujus sæculi:* inquit: *Præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarū; sed in Deo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.* Cui sapiens subsignans ait: *noli Laborare, ut diteris; sed prudentiæ tuæ pone modum.* Tertio non plùs desiderare quàm rationabilis necessitas requirit. *Homo porrò qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit: cum enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit, sed cum subtrahuntur, agnoscitur, utrum eum nō cœperunt; quia plerunque, cum adsunt nobis, putamus quod non ea diligamus, sed cum abesse cœperint, invenimus, qui simus: hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit.* Quarto tandem, si quis sit intentionis illorū Christum in personis pauperum participem facere, semper perseverans in illa dispositione vel omnia perdendi, juxta divinum beneplacitum, vel omnino relinquendi, discipulus ut sit illius magistri; qui dicit: *Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.* Hæc verba bene pondera: quia vel omnium bonorum affectioni renunciandum; vel discipulatus Christi Jesu honori. Elige quod placet illa non stant simul. *Affatim dives est:* ait S. Hieronym: *qui cum Christo pauper est. Divites sumus satis,* ait quidam magnus Sanctus, si Christum Jesum possideamus. Divitiæ meæ Christus est: inquit S. Ludovicus Archiepiscopus Tolosanus.

2. Cor. 13. v. 3. — 1. Tim. 6. 17. — Proverb. 23. v. 3. — S. Aug. de Vit. Rel. c. 47 — Luca 14. 33.

MEDITATIO I.

De remuneratione & merito paupertatis vitæ hujus.

I. Remuneratio paupertatis.
II. Ejus magnitudo.
III. Exemplum Domini & Salvatoris nostri Dei nobis est ad hanc præcipuum motivum.

Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei, Luc. 6. v. 21.

PRiusquam ulterius procedas actum fidei firmū circa hanc elice veritatem, & conare omnino convincere, cū tibi non magis de hac veritate dubitare permittatur, quàm de Mysteriis Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis. Unde S. Bern. huic veritati adhærens firmissimę. Magna quædam: inquit, penna est paupertas; quâ tàm citò volatur in regnum cœlorum.

S. Bern. serm. 4. de Advent.

PUN-

PUNCTUM I.

POstquam die hesterna vidisti & benè animadvertisti necessitatem virtutis hujus paupertatis, considerastique quâ ratione Christianos obliget universos. Vide nunc, & pondera præmium, & remunerationem illi promissam. Salvator noster omnium remunerator bonorum & virtutum; aliis beatitudinibus contentus est promittere regnũ cœlorum de futuro; in præmium & remunerationem; cum ait, *consolabuntur, saturabuntur, filij Dei vocabuntur, &c.* At dum ad hanc pertingit, illi suum assignans præmium ait: *Ipsorum est regnũ cœlorum.* De præsenti illi attribuens, & in re ipsum regnum cœlorum, quòd aliis in spe, & de futuro duntaxat promittit; à modo inquit: ex hac horâ, in vita præsenti. *Ipsorum est regnum cœlorum.* In quem congruè S. Bern. *Non eos solùm:* inquit: *(pauperes) æstiment sola cœlestia possidere. Quia ea sola audiunt in promissione, possident & terrena; & quidem nihil habentes, & omnia possidentes, non mendicantes ut miseri, sed ut Domini possidentes: eo pro certo magis Domini, quo minùs cupidi.* S. Bern. serm. 11 in Cant.

PUNCTUM II.

COnsidera quale regnum cœlorum promissum sit in hac vita adhuc degentibus, pauperibus spiritu. Docet nos Apostolus; quòd sit justitia pax & gaudium in Spiritu sancto. *Non est enim:* ait *: regnum Dei, esca & potus: Sed justitia, & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Hoc est dicere, quod virtutes; quæ verè sunt hominis bona, divitiæ, & thesauri, sunt pax cordis, animæ, gaudium ex præsentia Spiritus sancti; qui suam in illa mansionem fert; proveniens. Paupertas porrò omnis sollicitudinis exemptio est, omnis anxietatis, & tristitiæ expulsio; iter liberum ad Deum, & via ad cœlum rectissima, divitijs omninò contraria & adversans; Quæ nil nisi spinas anxietatis, & tribulos tristitiæ & amaritudinis producunt; quæque ordinariè deducunt ad infernum, damnationem secum plerumque trahentes. *Adeo*, ut benè S. Euch. *Quædam est Societas penè etiam nominis duabus his rebus vitiis & divitiis.* His consonans S. Bern. *Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes quos idcircò conscientia portat, ut in æternum dives fiat.* Quod veritas Christus Jesus expressit in Evangelio: *Regnum:* inquit: *Dei intra vos est.* Et Apostolus. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Quibus congruenter S. Bern. adhortans: *Si sapis, si habes cor, desine ea sequi, quæ assequi miserum est: Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant; an non ea satiùs cum honore spernis, quàm cum dolore perdis.* S. Bern. serm 4. in Advent. Luc. 17. 21. 2. Cor. 4. 7. S. Bern. Epist 103.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, primum & potissimum ad hanc virtutem motivum esse; quod filius Dei, sapientia incarnata; Dominus absolutus universorum Rex Regum, & Dominus dominantium, sub cujus pedibus omnia subjecerat Altissimus, hanc virtutem paupertatis modo practicaverit perfectissimo. Hoc evidenter conspicitur in optione quam fecit, suæ Matris, & sui

Patris nutritij. In Nativitate clarè innotescit. In oppificio fabri lignarij, quod exercere non dedignatus est ita ut putaretur filius Joseph luce meridianâ clariùs clarescit. In suis Apostolis, discipulis, & comitibus, quos elegit ex simplicibus piscatoribus, & hominibus conditionis vilioris, & maximè in morte sua amarissima & turpissima innotuit clarissimè. Vestitu semper vili, & pauperrimo vestitus incessit, non domum habuit ubi habitaret, non hæreditatem, quam possideret, non locum ubi reclinaret caput suum. Unde vere Apostolus Paulus de illo. *Iesus Christus propter vos egenus factus est, cum esset dives.* (2. Cor. 1. 9.) *Satis*, ait, *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus, cum esset Dives, ut illius inopia divites essetis, Consilium in hoc do, hoc enim vobis utile est.* (S. Bern. serm. 3. in Nat. Dom.) Et Christus ipse loquens per os Davidis Prophetæ: *Ego*, ait: *mendicus sum, & pauper: Christus elegit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobat ille, quis prudentior è duobus? Cujus sententia sanior.* Et suum prosequens intentum, *Aut*: ait: *ipse fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam: Merito proinde, & carnis prudentia mors. Si quidem & ipsa inimica est Deo. Et sæculi quoque prudentia stultitia nominatur:* (S. Bern. serm. 3. in Nat.) *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni; quod repromisit Deus diligentibus se, vos autem exhonorastis pauperem?* (Iacob. 2. v. 5. & 6.) Post hujusmodi exemplum possumusne adhuc tanta sollicitudine, & anxietate nostras desiderare, & quærere commoditates, delicias, & superfluitates; nos nobis dum desunt impatientes ostendere, vel dum eripiuntur conqueri & murmurare? Certe si nobis permissum esset intendere vanitati, vanitate gaudere, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, hanc in paupertate maximè quærere deberemus. Ex eo quod tali statu vestiti comparemus veste turmali Christi Jesu; illique magis assimulamur: Particulares tuas hac in virtute defectus animadvertas & maturè pensites, iisque remedium adferre matures. Apostoli coneris inhærere vestigiis; qui omni in eventu sive inopiæ, sive abundantiæ æqualiter semper contentis, eandem retinens animi semper quietem & dispositionem. *Ego didici*: inquit: *in quibus sufficiens esse, scio & humiliari, scio & abundare (ubiq; & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.* (Phil. 4. v. 11. & 12.) Et hac eodem dispositione de se & de omnibus aliis Apostolis dicebat. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* (2. Cor. 6. 10.)

MEDITATIO LI.

De benignitate & comitate.

I. Cur mites & benigni dicuntur beati.
II. Benignitas propria Spiritui Christi Jesu.
III. In quo sita sit hæc benignitas ejusque praxes.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, Matth. 5. v. 4.

COnsidera primò rationes, ob quas Salvator noster ita sæpe in Evangelio hanc inculcat & præcipit virtutem, &

& hoc passu mites appellet fœlices. Et prima ratio est: quia homines Deo similes omnino fiant divinis dignos luminibus, & communicationibus deificis. *Non in commotione dominus, sed in sibilo auræ tenuis* Deus inquit Propheta, non habet complacentiam in impetuositatibus & tempestatibus mentis, turbinibus passionum agitatæ, & turbulentæ! verum magis in serenitate animi quieti & tranquilli: ea de causa scriptura specialiter mansuetudinis Moysis & Davidis meminit; qui sunt ij, qui plus familiaritatis cum Deo habuisse dignoscuntur. *Erat enim, inquit, Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* De Davide audi psalmistam. *Memento domine David & omnis mansuetudinis ejus. Sic sibi Moyses totius plebis mentes devicerat & devinxerat; ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quam pro factis mirabilibus admirarentur.* Ex quo elicitur; *quanta sit iracundiæ culpa, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. Deus porro est Deus pacis.* Altera ratio est, quia nos in possessione nostri ipsius perfecta constituit, è cordibus nostris faciens exulare inquietudines, impatientias, & tædia universa; degustare nobis dat pacem magnam & solidum gaudium. *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Quod unicum motivum est, quo Salvator noster utitur, ad hanc nos excitandi & inducendi. *Discite, inquit, à me quia mitis sum & invenietis requiem animabus vestris.* Tertia ratio est, quia capaces omnigenæ conversationis salutaris & amicabilis cum proximo nos reddit, illi ut satisfaciamus omni in occurrentia, illum consolemur, succurramus, illi in omnibus, & corpus, & animam concernentibus. Nil porro amabilius, acceptius, & exoptabilius est, quam indolis & natura mitis & suavis, & è converso nil plus displicet, & exacerbat, quam indignabundus, impatiens spiritus, exacerbans & turbulentus.

3. Reg. 19. 11. — Num. 12. 3. — Psal. 131. v. 1. — S. Ambr. 2. offic. c. 7. — S. Greg. 2. Moral c. 10. — 1. Cor. 35. — Psal. 36. 11. — Matth. 11. 29

PUNCTUM II.

Considera secundo, quod mansuetudinis hic Spiritus, verè sit Spiritus Christi Jesu, qui illum ita clarescere fecit inter omnes etiam oppugnationes & contradictiones omnium, qui ei proximabant. Quod Evangelista unus valdè ad propositum, unum refert Prophetæ Isaiæ passum bene considerandum, ubi dicitur in persona Patris æterni, quod Jesus tantæ foret mansuetudinis in Spiritu, & animo suo, in suis verbis, in actionibus suis, in suo incessu, in omni suo moderamine, & conversatione sua quod vix loqui audiretur. Vixque super arundinem incedere audebit, ita loqueretur suaviter & incederet. *Ecce puer meus,* inquit, *quem elegi, ponam Spiritum meum super eum, non clamabit neque contendet, neq; audiet aliquis in plateis vocem ejus, arundinem quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.*

Matth. 12. 19 — Isaiæ. 41. 18. — Eccl. 24. 27.

PUNCTUM III.

Considera tertio in quo Mansuetudo hæc & dulcedo, quam habere

debemus sita sit. Primo, quacunque de causa non irasci, nec exterius illud ostẽdere. Non tristari & manifestare internos motus nostros animi acerbis verbis & querulosis, malum non reddere pro malo: verum omnium factarum oblivisci injuriarum. *Ira*, inquit, sapiens, *in sinu stulti requiescit. Verbum porro dulce multiplicat animos & mitigat inimicos & lingua dulcoris in bono homine abundat.* Ex quibus S. Jacob: bene concludens *quod si*, ait, *zelum amarum habetis & contentiones sint in cordibus vestris, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena animalis diabolica.* Subscribit S. Bernard. sunt & alii, inquit, mites, *sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio: Patebit autem quam longe sint à vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc Mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit.* Hæc Mansuetudo ergo in eo sita est, quod quis conversationis sit benignæ, accessus facilis, mitis & gratiosus in supportandis proximorum defectibus, tam corporis quam animæ, sine turbatione, sine rejectione & sine indignatione: Verum cum magna pace mentis, cum condescentia amicabili, & cum gratiosa pietate, illis vultu gratioso loquens, verbis semper eos mitigantibus, & ad omnem allicientibus suavitatem; idque omni tempore respectu omnium in omnibus, & super omnia observare, dum correctionis, reprehensionis, & ad meliorem frugem reductionis occasio est. Quia si mitis, dulcis & mansuetus est tibi dum nihil adversatur, aut respectu illorum duntaxat quos diligis & magnifacis. Severus vero, austerus, violentus & impatiens respectu eorum quos non diligis, æstimas & magnifacis; quid agis, quod non agunt pagani, Turcæ, & Judæi? Salvator & dominus noster Christus Jesus ac sancti ejus non ita fecerunt; Unde S. Paulus specialiter vult Tito recommendatum, fideles ut moneat & adhortetur: *Non litigiosos esse, sed modestos; omnẽ ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Hoc & ipse Apostolus non intermittit. *Si præoccupatus fuerit homo*, inquit, *in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis.* Ipso facto, & experientia, medium commodissimum & optimum, testimonio sapientis, acquirendæ æstimationis, amoris, & affectionis Dei & hominum est, suas exercere functiones, & omnia sua peragere in mansuetudinis & lenitatis spiritu. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.*

Eccl. 7. 15.
Eccl. 6. 5.
Iacob. 3. 15.
S. Bern. serm. 4 de Advent.
Tit. 3. v. 1.
Gal. 6. v. 1.
Eccl. 3. 19.

MEDITATIO LII.

De humilitate inseparabili socia lenitatis.

I. Cur salvator junctam vult humilitatem lenitati.
II. Quam virtus hæc sit necessaria.
III. De fructibus & commodis humilitatis.

Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, Matth. 11. v. 20.

Dominus noster Christus Jesus facta humilitatis cũ lenitate & mansuetudine

ſuetudine conjunctione, poſtquam ſermonem fecit de lenitate, convenit, & videre reſpectum & affinitatem, quam habet ad humilitatem.

PUNCTUM I.

Conſidera primo rationem, ob quam dominus noſter humilitatem conjunxerit manſuetudini & lenitati, eſſe, quod unam ſine alterâ haberi ſit impoſſibile: Cùm enim humilitas aliud nihil ſit quam interior lenitas & manſuetudo, & cum manſuetudo non ſit aliud quam inſterior humilitas, una eſt velut cor veri Chriſtiani, altera velut facies & vultus. Hinc optimè S. Bern. *Collectaneæ ſunt humilitas & manſuetudo,* inquit: *in eo confœderatæ germanius; qui dicebat, diſcite à me, &c.* & alibi, *diſcite,* inquit, *à me non quod ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid hujusmodi; ſed quia mitis ſum & humilis corde.*

Serm. de B Mar. in verb Apoſt. 12, S. Bern Epiſt. 42 ad Henr.

PUNCTUM II.

Conſidera ſecundo, quam ſit hæc virtus humilitatis neceſſaria, cum inter omnes virtutes, quas ſalvator noſter ordinare voluit, ut ab illo, ut diſceremus, hanc ſolum ſpecialiter à ſe diſci voluit; contentus dicere: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Et alibi loquens omnibus Chriſtianis in perſona ſuorum Apoſtolorum inter ſe diſputantium quis videretur eſſe major. Expreſsè proteſtatus apertè dixit: *Amen dico vobis niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum.* In veritate vobis proteſtor: niſi converſi fueritis, hoc eſt, niſi illi ambitionis agitationi renuntiaveritis, quæ vos in diſceptationē vocat ob præcedentiam in regno cœlorum adipiſcendam, & efficiamini ſicut parvuli in humilitate, & animi demiſſione, non intrabitis in regnum cœlorum. Ea de cauſa in infinitis ſcripturę paſſibus hanc repetit veritatem, hanc inculcare nullibi intermittere potens. *Vade,* inquit, *recumbe in noviſſimo loco, qui major eſt veſtrum erit veſter miniſter.* Hanc ob hoc appellat S. Aug. primam virtutum. *Prima virtutum eſt humilitas, ſecunda, humilitas; Tertia, humilitas, & quoties interrogares hoc dicerem* Ideo ſola magnum facit in regno cœlorum, veritate teſte: *Quicunque ergo,* inquit, *humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.* Qui ergo vult eſſe minor, ille fit Major, & qui major eſſe cupit fit minor. Hinc Sathanas qui volebat eſſe magnus & Deo æqualis, minimus factus & abjectiſſimus, ex loco honoris, in locum confuſionis, ex ſublimiſſima ſede, in carcerem teterrimum in imo Centri terræ locatum detruſus eſt. *Videbam,* ait Chriſtus, *Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Hinc S. Bernard. *Virtutum ſiquidem bonum quoddam ac ſtabile fundamentum humilitas, nempe ſi nutet, illa virtutum aggregatio non niſi ruina eſt. Hic, eſt primus Religionis introitus, ſicut in mundum, primus Chriſti ingreſſus, ut quicunque piè vult vivere, humiliter de ſe ſentiat. Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas, nec in cœlo ſtare potuit ſuperba ſublimitas.* Quanto ergo minus in terra.

Luc. 14. 10. Matt. 13. 11.

S. Auguſt. Epiſt. ad Dioſcor.

Matt. 18. 4.

Luc. 10. 18. S Bern. L. de Conſid:

S. Cyprian. Tract. de Nat. Dom.

PVNCTVM III.

Consider tertio humilitatis prærogativas, fructus, & excellentias. Illa est principium & fundamentum omnium virtutum, sicut superbia testimonio sapientis, omnis peccati initium est.
Eccl.10.14. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati superbia est.* Humilitas custos est virtutum; illas in securo constituens; illa est perfecta animæ dispositio ad gratiam DEI, gratiæ inventrix, conservatrix, augmentatrix. Nam juxta testimo-
Jacob.4.6. nium S. Jacobi: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Illa nos facit capaces secretorum & mysterio-
Matt.11.25. rum divinorum *revelasse ea parvulis.* Illa pacem inducit, voluntatē nostram quietat, expellit anxietates nostras universas, tribulationes & cuncta tædia, quæ aliam non habent ordinariè originem quam superbiam. Illa est tandem mensura gloriæ, quam in futura vita
Luc.18.14. exspectamus. *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* Et eo modo exaltabitur, quo se humiliabit, etsi in hujus virtutis humilitatis praxi & exercitio particulare nostrum interesse non intercurreret, an non hoc unicum motivum foret sufficiens nos ad illius assecutionem inci-
S. Aug. serm. 10. de verbo Domini. S. Greg. in 3 Psal. pœnit. S. Aug. serm. 17. de verbo Domini. Serm. 2. de verb. Apost. tandi? *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Qui sine humilitate,* ait S. Greg. *virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat. Confluit aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.* Ex quo benè admonet alibi idem S. August. *Noli altum,* ait, *sapere, sed time. Time ut implearis, noli altum sapere, ne sicceris. Constituit Deus humiliare omnem montem excelsum & rupes perennes & convalles replere in æqualitatem terræ.* Baruch.5.7. *Hoc igitur die, hac hora, hoc indivisibili:* Momento resolutionem firmam facias, & proposito efficaci statuas jam ipso facto incipere practicare, initiativè usque dum meditationibus sequentibus plenius & melius instruaris, & informeris, ut exempli causa, nihil unquam in tui laudem aut in proximi vituperium, seu quodcunque præjudicium proferas. Memineris que cum nihil sit coram Deo abominabilius aut intolerabilius quam superbia, nihil quoque reperibile est ipsi gratius & acceptius quam humilitas. Hanc ob causam tempore incolatus sui in hoc mundo ita infantes & parvulos fovebat & diligebat, utpote velut veras humiliū figuras. *Sinite parvulos ad me venire:* Matt.19.14. Ad cœlum si anheles, ecce viam tibi demonstro: *Talium est enim regnum cœlorum.*

MEDITATIO LIII.

De gradibus humilitatis.

I. Duplex humilitas Spiritus & cordis.
II. Quid sit humilitas Spiritus.
III. Quid sit humilitas cordis & quæ ejus praxis.

Discite à me omnes quia mitis sum & humilis corde, Matth.11.29. Matt.11.29.

PVNCTVM I.

Considera primo, quod Dominus & Salvator noster velit hisce verbis duplicem

duplicem nobis demonstrare humilitatem unam Spiritus, seu intellectus; alteram cordis, seu voluntatis, qui sunt duo gradus pertingendi ad apicem hujus virtutis æqualiter necessarij. Hos exprimens S. Bernard. *Est humilitas* ait, *quam in nobis parit veritas, & non habet calorem, & est humilitas, quam charitas firmat: atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit.*

S. Bern. Sermon. 42 in Cant.

PUNCTUM II.

Humilitas Spiritus seu intellectus, quæ est prima velut radix humilitatis cordis, & primus hujus virtutis gradus, aliud nihil est, quam cognitio, quam habemus de nobis, & de illo quod sumus in veritate in oculis Dei; quæ efficit ut propriâ parvitate, demissione, & infirmitate convicti, nobis ipsis vilescamus. *Hæc est humilitas, quâ, ait,* S. Bern. *homo verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescit.* Nos porro ipsos considerantes in luminibus fidei, recognoscentes nos primo; quod quà homines non simus, nisi purum nihil, & nos consequenter nihil posse, & valere nihil: Clarum porro est, quod illud, quod nihil est, seu non est, nihil possit, & quod illud, quod nihil potest, nihil valeat. Hâc imbutus doctrinâ, benè ait Apost. *Si quis existimet se esse aliquid, cum nihil sit, ipse se seducit*; Et Psalmista, *ego ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Secundo, sumus filij Adæ, nati sumus peccatores, filij iræ, filij damnationis, inimici DEI, Sathanæ subjecti, capaces omnis mali, & ad omne malum inclinati, omnis incapaces boni, & virtutis, qua in qualitate non meremur, quod terra nos ferat, aut quod Deus cogitet de nobis; Principium porrò & semen omnis peccati & mali, quod perpetrari potest super terram, aut in inferno puniri, corruptio, & peccatum originale in nobis induxit, velut radix, & origo omnigenæ iniquitatis, & peccati. Et hac in nostra notitia nostri ipsius, nostræ miseriæ, & nihil nostri primus humilitatis gradus consistit. Ipso etenim facto, tali præsupposito, quâ ratione possumus, de nobis ipsis opinionem habere bonam, amare præeminentiam, vanitatem quærere, & in vanis hominum laudibus nobis ipsis complacere? Fuco externorum verborum, & adulationum inanium seduci, & ita nullo solido internorum & permanentium bonorum, solidati, fundamento æternæ subjacere ruinæ dignoscimur, nullam vitæ & salutis habere potentes securitatem, coacti vel inviti cum S. Job. in veritate fateri. *Putredini dixi, pater meus es & mater mea & soror mea vermibus,* & tùm sapiens *quid superbis terra & cinis* Evangelistæ credentes, dum ait, *quomodo potestis credere; qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ solo à Deo est, non quæritis?* Ac si diceret, impossibile est, vos veram fidem vestri nihili, imperfecti vestri, corruptelæ vestræ, & miseræ vestræ naturæ habere, adhucque ab invicem gloriam accipere, non potius vos verâ deprimentes humilitate, rejecta omni vana & inani hominum gloria, gloriam veram, quæ à DEO est, quærere.

Gal. 6. 3.
Ps. 72. v. 22.
Iob. 17. 14.
Eccl. 10. 9.
Ioan. 5. 44.

PUN-

PUNCTUM III.

CONsiera tertio, parvum esse humilitatem spiritus seu intellectus habere, & non etiam atque etiam habere humilitatem cordis, seu voluntatis. Eâ de causa Christus Salvator & Dominus noster solum hujus meminit velut principalis laudabilis meritoriæ & Deo gratæ; Dœmones enim habent humilitatem Spiritus seu intellectus: Suam porrò indignitatem, vilitatem, turpitudinem & maledictionem optimè norunt, at humilitate principali cordis, & voluntatis omninò carent: Hæc siquidem in eo sita est quod quis gaudet se esse parvum, abjectum, vilem contemptibilem, se ut talem habere, & haberi, & in suo particulari se ita tractare, & ab aliis tractari desiderare, indeque gaudere; De nullo conqueri, amare, & ambabus ulnis vilipensiones, opprobria, contemptus, & irrisiones, & omne, quod eum dejicere & vilem reddere potest semper absque peccato & scandalo. Nam cum peccato non stat vera humilitas; sed vilitas & turpitudo. De hujusmodi humilibus loquens Psalmista. *Humiles spiritu*, ait, *Salvabit*. Ob hoc hortatur Ecclesiasticus ad hanc virtutem humilitatis. *Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis, ignis & vermis.* (Eccl 7. 19.) *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari & gaudet de contemptu*: Secundo odisse & abominari omnem eminentiam, omnē excellentiam, & vanitatem universam, (S. Bern. serm. 16. in Cant.) æstimationem, laudem, & omnem hominum favorem & gratiam detestari, in quantum non ad Dei majorem laudem & gloriam non cedit. Suntne hæc quæ de te ipso habes sentimenta, & quæ ab aliis haberi desideras? Ad recognoscendum quippè quod nihil simus, qui primus est humilitatis gradus, sufficit quod bestiæ & bruta animantia non simus, verum nobis ipsis complacere in illo nihilo, nos ut tale tractare, & gaudere tractari ita ab aliis & parvi æstimari. Hocque efficit perfectionem Christianæ humilitatis. *Ama nesciri.* Salvator noster hunc primum humilitatis Spiritus gradum habere non poterat, *quoniam sciebat seipsum.* Cum porrò esset Deus parvus se æstimare non poterat; At habuit humilitatem cordis: Seipsum porrò humiliare, deprimere, & abnegare voluit: *Humiliavit semetipsum* (Phil 2. 8.) ardore insatiabili desiderans & amplectens opprobria, contemptus, calumnias, propter nos & maledicta. Hinc dicit verissimè de seipso per prophetam. *Improperium exspectavit cor meum.* (Ps. 68. 21.) Sanctique ad ejus exemplum in suis depressionibus & humiliationibus sibi complacebant. *Propter quod*, ait, (2. Cor. 12 10.) Apostolus: *placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in persecutionibus in in angustiis pro Christo.*

MEDITATIO LIV.

De effectibus humilitatis.

I. Humilitas cordis in effectibus sita est, & qui illi sint respectu Dei.

II. Qui sint illi effectus respectu nostri & proximi.

Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, Matth. 20. v. 26.

Hac

HAc ratione salvator noster docet nos viam ad gloriam aliam non esse quam humilitatis non signo duntaxat & verbo se se manifestantis, sed opere & veritate.

PUNCTUM I.

COnsidera primò veram cordis humilitatem non esse sitam in verbis, in complementis, nec in certis, parvis cæremoniis, & modis quibusdam se habendi & loquendi, concomitantibus terminis humilibus & modestis, quæ sunt sæpè effectus provenientes ex falsa & simulata dumtaxat humilitate. Hanc insinuat S. Ambrosius *Multi habent, inquit, humilitatis speciem, virtutem non habentes multi eam foris prætendunt, & intus impugnant, & fucum præferunt, at virtutem abiurant*; Effectus ergo perfectæ & veræ humilitatis sunt actiones, opera, & exercitationes, quæ sola sunt notæ legitimæ & certæ veræ humilitatis cordis. Hi verò effectus in anima à verâ humilitate provenientes: alii sunt respectu DEI: alii respectu sui ipsius, & alii respectu proximi. Primò effectus respectu DEI, quos humilitas producit in animo, sunt quibus profitemur veraciter, quod verè coràm illo nihil simus, nihil possimus, nihil habeamus aut possideamus, quod non receperimus de liberali & beneficâ manu ejus sivè quo ad naturæ bona, sivè quo ad gratiæ beneficia. Hoc agnoscebat Propheta dum dicebat. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos: &*
Psal. 38. 6. *substantia mea tanquam nihilum ante*
Isa. 4. 17. *te.* *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, quasi nihilum & inane reputatæ sunt.* Ita profatur propheta hanc veritatem. Eandem agnovit Apostolus *non sumus sufficientes cogitare aliquid*: ait: *ex nobis quasi ex nobis.* Consequenter hac convicti veritatis evidentia Deo gratias persolvere, vota nostra reddere, & omnia nostra illi in acceptis referre, nobis nihil omnino attribuere debemus, hac inducimur humilitatis virtute DEO omnia deferre nobis nihil. Hac quô libentissime totos nos impendimus in ejus servitiis, omnia ad majorem illius gloriam & honorem referentes. Ulterius faciens nos recognoscere quod simus peccatores in multis offendentes & deficientes, in illo sentimento facit nos afflictiones omnes exteriores & interiores, quas Clementissimus DEUS nobis immittit libenti & hilari animo pati, summa mentis submissione certissime tenentes peccata nostra multò plura mereri: Et tandem ad perfectam divinæ magnitudinis, excellentiæ & majestatis, ac nostræ parvitatis, abjectionis ac nihili cognitionem pertingentes. Facit nos in ejus præsentia in abyssum nostri nihili descendere ibique cum summa reverentia, sacro timore & tremore, ac modestia extrema persistere.

PUNCTUM II.

COnsidera secundo; effectus, quos virtus hæc in illo qui eam possidet, producit respectu sui ipsius; qui verè humilis est, seipsum in corde suo contemnit, vilissimusque sibi est in oculis suis. Optat & gaudet parvi ab homi-

nibus æstimari, dum de ipso viliter loquuntur contemnentes, & vilipendentes. Fugit præeminentias & honores, illosque nunquam nisi coactus recipit suum cognoscens & agnoscens imperfectum, & impotentiam, sibi ipsi diffidit. Se nunqum jactat vel laudat. Summe amat silentium. Libenter credit; & admittit admonitiones & correctiones. De rebus simplicibus communibus & obviis in sua cum simplicibus conversatione plerumque agit, omnem devitans affectationem & jactantiam in sermone, modo agendi, & in omni sua compositione; Agnoscens verè dixisse Arausicanum. *Non habet homo de suo, nisi mendacium & peccatum.* Concil. Araus. 2. can. 21. Tertio, respectu proximi, si quis sit verè humilis neminem contemnit, de omnibus optimam habet opinionem, proximi excusat defectus, de omnibus benè, & omnibus cum singulari affabilitate, mansuetudine & benevolentia honorem cuique convenientem deferens loquitur. Nunquam contestatur, nunquam contendit, offendit neminem. Verum omnibus favet, benefacit, se omnes meliores æstimat, Et econverso se reputat minimum & pessimum omnium. *Charitas* (cui si vera est, annexa semper est humilitas) *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa; non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1.Cor.13.14. Eundem in sensum S. Petrus loquens hortatur omnes ad humilem propter DEUM subjectionem: *Subjecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* 1. Petr. 10. v. 11. Hanc eximiam virtutem quantum exercuerit Apostolus ipsius percurrens facta, & scripta dubitare nequit; & notanter ad Timotheum expressit. *Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum ego primus sum.* 1. Tim. 5..13. & 15. Ecce notæ veræ humilitatis, quas Dominus & salvator noster nos docuit, & sancti habuerunt, Vide an illas habeas, quam de teipso habes opinionem, & æstimationem? quomodo de te loqueris? quid intendis? quo tuæ ferantur intentiones? qua animi dispositione leves recipis contemptus? quomodo tuas audis laudes, & redargutiones? quomodo cum tuo convenis & conversaris proximo? quanti eum facis? Æstimasne eum te meliorem Apostoli monito acquiescens. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes?* Phil. 2. 3. *quid dicis* de teipso *quem teipsum facis?* Ioan. 2. 22. 8. 53. Hæc tibi maturè ponderanda sunt.

MEDITATIO LV.

De Motivis humilitatis.

I. Motivum humilitatis, ejus necessitas.
II. Exemplum Salvatoris.
III. Media ad acquirendam humilitatem.

Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, sic nec vos nisi manseritis in me. Joan. 15. 4.

Salvator noster nobis hisce verbis facit innotescere quam ejus continuo egeamus auxilio, & quam simus obligati nos humiliare, *cum* ad bonum simus tam impotentes.

PUN-

PUNCTUM I.

COnsidera primò, primum in nobis humilitatis motivum sit continua necessitas; qua divina egemus gratia; quæ Solis humilibus promissa est. *Ad quem enim respiciam*: inquit DEUS per suum prophetam: *nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos*, hoc est ad humilem suam necessitatem humiliter agnoscentem. Secundo necessitas nostra tanta est, quod absolutè salvare nos non possimus, aut ullum opus exercere meritorium vitæ æternæ sine gratiæ divinæ adjutorio, imo ne minimæ quidem tentationi resistere. *Non enim volentis neque currentis*: ait Apostolus: *Sed miserantis est DEI.* Quam ob rem Apostolus de se ipso loquens: *gratia*: ait, *DEI sum id, quod sum*, sola gratia me fecit id quod sum. Necessitas hæc tanta est: quod etiam maximi & perfectissimi sancti illa opus habeant ad suam operandam salutem, ad peccatum fugiendum, idque usque ad ultimum vitæ halitum, ita ut omnes illorum virtutes, omnia eorum bona opera, & habitus virtuosi tot annorum revolutione acquisiti, eos firmare aut securos facere de sua salute non possint, quod ita verum est, ut illa ipsa veritas Christus JEsus suo roboret testimonio: *sine me*; inquit: *nihil potestis facere*, hoc est sine gratia non duntaxat sanctificante, & habituali, sed etiam actuali. *Sicut oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis non potest cernere, sic & homo perfectissimè etiam justificatus, nisi æterna luce justitiæ adjuvetur, rectè non potest vivere.* *Non est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo.* *Non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* *Verbum caro factum est.* *Semetipsum exinanivit.* Hanc exinanitionem exprimit apud Psalmistam. *Ego sum*: inquit: *vermis & non homo.* *A me*: inquit: *discite; non ad doctrinam Patriarcharum; non ad Prophetarum libros, Ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo, inviderant mihi altitudinem, quam habebam apud Patrem & Angelus & fœmina, ille potentiæ, illa scientiæ, vos autem æmulamini charismata meliora discentes à me, quia mitis sum & humilis.*

Isa. 66. v. 2.
Rom. 9.
1. Cor. 15.
Ioan. 15.
S. Aug.
S. Aug. homil. 23. & 50. homil.
S. Aug in illum locum.
Ioan. v. 14.
Philip. 2.
Psal. 21. 2.
S. Bern. Epist. 42. ad Henric.

PUNCTUM II.

COnsidera ex dictis secundo; quod primum & potentissimum ad humilitatem motivum, sit Salvatoris nostri exemplum. Ob hoc vult ut à se & non ab aliis discamus: idque revera non sine causa; cum hanc ille virtutem exercuerit, & practicaverit ad abyssum usque se deprimens, & humilians. In mysterio Sanctissimæ Incarnationis suæ se inclinavit usque ad esse hominis, & consequenter usq; ad nihilum creaturæ. Deinde natus est in extrema depressione, paupertate & egestate. Circumcisus infamen peccatoris notam, & cicatricem non recusavit, triginta argenteis appretiatus, venditus, & traditus, lavit & osculatus est pedes pessimi traditoris sui. Inter iniquos reputatus, homicidæ sceleratissimo postpositus;

situs; irrisus, colaphis cæsus. Spinis coronatus, sputis coopertus, & tandem per manus Carnificum cruci affixus inter duos latrones quasi omnium pessimus nudus pendens in cruce emisit Spiritum, quid potest concipi humilius? An ad hanc Christi humilitatem quicquam adjici potest? *quæ superbia sanari potest, si humilitati filii DEI non sanetur, propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum Dominus voluit. Sed recumbe inqui in novissimo loco, ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teque Nemini non dico præponas: Sed ne comparare præsumas.* O *humilitas Christi*; clamat S. Bernardus: *quantum confundis superbiam nostræ vanitatis.*

S. Aug. de Agonia Chr. c. 12.

S. Bern. serm 37. in cant.

PUNCTUM III.

CONsidera tertio, tandem ad practicandam & acquirendam humilitatem media aptiora & meliora sunt humiliationes exteriores, & vilia ac abjecta exercitia. *Humiliatio*: ait S. Bern. *via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem.* Si ergò verè desideremus virtutem, humilitatis non fugiamus, verum magis humiliationes & depressiones amemus, quæramus semper loca inferiora & infima. *Si ergo*: ait S. Bern. *virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis*; *nam sic non poteris ad humilitatem provehi.* Et certe videntes DEUM gloriæ & Dominum Majestatis infinitæ, eo quo jam vidimus modo humiliatum, quod motivum; quod exemplum adhuc desiderabimus post hujusmodi, nos ut humiliemus; nos ut deprimanus, nos ut contemnamus? *Intolerabilis impudentia est*: ait S. Bern. *ut ubi exinanivit se majestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Sufficit Discipulo, si sit sicut Magister ejus. *Nunquid gloriari debemus, humiliari & deprimi ad supremi nostri Magistri exemplum, quod dedit nobis*: ut ait S. Petrus. *Ut sequamur Vestigia ejus?*

S. Bern. serm. 10. de Nat.

Matt. 10. 15.

MEDITATIO LVI.

De Lachrymis.

TERTIA BEATITUDO.

I. Sumus in hoc mundo velut exules.
II. Quatuor Lachrymarum causæ.
III. In quo sita sit hæc beatitudo.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Matthæi 5. v. 5.

PUNCTUM I.

CONsidera primo; bene hanc ut penetret quis veritatem, quæ prima facie mirabilis videtur, & ut innotescat quam sit verum; quod æterna sapientia persuadere intendit hoc loco, quod mundi hujus beatitudo consistat in lachrymis: quod simus exules super terram, & quod omnis nostra felicitas & fortuna sita sit in spe restitutionis beatæ, quæ solis suspiriis & lachrymis conceditur: ita ut sine ullo dubio lachrymæ sint fundamentum & spes omnis nostræ felicitatis ut jam *spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Rom. 12. 12.

PUNCTUM II.

CONsidera secundo quod electi è mansione gaudiosa paradisi voluptatis condemnati sumus ad intestinam & domesticam rebellionem; hoc

est

est ad sustinendam Tyrannidem concupiscentiæ, quæ sinè intermissione inducit & impellit nos ad peccandum, & pro miseriæ nostræ complemento urget nos ad inevitabilem moriendi necessitatem. Illud exprimere voluit Ecclesiasticus sequentibus verbis: *Occupatio magna*: inquit: *creata est; omnibus hominibus; & jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Nonne hæ quatuor causæ sunt sufficientes ad nos movendum ad Lachrymarum fontes die ac nocte emittendos, utpotè exilium, concupiscentia nostra, peccata nostra, & tandèm mors ipsa: quam cum ipsa vita inchoamus. Imò & quæ ipsam vitam antecedit. utpotè priùs damnati ad mortem; quam nati ad vitam. Unde meritò vallis lachrymarum mundus dicitur & est. (Eccl. 40. 1.)

PUNCTUM III.

Considera tertio, quod hæc beatitudo non in omni tristitiæ genere, aut in omni lachrymarum effusione sita sit. Apostolus porro ait quod *sæculi tristitia*, hæc est tristitia proveniens ex adhæsione inordinata ad res hujus sæculi, cujus privatio affligit, longè abest ab eo quod nos purificet; *mortem enim operatur*: ob hoc benè S. Aug. *fili*: ait: si ploras, piè plora, noli cum indignatione, noli cum typho *superbiæ.* Solum ergò lachrymæ quas charitas propinat nos ob peccata nostra, & aliorum affligentes, & ob prolongationem hujus incolatus; quo detinemur exules, in exilio miserabili sæculi hujus, desolantes sunt, quæ nos (2. Cor. 7. 10.) purificant, quæ nos consolantur, & quæ nos exhilarant, & Spirituali quodam perfundunt gaudio. *Qui seminant in Lachrymis in exultatione metent*: Cujus ratio est: quia cum tristitia hæc sit secundum DEUM, ut loquitur Apostolus; *Pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* An non verum est, & verissimum, quod parum te ad hanc reflexeris Veritatem? si porrò firmiter persuasus fuisses, quod verum gaudium in lachrymis consisteret, non tanta anxietate tua requisivisses solatia in aliis extravagantibus. *Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Doleas ergò teq; pœniteat tui temporis ità infructuosè transacti, discas hodie non amplius felices æstimare eas personas, quæ suum, ut dicitur in mundo tempus transigunt in deliciis, & voluptatibus; ut fortè usque modo fecisti, & non illis invidere, sed magis compati, easque æstimari magis pauperculum Religiosum, qui sua & aliorum peccata deplorat, aut personam afflictam & desolatam, quam illam quæ omni perfruitur Satisfactione omniq; hujus vitæ commoditate, & abundantia superaffluit, quem in finem te Propheta admonet & hortatur: *Noli æmulari*: ait: *in malignantibus, neque celaveris facientes iniquitatem.* Si quippe abundantes in sæculo felices in hominum imaginatione videntur, non est nisi pro expectatione veræ & æternæ infelicitatis. In illis porrò verificabitur & complebitur hæc formidabilis maledictio, consonans perfecte initio hujus mediationis. *Væ vobis, qui ridetis* (Psal. 125. 8. — Iob. 21. 13. — Psal. 36. 1.)

Luc. 6. 26. *nunc, quia lugebitis, & flebitis.* Elige nunc quod melius est. Elige vel nunc flere, ubi lachrymæ purificant & finem habent, vel posteà ubi sordescunt, & sinè fine durant.

MEDITATIO LVII.

De fame, & siti justitiæ.

QVARTA BEATITVDO.

I. Cur esurientes sunt felices.

II. In quo sita sit hæc beatitudo, & quæ ejus notæ.

III. Examen ad cognoscendum an illam quis habeat.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matthæi. 5. v. 6.

PVNCTVM I.

Considera primò; quod non sinè causa Salvator noster illos felices qualificaverit, seu appellaverit, qui esuriunt & sitiunt justitiam, hoc est, qui sancto repleti sunt desiderio, divino inflammantur ardore, DEO fidelitèr serviendi, & illi ab aliis serviri videndi. Ex eo, quod nihil sit quod nostram magis præpediat felicitatem, & quod magis nos reddat infelices, quam passiones & inordinata cordis desideria, quæ velut violentissimæ febres inquietant, fatigant, & debilitant animam nostram, suntque velut fames vehemens & sitis injustitiæ: Necesse est ergò, ut bona desideria aliud non sint, quam fames & sitis justitiæ cujus in præsenti fit mentio, nostramque constituant beatitudinem. Et cum mala desideria non privent duntaxat gratia, & felicitate vitæ præsentis, verum contrarientur etiam è diametro juri & possessioni æternæ beatitudinis. Ità èconverso bona desideria non faciunt nos solum felices in vita præsenti; verum etiam maximè disponunt ad felicitatem futuræ vitæ. Quod insinuat apertè S. Aug. *Desiderando*: ait *capax efficieris ut implearis.* Hæc est sapientia, *quæ facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab iis qui quærunt illam: præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prius ostendat.* Hac siquidem omnes febres concupiscentiæ sanantur & eliminantur. *Febris etenim nostra* ait S. Ambros. *avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est.* Hac autem omnes sanantur fame & siti hac justitiæ.

PVNCTVM II.

Considera secundò hanc ut quis habeat famen & sitim spiritualem, qualem Dominus & Salvator noster hoc loco à nobis requirit non sufficit simplicia nutrire desideria in fundo animæ & cordis nostri: Verum oportet illa per effectus, & bona opera manifestare, & innotescere facere. *Non enim*: inquit S. Aug. *ad saturitatem justitiæ cum hinc exierit quisquam perveniet, nisi ad eam hic & esuriendo & sitiendo cucurrerit.* Hoc autem hisce duobus fit modis. Primò ad majorem aspirando perfectionis gradum, ad quem in nostro vivendi statu pertingere possumus per exercitia, actiones & opera quæ eo immendiatius conducunt, conando indies magis & magis proficere, nunquam deficiendo, vel cessando

S. Aug. de perfect. Iustitiæ c. 8.

cessando ab exercitationibus ad illud proficientibus. *Non enim dat DEus Spiritum ad mensuram.* Quo inducti & excitati perfectionem intendentes. *Ibunt de virtute in Virtutem. Justorum*: inquit sapiens, *semita quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Hic inducitur necessitas in via Domini continuæ progressionis ne in vitium regressionis cadamus. Quod S. Aug. egregiè expressit: *tamdiu non relabimur*: inquit: *Quam diu ad priora contendimus: At ubi ceperimus stare, descendimus, nostrumq; nō progredi revetri est.* Secundo, eodem ardore desiderando quod DEO ab omnibus serviatur creaturis, pro ut à nobis ipsis illi serviri optamus, deflentes illa de causa aliorum peccata, non aliter ac propria. Et in illo consistere hanc quartam beatitudinem ait S. Aug. *Hæc est nunc nostra justitia, qua currimus esurientes & sitientes ad perfectionem, plenitudinemque, ut posteà saturemur: lib. de perfect. Justit. cap.* 8. *& cap.* 5. *quamdiu ergò peregrinamur à Domino, per fidem: ait: ambulamus, non per speciem: Vnde dictum est, Justus ex fide vivit. Hæc autem nostra in ipsa peregrinatione justitia est, ut ad illam perfectiorem plenitudinem justitiæ curramus: Vbi in specie decoris ejus jam plena & perfecta charitas erit; nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum, & servituti subjiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & in dimittendis, quæ in nos sunt commissa, peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter insistendo.* Et in illo particulariter eluxit Salvatoris nostri charitas, qui eam habuit famem & sitim justitiæ, quam Patri ejus Cœlesti debebamus, ut in hunc mundum venerit ad illam restituendam & reintegrandam. Quod tot occasionibus & occurentiis testatus est, qui in ipsa cruce in ultimo cum morte, quo ipsam superavit, conflictu, in maximis constitutus doloribus & tormentis hoc tàm expresè declaravit & expressit termino *sitio* Joan. 19. v. 28.

Joan. 3. 34. — Psal. 8. 8. — Prov. 4. 18. — S. Aug. Epist. 141. ad Demet.

PVNCTVM III.

COnsidera nunc an hanc habeat famem & sitim; & an sis alter Daniel, si non vir magnorum operum, saltem magnorum *vir desideriorum.* Et hoc ut melius cognoscas, facias tui cum mundanis comparationem: Et animadverte maturè quam mundani habeant famem & sitim bonorum temporalium, bonorum transuolatilium, & apparentium ac momentaneorum voluptatum mundi & carnis; quam ardens, quam violenta & quam insatiabilis illa sit; Et ex consequenti quo conatu, qua diligentiâ & aviditate illas quærant, & acquirere studeant: eodem tu conamine; industriâ, & affectione ferri debes ad quærendam & acquirendam justitiam, Aliter porrò si facias testaris te, velut is, qui nec esurit, aut sitit, nec eget aut desiderat corporis sui alimentum, clarescere facit animam suam, vel satiatam, vel infirmam & nausea mortali alimentum omne abhorrere, omninoque desperatam. Verum cum sit certum posse neminem in hac vita mortali plenè satiari, & si quis dicat esse satis, constituitur

Dan. 9. 13.

tuitur in statu amittendi, quod acquisivit. Concludendum ergò necessario; quod anima tua infirma sit, vexata haud dubie fame & siti bonorum temporalium hujus mundi, honorum & voluptatum transuolabilium inflammata ardore, quod illi rerum divinarum & perfectionis nauseam mortalem inducit. *Quod si enim*: ut bene S. Bern. *studere perfectioni, esse perfectum est, profectò nolle proficere deficere est. Vbi ergò sunt, qui dicere solent sufficit nobis, nolumus esse perfectiores, quam Patres nostri? Non vis proficere, vis ergo deficere: nequaquam: quid ergò? sic mihi inquis, vivere volo, & manere in quo perveni, nec pejor fieri patiar, nec melior cupio. Hoc ergò vis; quod esse non potest.* Quid enim *stat in hoc seculo? Nunquid dicit justus satis est, sed semper esurit sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior ut esset contenderet.* S. Bern. Epist. 35. Hæc pondera, benè considera, & animaduerte ne pœnam Verbo ore sacro, & Veridico filii DEI comminatam justè incurras. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis,* Lucæ 6. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. 6. 21.

MEDITATIO LVIII.

De Misericordia.

QVINTA BEATITVDINE.

I. Cur misericordes dicuntur felices.
II. In quo misericordia sita sit, & quæ ejus notæ.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Matt. 5. 7.

PVNCTVM I.

Considera primò; cur Salvator & Dominus noster misericordes nuncupat felices. Primò misericordes Salvator noster felices appellat, quod sint vivæ imagines DEI: *Cujus natura bonitas!* ait S. Leo: *Cujus opus misericordia est.* Et qui in omnibus operibus suis nullum suorum attributorum magis clarescere facit quam misericordiam: *Miserationes ejus, super omnia opera ejus.* Psal. 144. 9. Illud unicum motivum est, quod Salvator dat, quo ad filiationem Patris ejus cœlestis assumamur. *Benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Matt. 5. 45. *Qui facit misericordiam: fœneratur proximo suo*, Eccl. 29. 1. audi prophetam quid spiritu divini afflatus tibi dicat: *indicabo*: inquit: *tibi; O homo quid sit bonum, & quid dominus requirat à te, utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo,* Mich. 6. 8. vocat dominus misericordes felices, ex eo, quod media non inveniantur protentiora, & magis idonea ad divinas gratias impetrandas, in quo universa vitæ hujus felicitas sita est, quam misericordias exercere? *date & dabitur vobis*; veritas loquitur: Luc. 6. 38. & quâ mensurâ nos dederimus & mensi fuerimus, êadem nobis reddi & remetiri faciet. Undè provenit, quòd Salvator noster hanc ipsi misericordiã velit præferri Sacrificio, quod est actus religionis excellentissimus, & acceptissimus Deo. *Euntes discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium,* Matt. 9. 13. non quod ipso facto nolit, aut rejiciat sacri-

sacrificium, verum magis declarat indè, quod sacrificium illi non detur gratum magis, & acceptabile, quam misericordia.

PUNCTUM II.

COnsidera Secundò, in quo consistat misericordia tantoperè nobis à Deo & Salvatore nostro recommendata in hoc passu; quæque ejus sint notæ. Prima est diligere & amare pauperes, ut membra Christi, illis Eleemosynis & Spiritualibus, & corporalibus subvenire in quantum possumus, subtrahere non duntaxat nobis de superfluis nostris; sed & de nostris necessariis exhibendo illis opere & veritate, misericordiam, non solo verbo

1. Ioan. 3. 18. & loquacitate. *Non diligamus verbo neque linguâ; Sed opere & in veritate. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo,*

ibidem. 17. *quomodo charitas DEI manet in illo?*

2. Cor. 11. 29. hac motus Apostolus: *quis*: inquit: *infirmatur; & ego non infirmor?* & alibi. *Factus sum*: inquit: *infirmis infirmus.* Secunda hujus virtutis misericordiæ nota est procurare omni sollicitudine, ut ab aliis etiam adjuventur, illos DEO recommendare in nostris orationibus, visitare infirmos, illos consolari, illisque compati, & omnia cum gaudio exequi, & præstare, quæ

Rom. 12. 8. requirit Apostolus *qui miseretur in hilaritate* & in dispositionibus Salvatoris nostri Christi JEsu. Hoc est in ejus

Philip. 1. 8. amoris ardore: *in visceribus Christi,* ut idem loquitur & hortatur Apostolus. Et in recognitionem omnium ejus misericordiarum, & miserationum; quibus in nos usus est. Qui non contentus nudari ut nos vestiret, mortem pati, ut vitam nobis donaret. Medium invenit charitatis omnino excessivæ & miserationis exuberantissimæ, quo postquam jam se totum nobis donaverat in cruce in pretium; se nihilominus nobis in altari donaret in edulium. Hanc ille requirit â nobis, hac ille nos judicabit; hac sententiam approbationis æternæ recipiemus ab eo: *infirmus fui*: inquit: *& visitastis me, hospes eram & collegistis me, nudus, & cooperuistis me.* Matt. 25. 35. 36. Satis forte convictus ex hujus virtutis divinæ fructibus, prærogativis, & commodis: àt quòt sese occasiones præsentarunt, quibus hanc exercere potuisti, & neglexisti? *quoties Salvator noster* in persona pauperis Eleemosynam petiit eâ intentione purè ut occasionem in suo paradiso Eleemosynam elargiendi haberet; & rejecisti? Audi quid dicat de talibus veritas; *Amen dico vobis, quam diu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Tòt ergò de hujus virtutis exercendæ occassiones neglexisse doleas. Tòt perdidisse tê merita, & merendi opportunitates ingemiscas. De futuro melius provideas. Apostolum audi & sequere. *Induite vos sicut electi DEI, Sancti, & dilecti, viscera misericordiæ.* Coloss. 3. 12. Ob cujus defectum formidabilem & veram pertimescè Apostolî Jacobi sententiam, judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. Iacob. 2. 13.

MEDITATIO LIX.

De puritate cordis.

SEXTA BEATITVDINE.

I. Quam ſit hæc puritas neceſſaria.
II. In quo ſita.
III. Continuo debemus nos purificare.

Beati mundo corde, quoniam ipſi DEum videbunt, Matt. 5. v. 8.

PVNCTVM I.

COnſidera primò; quam hæc puritas cordis ſit neceſſaria & commendata, tanquam medium ad ſalutem nobis neceſſarium, & ad introitum æternæ beatitudinis; quæ conſiſtit in in clara DEI viſione: quæ ſi ex eo, quòd quis eſt puri cordis DEum videbit infallibili ſequitur conſequentia, quòd quam diu cor impurum erit, DEus non videbitur. Hoc bene expreſſit propheta: *quis*, inquit, *aſcendet in montem Domini? innocens manibus & mundo corde.* Ob quod monet Apoſtolus Jacobus *Emundate manus*: ait: *& purificate corda.* Inviſibilem ſiquidem S. Aug. teſte *DEum colimus qui multorum corporeis oculis, cordibus autem paucorum mundiſſimis notus eſt. Impuris non ſe oſtendit veritas, non ſe credit ſapientia.*

Pſ. 23. 3. & 4.

Iacob. 4. 8.

Aug. in Pſal. 113.

S. Bon. ſerm. 62. in Cant.

PVNCTVM II.

COnſidera ſecundò, quæ ſit hæc puritas cordis, non conſiſtit duntaxat in eo, quod quis ſit exemptus ab omni impuritate gravi, carnali, & ſenſuali: verum in plenaria exemptione omnis adhæſionis ad quamcunq; rem, quæ non ſit DEUS: cujus perfecta adhæſio hanc conſtituit cordis puritatem. Pro ut vinum purum appellamus cui nullus liquor permixtus eſt. Cum porrò omnes noſtræ afflictiones non aliundè proveniant; quam ex eo quod quis ab iis rebus quadam violentiâ abſtrahitur & elongatur. Quibus plus quam par eſt adhærebat: & ſi ſolum ita DEO adhæreremus ut nemo, & res nulla creata poſſit nos ab eo ſeparare, verè eſſemus in hac vita felices; ſingularique gaudio ex hoc ſancto Salutari perfunderemur. Interrogatique cur tanto exultaremus gaudio & lætitiâ, Apoſtolo eodem excitati Spiritu nos omnino conformantes reſponderemus, nos ex illo ita exultari motivo, quod Chriſtum nobis eripere poſſet nemo, quia mundi mundo conglutinati, nihil quæreremus, amaremus, deſideraremus, quam munditiam, DEum utique viſuri. Illud exprimere vult ſapiens dum ait: *quis poteſt dicere mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato.* Ac ſi diceret nullus vel vix ullus; & ſi quis eſſet, quisquis ille eſſet, felix eſſet.

Proverb. 20. 9.

PVNCTVM III.

COnſidera tertiò cum hæc puritas ſit ita neceſſaria; & cum aliunde poſſibile hac in valle miſeriarum non ſit vivere quin continuò pravæ affectiones, & inclinationes malæ, ſeſe ingerant, noſtris velut pulviſculi ad hæreſcentes pedibus: ut ait S. Leo. *dum per varias actiones vitæ hujus ſolicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere.* Omnis ergò conatus noſter, & omnia pietatis noſtræ, & devotionis exercitia

S. Leo. ſerm. 4. de quadr.

cò

cò directa esse debent, ut hi omnino abstergantur pulvisculi; hoc est dicere ut purificentur animæ affectiones & intentiones; quæ spirituales pedes sunt, quibus illa ad DEum accelerat, illosque puros habere ab adhæsione quacunque inordinata. Hinc optimè Apostolus: *Si quis emundaverit se*: inquit: *ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile domino ad omne opus*
2.Tim.2.22. *bonum paratum.* Et alibi: *has ergò*: inquit: *habentes charissimi promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento*
2.Cor.7.1. *carnis & Spiritus perficientes Sanctificationem in timore DEI.* Nondum recognoscis quantum adhæreas mundo, bonis tuis, amicis tuis, reputationi tuæ, sensualitati tuæ, ambitioni tuæ? putas fortasse nulli te rei inordinatè adhærere, verum animadverte, quantus tuus sit dolor, dum jacturam incurris vel minimam; hæc est porrò vera adhæsionis inordinatæ nota, extrahis crines ex falso & alieno capillitio; eris qui illud portat non habet dolorem, & ne quidem sentit: extrahis crines pelli duntaxat adhærescentes, & magnum causas dolorem: hæcque differentia, provenit Solum ex hoc, quod hi adhæreant, illi non: Agnosce ergo humiliter te varias habere adhærentias, quas ipse ignoras. Nec quisquam porrò sic sibi de puro, & immaculato pectore blandiatur. At Innocentiâ fretus, medicinam non putet sibi necessariam. Cor tuum totum DEO offeras; ut illud purificet, inflammet, & totaliter occupet: ita ut alteri in illo locus non inveniatur amori. Quantalibet enim esse potest adhæsio, etiam vel minima, quâ creaturis adhæremus, illa claram DEI impedit visionem. *Modicum & non videbitis me.* Joan.16.6.

MEDITATIO LX.

De Pace.

SEPTIMA BEATITUDINE.

I. Cur pacifici beati dicuntur.
II. Pax triplex.
III. Inter pacem mundi & Christianorum pacem differentia.

Beati pacifici; quoniam filii DEI vocabuntur. Matt. 5.9.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quod magna de causa Salvator & dominus noster JESUS Christus appellet pacificos felices; ex eo quod pax sine contradictione sit bonum omnium bonorum maximum; pro ut fides nos docet, ratio demonstrat, & experientia ipsa convincit; neminem hac in vita mortali felicem aut infelicem nisi per pacem & quietem, aut inquietudinem, & turbationem animæ suæ: Verum Salvator noster suo in Evangelio pacificos beatificat particulari ratione eam ob rem; quod ab eo tempore, quo illi in mundum venire placuit, pax est donum & nota particularis Christianorum, & unica occupatio illis singularis recommendanda. *In pace vocavit nos DEus*: ait Apostolus: & in alia 1.Cor.7.15.
versione *ad pacem* DEUS vocatione Sanctâ suâ vocavit nos, ut pacem haberemus; ipseque tali intentione se appellat pacis auctorem, inventorem, &

Esaia. 9. 6. principem apud suum prophetam: *princeps pacis.* Hanc nobis ut in mundum adferret, & induceret, in mundum veniens factus est homo, Unde illum titulo pacis nostræ qualificat Apostolus, *ipse est pax nostra.* *ad Eph.. 2.* In ejus nativitate pax per universum Romanum imperium generalis dominabatur, & regnabat generaliter prædictioni sapientis conformiter: *cum quietum Silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus à Regalibus sedibus venit.* *Sap. 4.. 17.* Veniebat ipse universo salutem dele, & quod optimum est, & pacem allaturus & daturus. *Sicut nemo est qui*: ait Sanctus Augustinus: *gaudere nolit, ita & nemo est qui pacem habere nolit.* *S. Aug. de civ. lib. 19. cap. 12.* Hanc Angeli allacritatis magnæ indicio, cantu solemni promulgarunt Evangelistâ testante. *Luc. 2. 13.* *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium DEum & dicentium, gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Paulò antè mortem suis Apostòlis testamentaria dispositione suam pacem reliquit, & legavit: *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat ego de vobis.* *Ioan. 14. 27.* Post suam resurrectionem hanc in iis ut confirmaret, non aliud illis deprecatur, eos dum suâ dignatur apparitione & salutatione. *Venit Jesus & stetit in medio eorum, & dixit, Pax vobis,* *Ioan. 20. 10.* illisque præcepit, ut in quamcunque domum aut locum intraverint, primum quod dicerent, aut optarent, intrantes domum ad Evangelium promulgandum foret pax. *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite pax huic domui.* *Luc. 10. 6.* Et apud Matthæum: *intrantes autem in domum salutate eam, dicentes pax huic domui.*

PUNCTUM II.

Considera secundò; quod pax sit triplex. Prima est, quam habemus cum DEO. De qua Christus. *Hæc locutus sum vobis*: inquit: *ut in me pacem habeatis. Acquiesce igitur* ei ait Sanctus Job: *& habeto pacem, & habebis fructus optimos,* Altera est, quam quilibet secum habet. Tertia, quam quis habet cum proximo suo. Secunda dependet à prima, & tertia dependet à prima & secunda, Ita ut non possimus cum nobis ipsis pacem habere, quin prius habeamus pacem cum DEO, & in DEO: Unde benè S. Aug. *Qui enim pacem felix cum DEO habere noluit, secum pugnat, pugnat* infelix. *S. Aug. l. 21. de Civit Dei cap. 14.* Et alibi verba Prophetæ explicans. *Justitia & pax osculatæ sunt.* *Psal. 84. 11.* *Vis habere* inquit *pacem? fac justitiam, duæ amicæ sunt, tu forte unam vis, alteram non facis, nemo est qui nolit pacem sed non omnes volunt operari justitiam,* Ex qua pax cum *proximo dependet ut illi semper bene faciens in nullo* noceam.

PUNCTUM III.

Considera Tertiò, hac benè de pace vera, perceptâ & penetratâ veritate, quantum pax mundi ac pace Christianorum discrepet. Pax mundi est in hominibus, in divitiis, in sensuum voluptatibus, & aliis vitæ mundanæ & carnalis commoditatibus: At pax Christianorum in solis virtutibus reperitur, in gaudio Spiritûs, & in bona, ac pura conscientia, quam agnovit

vit & expressam reliquit Propheta: Pax multa diligentibus legem tuam Psal. 118. 163. Pax ita excellens, commoda & salutaris, ut respectu ejus omnis alia non sit nisi turbatio, amaritudo, & sola pacis adumbratio re ipsâ, pura & summa inquietudo. *Odit* porrò *Superbia* justam pacem DEI & amat *iniquam pacem suam.* S. Aug. Quam volens Christus omnino exclusam. Ioan. 14. 27. *Pacem meam do, inquit, vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Sic pacificavit Christus per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Coloss. 1. 20. *Idcirco possessio animæ in virtute patientiæ ponitur; quia radix omnium custosque virtutum patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras, quia cum nobis dominari discimus, hoc ipsum incipimus quod sumus.* S. Gregor. homil. 35. in Evang. Vis ne scire medium exellentem hanc acquirendi pacem? Quæ ab Apostolo appellatur Philip. 4. 7. *Pax DEI, Pax quæ exuperat omnem sensum*, Pax quam docet nos Salvator noster esse patientiam. Luc. 21. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et alio in passu, postquam suos Apostolos dilectissimos salutasset salutatione consuetâ salutari & gratiosâ verbis subjunctis: *Pax vobis*: Eodem illis Momento ostendit *manus suas & latus* illos ut doceret quod amarissimi suæ sacratissimæ passionis dolores, illis, nobis, & omnibus ipso facto pacem acquisivissent. Et si bene consideres & animadvertas accuratius, invenies infallibiliter illud, quod te plus perturbat, & inquietat esse unicum, repugnantiam; quam habes ad patiendum. Expressit hoc S. Job, Iob. 9. 4. *Quis enim ait, restitit ei, & pacem habuit* & èconverso Iob. 5. 24. *Patientia opus perfectum habet.*

MEDITAITO LXI.

De pace & Concordia cum proximo.

I. Pax habenda est cum proximo.

II. Modus pacem cum proximo conservandi.

Pacem habete inter vos Matt. 19. 49.

PUNCTUM I.

Considera primò ad assequendas felicitates quas Salvator noster pacificis promittit; quod non sufficiat pacem in nobis ipsis firmasse ac stabilivisse, verum oportet & illam habere cum proximo extra nos, & circa nos; Hoc est cum illo vivere, agere, conversari, in perfectissima intelligentia, in unione strictissima Spiritûs charitatis, & pacis ad exemplum primorum Christianorum: de quibus dicitur: *Erat cor unum, & anima una.* Actor. 4. 32. Illo modo hanc infinitis locis & passibus vult nobis pacem Salvator noster recommendatam, dum fratres nos appellat & membra unius corporis, idquè vel maximè ubi desiderat inter nos Unitatem ei cum proportione similem, quæ inter divinas tres personas reperitur: *Rogo*, inquit, *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint; ut sint unum sicut & nos unum sumus, ut sint consummati unum.* Ioan. 17. 20. Poteratne perfectior Pax desiderari, aut excogitari intimior? Apostoli hisce sui Magistri vestigiis insistentes nihil expressis recommenda-

tum habere volunt: *Ante omnia*, ait Princeps Apostolorum: *mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes. Soliciti servare Unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et ad Corint. *Pacem habete & DEus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Ita Apostolus hanc pacem recommendatam vult fidelibus. *Omnes vos*, ait, *unum estis in Christo JESV.* Et ad Philipp. *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas Spiritûs, si quæ viscera miserationis: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes unanimes, id ipsum sentientes.* Et ad Ephes. *Vnum corpus, & unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Hoc per suum Prophetam olim prædixerat & promiserat, *Dabo eis*, ait: *Cor unum, & viam unam, ut timeant me universis diebus: & bene sit eis, & filiis eorum post eos.* Hoc est sal quod Christus in nobis vult reperiri. Habete, ait: in vobis sal, & pacem habete inter vos. Hisce omnibus auditis, intellectis, & libratis accuratius, an non magnam & urgentem rationem habemus: Ut solicitè hanc amemus, æstimemus & servemus pacem & concordiam, illamque modis omnibus & viis possibilibus procuremus, immò illam quovis pretio emamus, omnique tandem solicitudine curâ & labore in nullo nobis parcentes conseruemus & custodiamus?

1. Pet. 4. 8.
Ad Eph. 4. 3.
2. Cor. 13. 11
Coloss. 3. 28.
Philip. 2. 10.
Ephes. 4. 5.
Ierem. 32, 39

PVNCTVM II.

CONsidera secundò modos, vias & media, quibus pax hæc & concordia conservetur, custodiatur & firmetur. Duos nobis modos hanc pacem conservandi & stabiliendi excellentes & præcipuos designat Apostolus ad Philippenses. Ubi postquam illis solicitè recommendasset hanc pacem & concordiam, *Nihil*: inquit: *per inamem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed quæ aliorum.* Ubi clarè nobis declarat, & intelligere facit; Quod nihil sit reperibile, quod ita pacem perturbet, unitatem dissolvat, & charitatem enervet ac prorsus extinguat; quam inanis gloriæ desiderium & commodi proprii inordinatus affectus. Primum ergo & optimum medium pacis & unitatis conservandæ, est omnes inordinatas affectiones ad bona temporalia rescindere & omnino excludere. Ex hujusmodi porro affectionibus inordinatis ad bona temporalia & proprium commodum omnia bella oriuntur, dissensiones & controversiæ; quod optimè S. Jacobus Apostolus expressit. *Vnde*, ait: *bella & Lites vobis? nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis?* Unde odia, rancores, diffidia, & contentiones, quibus mundus abundat? *Inter superbos semper sunt jurgia. Custodienda præ omnibus virtutibus pax est, quoniam DEVS semper in pace est. Ab hoc itaque quæ pacis sunt sectemur; & quæ ædificationis sunt invicem custodiamus.* Secundum est humilitas sincera & vera, quâ æstimamus quemcunque nobis superiorem in aliquo. Ordinariè porrò fit,

Philip. 2. 3. & 4.
Prov. 13.
S. Chrysost. serm. 31.
Rom. 14. 16.

fit, & advertitur quod appetitus honoris, eminentiæ & superioritatis super alios generet rixas, lites, contentiones, altercationes, rancores, exacerbationes, & infinitos similes effectus vel potius defectus. Eade causa conemur nos ab hujusmodi eximere obliquitatibus & deordinatis affectionibus ad hunc pretiosum pacis & unitatis Thesaurum cum unoquoq; servandum. Et si quis hanc tecum servare nollet, habeas ad minus & serves illam, in corde Apostoli monito acquiescens: *Si fieri potest, quod in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Nec illo adhuc contenti, verum totos nos impendamus illam stabilire & firmare inter illos; qui eâ carent. Hoc medio merebimur mercedem huic beatitudini promissam & propriam & titulo verorum filiorum DEI gaudebimus. *Beati pacifici quoniam filii DEI vocabuntur,* Matth. 5. v. 9.

Philip. 2. 3. & 4.

Rom. 12. 18.

MEDITATIO LXII.

De persecutione & tolerantia.

OCTAVA BEATITUDINE.

I. Cur hæc octava beatitudo sit beatitudinum ultima?

II. Pati oportet propter justitiam.

III. Quam tolerantia sit utilis.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Matt. 5. 10.

PUNCTUM I.

Considera primò, qua de causa Salvator ac Dominus noster, postquam proposuerat & tractaverat septem beatitudines quæ in actionibus consistunt, reservare voluerit ultimo loco illam, quæ sita est in tolerantia & persecutione. Hoc fecit, ut doceret nos in Christianismo pati esse nobilius, quam agere. Et quod apex perfectionis hujus vitæ (in qua voluit nobis velut tot illius principia in octo beatitudinibus delineare) in tolerantia seu pati consistat. Etiam animadvertimus, quod nota singularior & præcipua amoris divini in Electos suos sit persecutio. Ut evidentius patet apud S. Evangelistam Marcum, ubi enumerans remunerationum, quas illis præparat & reservat, magnam multitudinem, adjunxit, quod in augmentum suarum gratiarum & favorum illis cruces & persecutiones sit daturus: *Amen dico vobis,* ait, *nemo est qui reliquerit domum aut fratres &c. qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, aut fratres aut agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Ita dicit S. Paulus non debere nos mirari, dum persecutiones nos pati contigerit. Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Ecce portio & hæreditas Christianornm. *Inter præsentis vitæ pericula non tam optandum est nobis declinando ista effugere, quam tolerando superare.* Ex quo S. Aug. *Si exceptus es à passione filiorum, exceptus es à numero filiorum. Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Cujus causam S. Aug. assignans, Relig. cap. 13. *Ut, inquit, quoniam bonorum inferio-*

Marci 10. 29. & 30.

S. Leo. Serm. 16. de pass.

Hebr. 12. 5.

S. Aug. de vera

inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. Et
Apoc. 3. 19. Dominus: *Ego quos amo*, arguo *& castigo*. Ex quibus concludens S. Gregorius *Electorum est hic conteri*: ait: *ut ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri*: *Nostrum est hic flagella percipere, quibus servatur de æternitate gaudere.* An non vero verius est hanc doctrinam adversari è diametro principiis mundi & Maximis sæculi, quæ persecutiones, flagella & tolerantias reputant summam infelicitatem? Excita & exsere fidem tuam magis in præsenti, quam rationem & sensus; qui contradictatis & contradictionis inveniunt.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò Dominum & Salvatorem nostrum non appellare simpliciter felices, qui patiuntur: oportere aliâs felices appellare omnes criminosos, omnes malefactores, fures & latrones; sed illos qui patiuntur propter justitiam, hoc est propter virtutem, vel propter aliquam bonam causam. Ut ob fidei propugnationem, ob virtutis defensionem; ob hoc quod quis sese injustæ opponat violentiæ, ob vitæ devotæ & religiosæ cultum, & exercitium, ob hoc, quod quis sese societatibus mundanis subtrahat, retrahat, se à conviviis, ludis, & mundanis deliciis. Vel ob alias similes res & rationes laudabiles & bonas. *Si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud DEum,* 1. Pet. 2. 20.
1. Pet. 3. 14. *in hoc enim vocati estis*, & alibi. *Si*
Ibidem. 20. *quid ait: patimini propter justitiam, Beati eritis, quæ enim est gloria si peccantes, & colaphizati suffertis? Martyres* teste S. August. *non facit pœna sed causa. Mors sceleratorum non est fidei* S. Aug. in Ps. 34. Idem. Serm. 36. de divers.
gloria, sed pœna perfidiæ. Quod duo cum Christo crucifixi sunt; ostendit alios sibi dextros, alios sinistros esse passuros. Melius est benefacientes (si voluntas DEI velit) pati, quam malefacientes. 1. Petr. 3. 17.

PUNCTUM III.

COnsidera Tertiò quam persecutio sit salutaris, utilis & fructuosa illis: qui sese divino servitio consecrârunt: Nihil enim illis periculosius accidere potest, quam vanitas proveniens ex applausu, approbatione & laudibus hominum Persecutio est illis velut excellentissimum antidothon expellens in illis venenum omne vanæ complacentiæ & nimiæ confidentiæ in se ipsis. Ita S. Paulus sentit, & loquitur, de seipso. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet, propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis; in contumeliis, in tribulationibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* In eo enim solum salus invenitur. Quia nulla pœna affligi magna pœna: Et quanta? 2. Cor. 12. 7. & 10.
Audi S. August. *vis nosse*, ait, *nulla pœna, quanta sit pœna? Psalmum interroga, Exacerbavit dominum peccator, exclamavit vehementer, attendit, consideravit, quare? Secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Ideo non exquirit, quia multum irascitur.* Hoc S. Aug. serm. 2. de verbis domini.
ductus principio B. Job ajebat, *quis det ut affligens me dolore, non parcat?* Et philippensibus pro magna gratia reputat, quod illis sit donatum pro Job. 6. 6. & 10.

Christo

Philip.2.27. Christo pati, *donatum est vobis pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Si idem tibi acciderit; si mundus te irrideat, Exempli gratia, quia vitæ degendæ aliam vis inire consuetudinem, si quis calumniis te afficiat, si infestet cavillis & dicteriis; DEUM lauda, & sta firmus contra omnes hujusmodi vanos insultus Memineris ejusdem Apostoli sententiæ verissimæ, *omnes qui piè volunt* 2.Tim.3.12. *vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.*

MEDITATIO LXIII.

Continuatio præcedentis Meditationis.

I. Quam persecutionem intelligit Salvator noster in ultima beatitudine.

II. Pati ab omnibus oportet.

III. Ad exemplum Salvatoris nostri.

Beati qui persecutionem patiuntur. Matthæi 8.10.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, dum hic Dominus & Salvator noster loquitur de persecutionibus; non intelligit duntaxat illas persecutiones, quas Tyranni exercuerunt aliâs in Martyres. Cujusmodi sunt Carceres, catenæ, vincula, flagella, cruces, aculei, ignes & tormenta alia, quæ illis intulerunt. Verum per persecutiones intelligit omnia, quæ pati exterius possumus ab hominibus, quales quales illi fuerint, sive in honore, sive in corpore, in bonis fortunæ, sive in persona propria, sive in proximo nostro, aut in quacunque alia re nos concernente ob opus bonum, virtutem, aut quamcunque causam, & laudabilem consuetudinem. Ob quod bene S. Leo: nunquam deest: ait, tribulatio persecutionis. Et eo ipso quo S.Leo. Serm. 9. quadrag. quis divino deputatus est servitio, illo ipso tempore deputatur ad patiendum persecutiones. Cum hæc veritas à Spiritu Sancto tradita & declarata sit infallibiliter adimplenda in omnibus DEI servis; quod omnes, qui piè volunt vivere in Christo JESU persecutionem patientur. Hoc Christus indicavit Joannis 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Et Matthæi 12. Ioan.15.2. *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filium adversus Matrem* suam. *Quod si*, inquit, Apostolus: Matt.12.34. *extra disciplinam estis cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filii estis; omnes porro qui piè volunt* Hebr.2.8. *vivere in Christo JESU persecutionem patientur.* Esne ad hoc resolutus? Est 2.Tim.3.12. enim necessitas una clarius adhuc alibi ac expressius declarata: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare* Actor.14.21. *in regnum cœlorum.*

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, an in illa dispositione animique præparatione constitutus sis, oportet de respectu omnium personarum indifferenter ita animatum esse. Hoc est oportet te esse paratum pati à minimis, & à maximis, à bonis & malis, à parentibus & domesticis, à notis & ignotis, ab

Ee adve-

aduenis & indigenis concivibus & à quibuscunque: Hi enim erunt potissimi, qui sæpe plus tuis sese opponent salutaribus intentionibus, in cœptis & actionibus, sicut nullas unquam ab ullis Salvator noster habuit majores contradictiones, opprobria & persecutiones quam à scribis & pharisæis, *Inimici hominis domestici ejus.* Ea de causa alibi dicit quod venerit separare patrē à filio; & quicunq; ad illum veniens non odit patrem suum, & matrem suam, & uxorē suam, & filios suos, *non potest*, ait ille, *meus esse discipulus.* Hoc intelligendum est dum sese opponunt perfectioni nostræ, & profectui. Cupientes porrò Spiritualiter proficere, & piè vivere, pati est necesse, & ab omnibus indifferenter. *Non est verus patiens, inquit, devotus* Thomas à Kempis; *qui pati non vult, nisi quantum sibi visum fuerit, & à quo sibi placuerit.* *In omnibus*, ait Apostolus nullo excepto: *exhibeamus nosmetipsos in multa, patientia.* Ob hoc monet Thomas à Kempis Nec dicas, inquit, non valeo hæc ab homine tali pati, grave enim intulit damnum, & improperat mihi, quæ nunquam cogitaveram, sed ab alio libenter patior, & sicut patienda videro. Insapiens est talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non considerat.

Matt. 10. 36. Luc. 14. 26. Lib. 3. de Imit. Christi. cap. 19. 2. Cor. 6. 4. L. 3. de Imit. Christi c. 19.

PVNCTVM III.

Considera Tertiò exemplum Salvatoris nostri, & animadverte quomodo passus fuerit persecutionem ab omnibus, & notanter tempore suæ sacratissimæ passionis, ut exprimitur ab Evangelistis. *Cohors ergo & tribunus, & ministri judæorum comprehenderunt JESUM & ligaverunt.* Et expressius S. Lucas. *Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt eum ad Pilatum. Exclamavit simul universa turba dicens tolle hunc & dimitte nobis Barabbam. JESVM tradidit voluntati eorum.* Quod psalmista prævidens prædixerat, *quoniam*, ait, *ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput.* Et iterum Evangelista. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Et universaliter Regius propheta, *omnes*, inquit *videntes me, diriserunt me, locuti sunt labiis & moverunt caput.* Dum criminosi justitiæ exigente rigore puniuntur, permittitur duobus vel tribus carnificibus illis manus iniicere, & exequi sententiam, loqui, at in passione domini & Salvatoris Christi JESU, omnibus omnino permittebatur, ut quicunque vellet illum affligeret, pœnam inferret, & cruciaret, sive ille foret capitaneus sive miles, sive Judæus, sive paganus, sive gentilis, Idolatra, sacerdos, aut laicus, sive discipulus aut extraneus, sive vir, sive fœmina, sive senex, sive Juvenis, sive Dives, sive Pauper. Omnes qualescunque forent ibi habebant locum, Illisq; omnia ad placitum permittebantur. Quid ad hoc dicis? quid cogitas? quis tibi sensus? Es tu innocens ut ille? audesne ut ille quæ, rerean quis te possit arguere de peccato? Illi qui te persequuntur sunt ne magis criminosi, & peccatores quam illi, qui illum persecuti sunt? Idemne tibi opprobrium intulerunt? talesnè irrogarunt injurias? conspueruntne te in faciem? Est nè læsus honor tuus? fama deturpata, & cum iniquis & latronibus velut scelestissimus inter illos reputa-

Joan. 18. 12. Luc. 13. 18. & 25. Psal. 82. 3. Luc. 22. 53.

reputatus ? Res profecto turpissima & prorsus abominanda quod sub capite tam crudeliter tractato, & habito, membra inveniantur tam delicata. Ob hoc bene Salvator, Væ, ait, *cum benedixerint vobis homines secundum hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum*, & S. Bern. turpe est, inquit, sub spinoso capite tam delicata membra consistere.

MEDITATIO LIV.

Quæ remuneratio & merces repromissa est beatitudinibus.

I. Eadem merces repromissa est cuique beatitudini.
II. Quam illa sit magna.
III, Unde sit appellata.

Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matthæi. 5. 12.

HÆc sunt ultima, verba quibus Dominus noster finit, & Absolvit Beatitudines repromittens illis, qui hic illas practicabunt æternam mercedem in cœlo.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, & si Salvator noster assignare videatur cuilibet Beatitudini unam recompensam particularem & propriam, non est tamen ipso facto & in re nisi unica omnium octo Beatitudinum merces & remuneratio, utpotè regnum cœlorum, vita & felicitas, & æternalis gloria, quæ ob infinita, quæ comprehendit bona, paucis non potest declarari & proponi verbis, necessarium fuit, quod Salvator noster, eo melius, ut percipere & intelligere possemus, variis bonorum variorum diversitatibus singulis in particulari assignatis & promissis, declararet & exponeret.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò quam remuneratio & merces hæc magna esse debeat, cum sit ipsa æternalis DEI, & summi boni fruitio & possessio. *Ego sum merces tua magna nimis*: Magna, cum illa sit visio, & dulcis Societas Beatissimæ Virginis, Mariæ Dominæ nostræ, Angelorum, & omnium Sanctorum. Magna, cum sit stabilis constitutio in statu omnium bonorum aggregatione, & omnium perfectionum excogitabilium corporis & animæ pro omni æternitate Cumulatione perfecto. Magna cum omni quis abundet consolatione, satietate omni repletus plenitudine suorum desideriorum recepta, omne possidet desiderabile, & omni caret quod timeri, molestare, & displicere potest. Unde Regius propheta exclamans: *Beati* ait: *qui habitant in domo tua domine.* Hanc exprimere cupiens S. Augustinus: *Omnem sermonem atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus istud, illa pulchritudo, illa gloria.* Et alibi: *Videbimus, vacabimus, amabimus, laudabimus.* Quam plenitudinem volens psalmista efferre: *Adimplebis me Lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* S. Bernardus hisce subscri-

Genes. 15. 4.
Psal. 83. 5.
S. Aug. serm. de Sanct.
Psal. 15. 10.
Psal. 35. 6.
Matt. 13. 4.

S.Bern. serm in psal. Qui habitat. scribens Latet, ait: *gloria fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hac levi pondus sublime & supra modum operatur in nobis.* An non ergo magnam habeamus causam, cum merces & remuneratio tanta sit gaudendi & nos felices æstimandi cum in varias inciderimus tentationes, afflictiones, & persecutiones, quia afflictiones habuisse Apostolus quid appellat momentaneum: *Mo-*
2.Cor. 4.17. *mentaneum*: ait: *& leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* An non vigilantissimum hoc adhuc motivum est, ut paupertatem spiritus, mansuetudinem, misericordiam, Cordis puritatem, pacem & alias virtutes universas ambabus amplectamur ulnis? verum quia plures seipsos decipiunt in modo & via quam tenent ad pertingendum ad possessionem horum omnium bonorum, sequentia maturè ponderanda sunt.

PVNCTVM III.

CONsidera tertiò ulterius quod hæc felicitas æterna Christianis præparata, merces appelletur & remuneratio, ut innotescat & certo sciatur; quod hæc summa & æterna bona non dentur purè gratuitè ex mera gratia; verum magis quod oporteat ea mereri. At quomodo ea mereri potes, nisi laborando & te totum impendendo ad virrutes assequendas, merita accummulanda, & gratias promerendas Crucem tuam prout omnes sancti fecerunt ferendo patienter? re ipsa evidentissimum est, & ipso facto accidit, quod merces & remuneratio solis repromissa est laborantibus, solis datur in vinea domini usque ad vesperum desudantibus. Hoc salvator noster verbo docuit. *Regnum* ait: *Cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Hoc & exem- Matt. 11.12.
plo firmavit. *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.* Et profecto nefas fuisset illum tam diffi- Hebr. 12. 2.
cilem incedere viam, si alio faciliori medio pervenire & pertingere potuisset ad illam requiem & felicitatem. *Si* Luc. 12. 26.
ergo oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam. Hoc est dicere si filius domûs & hæres universalis propriam non potuerit adipisci & adire hæreditatem, nisi per portam Crucis, tolerantiæ, laborum, & multæ patientiæ prætendentne extranei intrare eandem assequi & adire, hæreditatem per portam voluptatum, deliciarum & otiositatum? merita operari, laborare, & pati debes omne quod operari potest manus tua, & natura ac patientia tua sustinere. Etsi in omnem duraret æternitatem, nunquam tamen vel à longe illis proximabis gloriæ, ut illam merearis, quæ tibi repromissa servatur Apostolo testante *Existimo, quod non* Rom. 8. 18.
sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ideo merito S.Gregorius negligentes in via virtutis redarguens: *multi volunt esse humiles, sed sine despectu, esse* S.Greg lib. 7.
contenti propriis, sed sine necessitate, esse moral. c. 12.
Casti, sed sine maceratione corporis, esse patientes, sed sine contumeliis, adipisci virtutes volunt, sed labores virtutum fugiunt. Hos S. Bernardus animat. *Guttatim*: inquit: *pœna bibitur, aliquando sumitur, per minutias transit, at in remuneratione torrens est voluptatis & flu-*

minis

minis impetus, torrens inundans Lætitiæ, lumen gloriæ, flumen pacis. Et Salvator: *vado parare vobis locum, ut ubi ego sum & vos sitis.* Ioan. 14. 2. & 3.

De mediis ad acquirendum & perseverandum in praxi virtutum Christianarum.

HIc annotabimus sex media principaliora in illo adhuc quod de via illuminativa restat pertractandum.

Primū est habere principium aliquod, quod nobis velut basis & fundamentum deserviat in omni nostra spirituali directione. Cujusmodi sunt præsentia divina, æternitas boni & mali â nobis exspectandi.

Alterum est puritas intentionis.

Tertium est frequentatio sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ.

Quartum omnimoda submissio & obedientia ad suum directorem.

Quinta exercitium orationis.

Ultimum fidelitas in rebus omnibus.

Primum Medium.

OPortet habere quædam principia vitæ spiritualis. Hoc est maximas quasdam fundamentales salutis nostræ, quæ nobis familiaria sint & obvia.

MEDITATIO LXV.

I. Quid sint hæc principia.
II. Efficacia illorum.
III. Media, quibus efficacia reddantur.

Vivus est sermo DEI & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. Heb. 4. v. 12.

HI sunt fructus, commoda & utilitates, quæ facit hisce principiis & veritatibus Christianis utpote animos, & corda rebellium domare & flectere ad obedientiam legum divinarum.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quid per principia hujusmodi intelligatur, non aliud, quam certe veritates fundamentales Christianismi, in quibus aliæ omnes continentur veritates potentius & perfectius sese animis inprimentes velut radices omnium bonarum cogitationum, inspirationum, ut quod DEus sit omnipotens, principium & finis omnium, quod nos creaverit, nos conservet propter se ad sibi Serviendū, ad seamandum. Quod sit remunerator bonorum & malorum. Quod summa omnium curarum in hoc mundo sit cura animæ; ut illa subsit DEO, & ejus divinis subiaceat legibus juxta monitum prophetæ: *subditus esto domino, & ora eum.*

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quod virtus & efficacia harum veritatum animo alicujus vivaciter impressa tanta sit, ut unica sola bene intellecta & sœpe ruminata sufficiens & capax sit hominem convertere, omnino immutare, & quantumcunque laxum, mundanis, vanis, & illicitis deditum ac immersum plene sanctum reddere: Eam ob causam has penetrare *usque ad divisionem animæ & spiritus asserit* Apostolus & Propheta Regius verba divina ignita vehementer pronunciat. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Hoc est illa velut ignem illuminare, inflammare, ignire, urere, destruere, in cineres redigere, recreare, fortificare, purgare, perficere. Eosdem effectus habent & pro- Heb. 12. 4. Psal. 118. 14.

ducunt veritates Christianæ in fideli-
um cordibus, ut divina, Clare edocent
Esdræ 3. eloquia. *Super omnia vincit veritas.*
Ioh.6.64. & 69. *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus, & vita sunt. Anima mea liquefacta est, ut*
Cant.5.5. *dilectus locutus est.*
Lucæ 24. *Nonne cor nostrum erat ardens, cum loqueretur nobis?*
Ioh.11.3. *jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*
Matth.4.v4. *Tanto tempore vobiscum sum & non cognovistis me.*
Matth.24.15. *Videte quid audiatis. Qui legit intelligat.*
Ierem.12.11. *Nullus est qui recogitet corde.* Recogitate.
Hebr.12.3.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò quod modi & media has veritates in nobis reddendi efficaces & efficiendi, ut in nobis sint bonarum actionum, & operationum principia primò; Quod oportet cognoscere illas & penetrare intimius: pro-
Ioh.8.32. ut salvator dicebat; *cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Aliter nisi cognoveritis eam, in vobis nihil operabitur, nullum adferet fructum, aut utilitatem. Oportet ergo ut melius & intimius cognoscantur & penetrentur hæ veritates uni inhærendum vel valde paucis, illas ruminando sæpius, recogitando, & ponderando ut reddantur familiariores, notiores, & quasi incorporentur, illis ut in omni occasione seu occurentia uti quis possit in omni sui directione ne in aliquo deviet â vero & recto. Secundò Considerandæ sunt Crebrius & meditandæ; Ex eo quod naturali consequentia consideratio accurata gignit notitiam, notitia affectionem, affectio operationem, operatio facilitatem & habitudinem, habitudo firmitatem & stabilitatem, in eo quod rectum, laudabile & virtuosum est. Tertiò illis uti diligenter in occasionibus, hoc est dum est quæstio quod nos oporteat malis obviare suggestionibus, tentationibus resistere, vel opera bona exercere & practicare. Nunc considera, animadverte, & bene perpende, quæ ex omnibus fidei & Christianismi veritatibus te magis concernat provocet ad bonum, avocet â malo, & ad virtutem excitet. Estne veritas de præsentia Dei? Estne veritas de morte passione salvatoris Jesu Christi? Estne quatuor novissimorum recordatio? Estne veritas de mundi vanitate, de rerum terrenarum fluxibilitate, de Carnis falsa & detestabili voluptate, de dæmonis seductione, Tyrannide, & fallacia aut de alio quovis ad malum & peccatum inductivo? Sunt ne forte hæc verba Domini & salvatoris nostri? *quærite pri-* Matth.6.33.
mum regnum Dei, & cœtera adjicientur vobis. Quid prodest homini si mundum Matth.16.28.
universum Lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. vel illa? *Si quis* Luc.9.44.
vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Qualescunque fuerint, elige tibi ex his omnibus quasdam certas, & speciales, tibi accommodas, illas allabora bene intelligere, penetrare, & firmiter retinere, & possidere. Unde Consequentias, circumstantias memoria retine, meditare utilitates sæpe rumina nec unquam cessesâ consideratione taliũ, & tandem in continua hujusmodi meditatione te exerceas, conserves, & custodias & experientia disces, videbis & clarè percipies; Quod una harum veritatum ita cognita & perspecta, te de inimico-

micorum tuorum potestate, Tyrannide, & malignitate liberabit. Et tibi animos addet ad omnigenam virtutem practicandam, juxta verbum Domini: *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* (Ioh. 8, 32.) *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis.* (Ierem. 23. 29.) Ita loquitur Deus ipse per prophetam Jeremiam. *Et quasi malleus conterens petras.*

MEDITATIO LXVI.

De exercitio meditationis præsentiæ divinæ.

I. Effectus præsentiæ divinæ.
II. Modus hanc practicandi.
III. Occasiones in quibus practicanda.

Ambula coram me, & esto perfectus Gen. 17. 1.

HÆc ipsa praxis, quam dat, & præcipit ipse Deus Abrahamo, ut cito perfectus efficiatur.

PUNCTUM. I.

COnsidera primò; melius ut percipias quantum hæ Christianæ veritates; quarum heri meminimus, valeant in animum hominis. Quantum veritas divinæ præsentiæ; quæ una est præcipuorum principiorum, & veritatum fundamentalium, possit & valeat. Primò enim hæc hujus divinæ præsentiæ veritas nobis ad hoc deservit; ut Dei offensam impediat, passiones domet, ad bonum excitet, & virtutem promoveat. Si enim præsentia magistri, patris, æqualis, famuli, pueri à malo nos retrahere possit, quanto magis præsentia Dei? Nullo alio scuto sese defenderunt contra tentationem Joseph & Susanna: *melius est* ajebat illa: *mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* (Daniel 13. 23.) Econverso oblivio divinæ præsentiæ est ad omne vitium & peccatum latissima apertura, & ostium teste psalmista *non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius.* (Psal. 9. 10.) *Si Dominum præsentem, & omnia videntem, & judicantem semper cogitaremus, aut vix aut nunquam peccaremus. memoria Dei excludit omnia peccata.* (S. Thom. opusculo 58. c. 2.) Hoc agnovit Regius propheta: *Servavi mandata tua & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* (Psal. 118.) Secundò hæc divina veritas inducit ad praxin & exercitium virtutis: Nam si præsentia Regis, generalis unius exercitus ita animat milites, quid erit si Deus consideretur præsentissimus nobis in omni actione nostra; Id psalmista agnovit memor fui, ait Dei *& delectatus sum.* (Psal. 16. 4.) Agnovit Enoch: *Enoch ambulavit cum Deo* Agnovit Moyses. *Moyses invisibilem tanquam videns sustinuit.* (Genes. 5. 22 ad hebr. 11. 27.) Hanc ipse Deus apud prophetam aperte docet. *Si occultabitur vir in abscondito, & ego non videbo eum: Dicit dominus, nunquam non cœlum & terram ego impleo.* (Ierem. 23. 24) *In omni loco* inquit sapiens *oculi domini contemplantur bonos & malos.* (Proverb. 15. 3.) Deseruit tertiò; Ut quis sese Deo magis & magis uniat; impossibile enim est, ut duæ res uniantur vel reuniantur nisi sibi præsentes: Hoc exercitio inchoamus in terra, & hac in mortali vita existentes vitam beatam, nos similes reddentes Angelis: Qui etiam hic in terra occupati & divinis jussionibus pro salute & bono nostro obedientes: *Semper vident faciem patris*

Matt. 18. 10. *tris.* Hæc fuit praxis & speciale omnium sanctorum & antiqui & novi testamenti exercitium, quo continuò, occupati & recedebant â malo, & proficiebant in bono.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò qui sint modi hujus divinæ præsentiæ practicandæ ac continuò ob oculos habendæ. Primus est, ut nobis imaginemur & concipiamus dominum & salvatorem nostrum JEsum Christum, præsentem; qui attentè intueatur nos & omnes actiones nostras, quas exercemus, accuratè consideret, illum semel sub unius mysterii velamine, semel sub alterius specie nobis repræsentantes, juxtaquod salubris sanctæ ecclesiæ consuetudo, aut pia inclinatio, aut nostra nos movet & urget necessitas, & maxime sub doloribus, humiliationibus, pœnis, Cruciatibus & suis tolerantiis, sub quibus ille speculum omnigenæ virtutis proponitur & est. Secundus & melior modus est sibi repræsentare ipsumDEum, ipsam divinam essentiam, ipsum pelagus divinitatis, & omnis perfectionis totum implens & replens universum ipsum in omni loco totum præsentem, ante se, post se, à dextris & à sinistris, supra & infra, ac in & ex omni parte in & extra se omnia intuentem. Et deinde exercere, & frequentare actus & intellectus & voluntatis, producere & frequentare actus intellectus nempe actus fidei divinæ, quibus firmissime illi adhæreamus, veritati in nullo unquam vel minimo dubitantes. Et deinde actus voluntatis adjungentes, quibus magis DEO reuniamur per actus amoris respectus adorationis, reverentiæ, humiliationis, timoris, gratiarum actionis, glorificationis & similium: quibus DEO reddamus obsequium, Laudem, & omnem honorem, ac glorificationem nunquam cessantes â divinis laudibus & gratiarum actionibus. Hanc nobis veritatem inculcant sacræ paginæ. *In ipso*, ait Apostolus, *vivimus, movemur, & sumus.* *Mane*, inquit psalmista, *adstabo tibi. Et videbo quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es.* Hâc edoctus veritate Tobias illam ipsam suum docebat filium: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEum.* Hujus fructum exprimens Ecclesiasticus: *qui timent*: ait: *Dominum in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* S. Patres subscribunt: *Procedis? videris. Intras? videris. Lucerna extincta est? videt te. Ardet Lucerna? videt te. Cubile ingrederis? videt te. In corde versaris? videt te.*

Act. 17. 28. *Psal. 5. 5.* *Eccl. 2. 2.* *S. Aug. serm. 49. de verbis dom.*

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò quod etsi in hujusmodi continua praxi & exercitiis divinis in omni loco omni hora & momento, si possibile foret, occupari ac detineri deberemus, occasiones tamen præcipuæ, in quibus actus similes producendi & exercendi. Primò manè dum DEO persolvimus grates debitas & obsequium reddimus ad quod astringimur. Secundò in exordio omnium actionum nostrarum vocalium & mentalium ad distractiones & inquietudines vitandas. Tertiò in omni peccandi occasione, exemplo Josephi patriarchæ, & castæ Susannæ. Quartò dum quæcunq; virtuosa actio practicanda est, si

præ-

præcipue fuerit difficilis ad sumendos animos prout faciebat Judith in momento Holophernis â se decapitandi, dicens & orans cum Lachrymis *Confirma me Deus in hac hora.* Et cum Davide: *Providebam dominum in conspectu meo semper, quoniam â dextris est mihi ne Commovear. Oculi mei semper ad dominum. Vivit Dominus in cujus conspectu sto.*

Iudith.13.7. Psal.18.8. Psal.24.15. 3.Reg.17.1.

MEDITATIO LXVII.

Secundum medium proficiendi in virtute Puritas est intentionis.

Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus, simplex fuerit: Totum corpus tuum Lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam totum corpus tuum tenebrosum erit. Matth.6.22.23.

OCulus S. Aug. interpretante ille de quo loquitur salvator noster est intentio & motivum : quo excitati opera nostra peragimus.

I. Quanti æstimanda bona intentio.
II. Diversa intentionum genera.

PVNCTVM I.

COnsidera primo magnum esse mysterium Christianitatis quoad omnes nostras actiones scire qua intentione sint factæ, vel faciendæ & quod inde solum dignificentur & apprentientur, at si intentio bona, bonæ sint, si melior; meliores, & si optima; optimæ sint omnes nostræ actiones ab illa dependentes & procedentes dignitatem & valorem participant. Actio siquidem conformatur intentioni, ut si sit intentio sancta, operatio sancta erit. Hinc mala vel nulla, operatio mala vel nulla, aut non bona erit. Da centum millium ducatorum Eleemosynam sine intentione, Eleemosyna tua deperdita & nulla est: Da ex motivo vanitatis mala est & peccaminosa, & inde punieris. Da ob Dei amorem solidum unicum hæc actio excellens apud Deum est & meritoria. Hanc voluit Apostolus ad Rom. dum ait: *Si radix sancta & rami.* Hanc sponsus expressit per oculos columbarum in sua sponsa. *Ecce tu pulchra es amica mea oculi tui Columbarum.* Huic totam operis tribuit S. Aug. bonitatem. *Bonum opus intentio facit, non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum faciat aspiciat, quo Lacertos optimæ gubernationis dirigat.* Christus Matthæi 10. judicavit *quicunque,* ait: *potum dederit uni ex minimis istis Calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: Amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Hac unica inductus Propheta omnia Dei mandata custodiebat: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.* Sic ad bravium Currebat Paulus: *Vnum autem quæ quidem retro sunt obliviscens: ad ea vero quæ sunt priora extendens me &c. Sic Christus proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta atque in dextera Dei sedet.*

Rom.11.16. Cant.1.14. S. Aug. præf. in Psalm. Matth.10.42. Psal.118. ad Philipp.3.14. ad Hebr.12.2

PVNCTVM II.

COnsidera secundò quod inter intentiones quas habere possumus in actionibus nostris quædam bonæ sunt, terrestres licèt & directæ ad res

temporales. Cujusmodi sunt actionem exercere ad obtinendum â Deo aliquod bonum temporale, ut ad recuperationem sanitatis, ad processus seu Litis victoriam obtinendam, ad itineris alicujus bonum successum & similia quæ habent finem purè temporalem, & naturalem. Aliæ sunt meliores, quæ salutem respiciunt? ut quæ ordinantur ad veniam peccatorum obtinendam, ad passionum nostrarum perfectam subjugationem ad gratiæ Dei impetrationem, ad paradisi acquisitionem &c. Verum optimæ unicè respiciunt Charitatem Dei, gloriam, honorem, ac interesse divinum Hanc semper Salvator noster habuit in omnibus suis actionibus, passionibus, & quibuscunque perfectissimè, qui solum in omnibus quæsivit honorem sui æterni Patris, & ut glorificaretur in mundo ab hominibus, in quibus non erat scientia Dei ut si quædã adhuc inquibusdã scintilla divinæ scientiæ reperta fuerit, illa tamen erat tã imperfecta, ut nihil conferret ad illum amandum & glorificandum teste Apostolo. *ad Rom. 1. 21.* *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* In hunc autem finem Christus omnem suam ordinavit vitam, mortem suam, omnes suas cogitationes, omnia verba, opera sua, sua gaudia, suos languores, tristitias, & mœrores, omnia bona, quæ fecit, & mala quæ pertulit, & absolute omnia omnino omni tempore, in omni loco die ac nocte usque ad unum passum, unum intuitum, oculi ictum, aut digiti motum. Unde in sacris paginis gloria Dei nuncupatur. *Omnes enim*, inquit, *peccaverunt & egent gloria* *ad Rom. 3. 23* *Dei.* Id est Christo *Salvatore & Redemptore.* Ille porrò Deum glorificavit & glorificat in omnibus, ut de seipso testatur. *Ioh. 8. 49.* *Honorifico patrem meum, ego non quæro gloriam meam.* Ad cujus imitationem hortatur omnes Apostolus: *sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* *2. Cor. 10. 31.* Ecce tuum exemplar & Archetypum, forma & regula, Conforma te ad ejus perfectam imaginem imitationem & expressionem. Nunquid non rationabile hoc est, cùm non sis in alium finem creatus quàm ut te totum impendas & consummes ad ejus majorem gloriam? Aliud nihil quæras, nihil optes, cogites? quo non obstante nihilominus quot producis & exerces actiones, quibus ubi Deum honorare, mereri, & in bono augmentum sumere deberes; Deum inhonoras, demereris, peccas, & in malo sumis incrementum? quoties ubi finem tuum præfigere deberes gloriam & interesse divinum, propriam ponis gloriam & interesse creaturarum, illas Deo præferens? quot actiones exerces ex consuetudine, perturbatus, incogitatè nullo illis fine præfixo; Quibus & salutem negligis, & Deo debitum subtrahis honorem, & servitium? te exanima & intuere cum gemitu tot actiones, & opera deperdita, tot tempora neglecta, malè transacta, & omnino perdita; tot gratias rejectas? tot inspirationes bonas non admissas, tot malas quæsitas in malum finem; & tot missiones & commissiones inde pessimas. Nunc tandem resipiscens convertere in requiem tuam, imitare inposterum Christum Jesum Dominum nostrum, doctorem & ducto-

ductorem tuum: et ob hoc quod actiones tuæ nimis ex se abjectę, exiles & demissæ sint, illas actionibus Salvatoris nostri unias & conjungas, verba tua verbis illius, tuas tolerantias ab ejus tolerantiis non separes, intuitus tuos, tuum bibere, tuum comedere illius conformes similibus actionibus. Hæc omnia Domino Deo offerens in generali & in particulari mane in oratione & unione meriti filii sui. Renovando oblationes dum sunt inchoandæ. Quo medio minimæ actiones tuæ ingentis erunt meriti. Quemadmodum salvator facit & vult intelligi in parabola viduæ, quæ duo duntaxat minuta immittens in gazophilacium ubi alii immittebant plenis manibus argentum & aurum indicatur plus omnibus misisse: *Amen dico vobis quoniam vidua hæc pauper omnibus plus misit. Viduam cum videret dominus non de patrimonio, sed de animo opus ejus examinat, & considerans non quantum, sed ex quanto dedisset, dixit, vidua ista plus omnibus misit in dona Dei.*

Matt. 12, 43.

Cypr. tract. de precibus & eleemosy.

MEDITATIO LXVIII.

Tertium medium faciendi in virtute progressus est Frequentatio Sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ: & primo pœnitentiæ.

I. Fructus frequentationis Sacramenti pœnitentiæ.

II. Dispositio qua ad illud sacramentum accedendum est.

Qui justus est justificetur adhuc Apoc. 22. 11.

QUi justus est, ait Spiritus Sanctus conetur magis & magis justificari. At ubi potest quis magis justificari, quam in sacramento pœnitentiæ.

PUNCTUM I.

COnsidera primò fructus, utilitates, & commoda, quæ proveniunt ex frequentatione sacramenti pœnitentiæ, hoc est ex frequentatione confessionis Sacramentalis. Primo quia quælibet confessio novum tibi gratiæ gradum acquiret, Charitatem augebit, & omnes virtutes supernaturales, te â peccatis tuis purificabit, â certa parte pœnarum demeritarum liberabit, novum robur conferet gratiæ, ne ulterius in peccatum cadas, tentationibus faciliùs resistas, exerceas opera bona & virtutes facilius, & vitam ducas de cœtero innocentem, ac sanctam. Secundo ex eo quod frequentatæ seu frequentes Confessiones plus certitudinis integritatis, quâ omnia peccata deteguntur, quod necessarium est ad veram confessionē, habent. Quam raræ; quia cum in talibus memoria sit recens, magis quis certificatur se integrè esse confessum, quam in raris confessionibus, in quibus tanta certitudo moralis haberi nequit de integritate illarum, major consequenter est in talibus certitudo salutis, status gratiæ, & dispositionis ad mortem, casu quo subitò & insperatè eveni-

ret quæ omnia ſunt motiva ſufficientia ad frequentationem hujus ſacramenti ſuadendam.

PVNCTVM II.

CONſidera ſecundo dum dicitur quod Sacramentum Pœnitentiæ ſit frequentandum, ſemper intelligitur cum diſpoſitionibus neceſſariis ad Sacramenti fructum & effectum recipiendum: Nam ex conſuetudine ſine debita diſpoſitione ad illud accedere, eſt medium perſeverandi in imperfectionibus ſuis & ſordeſcendi in peccatis: Melius foret non accedere, quam in ſtatu tali accedere. Veræ verò diſpoſitiones ſunt: Prima ſerio ſe examinare & omnes conſcientiæ latebras, & receſſus inveſtigare & diligenter perſerutari, ſine tamen inquietudine, ſcrupulo & anxietate nimiâ ſingula mortalia, ſi quæ inveniantur, recogitare, vel ſi ſola venialia reperiantur, illa examinare, ad quæ magis inclinamur, quæ magis conſcientiam torquent, quæ nos à perfectione ad quam vocatione ſuâ Sanctâ Deus nos vocavit, magis retardant & removent, ſine eo quod nos torqueamus ad omnia illa detegenda, quæ commiſerimus, modò voluntatem generaliter ab omnibus avertamus in nullo nobis complacendo, quia cum tali complacentia non bene ſtare poteſt animi dolor ad Sacramentum neceſſariò requiſitus. Secunda eſt pœnitere & ex intimis animi & cordis viſceribus de omnibus peccatis ſuis magnis & parvis dolere & formare intentionem & propoſitum determinatum ſe emendandi & corrigendi in omnibus, omnes fugiendi & evitandi cujuſcunque peccati occaſiones proponamus, aut etiam pro poſſibili qualeſcunque, quod eſt punctum omnium maximè neceſſarium & ad veram confeſſionem neceſſariò prærequiſitum. Tertio eſt peccata ſua declarare non certâ & ordinariâ formula, quâ ſemper idem dicitur & refertur, valdeque generaliter, vel minutim non ſufficienter ſe explicando, vel nimiè quælibet minutiſſima exaggerando, vel anxiè repetendo, ſed illa ſolùm, quæ quis ſerio recogitaverit, clarè, nitidè & breviter, quantum erit poſſibile referendo & aperiendo, reminiſcens quod confeſſiones longiores & prolixiores non ſint ſemper meliores, ſed illæ, quæ cum intenſiori animi dolore, majori verecundia, & firmiori emendationis & vitæ impoſterum melioris propoſito fiunt. Quarta tandem eſt injunctam pœnitentiam ſeu ſatisfactionem cum Spiritu pœnitentiæ, humilitatis & vere patientiæ coram Deo exequi & diligenter perficere. Hodie firmam fac reſolutionem, ſi nondum feceris, aut in illa jam laudabili aſſuetus praxi fueris; Hoc ſanctiſſimum frequentare cum devotione & vera diſpoſitione ſacramentum, cum ſit remedium tam utile, tam facile, & tam potens contra omnes defectus & peccata, quæ indies committimus. Exempli gratia, ſi ſis Presbyter, binis in ſeptimana vicibus, ſi clericus, ſingulis octiduis, hoc ſacramentum fre-

frequentes, sed semper cum jam ante memoratis dispositionibus. Et hujus fructum ex vitæ emendatione cognosces. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Matt. 7, 10.

MEDITATIO LXIX.

De frequentando Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento.

I. Fructus & utilitas frequentis communionis probatur.

II. Et suis effectibus & ex authoritate.

Accedite ad eum, & illuminamini. Psal. 33. v. 6.

QUi in vita illuminativa intendit facere progressus; sæpe accedere debet ad Dominum & Salvatorem nostrum JEsum Christum; qui est ipsum lumen; Quod fieri perfectius in hac vita non potest, quàm per frequentem participationem Sacratissimi Corporis & sanguinis sui in Sanctissimo Sacratissimæ Eucharistiæ sacramento. Hoc effectus docuit in suis discipulis euntibus in Emaus. *Aperti sunt oculi eorum & cognoverunt eum in fractione panis.* Luc. 24. 31.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quàm sit utile, ut quis in virtutibus progressus faciat, sæpe ad sacram communionem accedere: Quemadmodum porrò in hoc sacramento recipitur Corpus, sanguis, anima & divinitas filii DEI, per modum alimenti in animabus nostris operatur & producit consequenter eosdem effectus, quos cibi materiales habent in corporibus nostris. Hoc est dicere, sicut hi materiales cibi habent virtutem nutriendi, confortandi, reficiendi & satiandi cum quadam voluptate & appetitu sumpti. Ita illi in animabus vitam Spiritualem conservant, confirmant & roborant reparantes vires continuis concupiscentiæ carnis adversùs spiritum certaminibus attenuatas, illas roborant & augent ad resistendum peccatis, ad tentationes vincendas, ad opera bona exercenda, purificant intellectum expulsis ignorantiæ tenebris, inflammant voluntatem & sanctis excitant affectionibus, reficiunt mirâ voluptare & satisfactione, & animas replent gaudio inexplicabili, satietate mirificâ, & suavitate indicibili, ita ut amittant omnem omnium creaturum & rerum temporalium gustum, juxta verba veritatis, *qui biberit ex hac aqua quam dabo ego ei, nõ sitiet in æternũ.* Ob hoc se appellat panem Cœlestem, panem vitæ: *Ego sum panis vitæ*; ob hoc docuit nos Christus hunc panem petere, & requirere omni tempore *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Hoc S. Ambrosius agnoscens, *non iste panis est, qui vadit in Corpus, sed panis ille vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit*, agnovit & Psalmista: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.* Hujus præstantiam pulchrè exprimit S. Cy-

Ioan. 4. 13. Ioan. 4. 13. Matt. 6. 11. S. Ambr. lib. 3. de Sacrament. cap. 4. Psal. 22, 5.

S. Cypr. de cœna Dom. S. Cyprianus. *Hoc uno contenti ferculo, omnes mundi hujus delicias aspernantur, & possidentes Christum, aliquam hujusmodi possidere, supellectilem dedignantur* Isa. 2. 13. Isaias hoc prænuntiavit : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, Convivium Vindemiæ, pinguium medullatorum vindemiæ, defæcatæ,* S. Cypr. de cœna Dom. Hunc panem vocat S. Cypri. Panem Angelorum : *Panis iste Angelorum omnia carnalium saporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinem voluptates.* Et quod omnium est maximum, illud Sanctissimum nos Christo unit specialissimè. Ad quam unionem exprimendam, utuntur S. S. Patres exemplo binæ ceræ liquefactæ & planè inter se commixtæ, & fermenti penetrantis totam massam farinæ & omnino illi sese immiscentis, ita S. Cypr. & alii S S. P P. Et salvator noster hanc unionem comparat cum illa, quam ille Ioan. 6. 6. habet cum suo Patre : *Sicut misit me vivens Pater, & vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Quo vult nos docere quod dignâ hujus sacratissimi sacramenti participatione illi incorporemur, in illum mutemur, transformemur, ac ita cum illo identificemur ac uniamur ut cum Patre. Poteſtne dici, excogitari, aut concipi amplius? Quod S. Aug. agnoscens in persona Christi loquens, *Cibus* : ait : *Ego sim grandium, Cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibus carnis tuæ, sed tu* S. Aug. lib. 7. Confess. c. 10. *mutaberis in me.* Eodem spiritu & affectu Sacrosancta synodus Tridentina loquens, *Obstaret,* inquit Sacrosancta Synodus, *ut in singulis missis fideles astantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Cocil. Trid. Sess. 22. c. 16. Nam ad hoc in omni dignâ sacramenti hujus perceptione augmentum recipitur gratiæ, & meriti, Venialium fit remissio ; pœna alias in purgatorio exsolvenda, aut pœnitentiæ operibus in vita redimendæ, delentur ; Novum Christo Domino accedit gaudium, nova lætitia & gloria nova.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò Sacrum Triden. Concilium ea de causa maturè ponderatis omnibus bonis gratiis, quæ fidelibus proveniunt ex frequenti sacratissimi Sacramenti participatione, desiderare omnes ut fideles communicarent in omni sacro, quod audiunt, Et S. Chrysost. eodem excitatus motivo Homil. 24. in 1. ad Cor. dicit quod non sit solemnitas aut festum exspectandum ut accedamus ad Sacramentum tam utile & sanctum ; Ad hoc porrò semper est festum, si semper cor purum & mundum habeamus. Vis ergo perfectus esse? Vis esse fortis? Vis te ab omnibus mundanis & transitoriis eximere? Vis gaudiis cœlestibus & semper æternis affici? Sæpe accedere debes ad hujus Sacramenti sanctissimi sumptionem. Est porrò panis fortium *in fortitudine cibi illius* 3. Reg. c. 9. 8. Magnis tendes ad perfectionem passibus, modò eas adferas ad hoc dispositiones, quas tibi crastinus exprimet & denotabit dies. Ob hoc S. S. Patres summè laudant & approbant

S. Aug. de Verb. Dom. sprm. 1. probant frequentem Communionem, *si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit.* Regius Propheta, quantum illi detrimenti hujus panis carentia attulerit, ingenuè fatetur: *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus commedere panem* Psal. 101. 5. *meum.* Illum Panem unicum bonum nostrum asserit S. Hierony. *Hoc solum habemus in præsenti sæculo bonum, si vescamur carne ejus, cruoreque potemur.* Unde bene S. Chrysost. *Unicus sit nobis dolor, hac escâ privari.* Resolvas ergo resolutione firmâ & immobili Ecclesiæ sanctæ & S S. Patrum sentimentis conformiter ad hoc accedere, quam sæpe poteris, & tuus Director judicaverit, expedire. Et super omnia ut Christo Salvatori & Domino satisfacias, qui te terminis expressis & tam affectuosis Matt. 11. 28. invitat. *Venite ad me omnes, qui labo-* Prover. 9. 5. *ratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Cant. 5. 2. *Venite commedite panem. Commedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.*

MEDITATIO LXX.

De Dispositionibus Necessariis ad dignum accessum ad sanctam Communionem.

I. Utile & necessarium est se disponere ad sanctum Communionem.

II. Hæ dispositiones præcipuæ sunt Tres.

Accedite cum fide Tremore & dilectione S. Greg. Dial. l. 2.

HOc est quod antiquitus his, qui volebant communicare Diaconus altâ voce dicebat.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quantum intersit bene se disponere ad accessum ad Sanctam Communionem. Primo ex eo, quod divinissimum Sacramentum non producit gratiam, & alios effectus in anima, nisi ad mensuram Dispositionum in illa repertarum. Unde oritur, Etsi hujus sacratissimi Sacramenti perceptio sit potentissimum medium ad nos perficiendos, & reddendos ipso facto perfectos, & quod unica Sacra Communio bene facta sit capax nos reddere sanctos: defectu cujus, si accedamus conscientiâ, non ut par est, dispositâ, nullum sæpe referimus fructum, imò sæpe detrimentum, *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus, ut canit Ecclesia.* Secundò ex eo, quod DEO summa fit injuria excellentiæ infinitæ hujus divinissimi mysterii, & ipsi Christo Domino & Redemptori nostro, cui tanti stetit illud Sacramentum, qui ad illius institutionem tot præmisit præparationes, ad quam tanto anhelavit desiderio, ut ipse testatus est, *desiderio desideravi hoc pascha manducare* Luc. 22. 15. *vobiscum, antequam patiar.* Quam voluit ultimum & unicum suæ voluntatis ultimæ affectionis & charitatis intimæ in suos discipulos & fideles universos pignus, & perpetuum monumentum, quo ostenderet quid nos adferre deceat, dum accedimus ad hujus participationem. Tertiò ex eo quod si ad panem materialem sunendum simus obli-

gati

gati allaborare ut, habeamus stomachum bene dispositum, ut ille nobis conducat, quantò magis ratione fortiori convicti astringimur ad panem spiritualem participandum, ut stomacho animæ optimè disposito, hoc est, pura conscientia accedamus; omnes enim & corporis nervos & vires adhibere & impendere? *Neque gratis panem manducavimus, sed in labore, & fatigatione, nocte & die operantes.* *Thess. 3. 8.*

PVNCTVM II.

CONsidera secundò dispositiones, cum quibus nos oportet accedere, ut quacunque ratione dignè Salvatorem nostrum recipiamus, sint præcipuæ tres nobis designatæ iis verbis; quæ alias Diaconus in ecclesia dicere consueverat: prima est fides; qua firmiter & simpliciter creditur, quod Dominus & Salvator noster JESUS Christus sit, quoad corpus & quoad animam sub speciebus panis & vini: ob hoc dicitur in Canon. missæ *mysterium fidei*: Ad quod invitans Apostolus: *Accedamus in vero corde, in plenitudine fidei.* Inter omnia siquidem fidei mysteria & religionis Sacramenta, hoc vult præ omnibus & requirit, ut captivemus nostros discursus, nostros sensus, nostra sentimenta, ratiocinationes nostras & omnem intellectum in obsequium Christi & fidei. Secunda dispositio ad hoc sacramentum est Sanctus timor, quo ferimur & movemur primò ut exacte omni sollicitudine purgemus ac purificemus corda nostra à rebus quibusvis etiam vel minimis, quæ possent aliqua ratione illi summæ displicere puritati, prævia vera confessione frequentibus concomitata contritionis & veri doloris actibus de omnibus peccatis & defectibus suis, quibus ulla ratione summa DEI bonitas potuerit offendi: sese ulterius extremè humiliando in conspectu infinitæ magnitudinis, Majestatis DEI. In conspectu cujus supremi Seraphini præ timore & reverentia tremunt *usque ad extrema imaginis*, inquit S. Dion. quem in sensum S. Bon. *cum fueris totus alteratus, & divinus effectus, ita ut nihil videas nisi DEUM, tunc accede.* Et Sapiens: *quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, quæ est potentis mensa, nisi unde sumitur corpus, & sanguis ejus, qui carnem suam posuit pro nobis, & quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere.* Tertia est accedere ex amore & charitate, in aliquo ut recognoscatur ille, cum quo Dominus & Salvator noster se in hoc divissimo sacramento dedit; & dat quotidie. Ubi se totum nihil excipiendo dat, divinitatem & humanitatem, gratias suas, sua merita, & omnes favores suos divinos; producens ob hoc octo vel novem miracula maxima. Quid vero præstare poterimus; ad hanc suspirantes unionem? illi totum quod sumus, offerentes, & totum, quod possidemus, magna pro nomine ejus patrare conabimur, magna pati, & omnia ad illum, & ad honorem, & gloriam ejus referemus; contra proximum nihi

Hebr. c. 10. 22.

Proverb. 23. 1. & 2.

S. Aug. tract. 8. in Ioan.

nihil habentes qui sunt effectus amoris veri. Ecce quæ ante Sanctam communionem facere est necesse. At postquam quis digne communicaverit: tria adhuc illi exequenda remanent, nempe gratias agere: illi se & omnia sua offerre & petere ab illo: quæ magis sibi erunt necessaria, illi ut placeat, & salutem ac perfectionem assequatur. Ob hoc appellat S. Thomas, hoc sacramentum; *Sacramentum amoris.* Est teste S. Bern. *amor amorum & dulcedo dulcedinum.* Illud pulchre expressit Discipulus ille, quem plus omnibus dilexit Christus *cum*: inquit: *dilexisset suos, in finem dilexit eos* seipsum illis in cibum & potum in institutione hujus sacratissimi Sacramenti dans. Et Patriarcha Jacob nuncupavit *desiderium collium æternorum.*
Gen. 49. 26. Ad quod anhelans Psalmista: *quemadmodum* ait: *Desiderat cervus ad*
Psal. 41 2. *fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Illo eodem sponsa inflammata desiderio: *quis mihi det*: inquit *te fratrem meum sugentem ubera matris*
Cant. 8. *meæ, ut deosculer te foris, & jam me nemo despiciet. Si vellet apud te habere hospitium aliquis Senator, & diceret: offendit me quiddam in domo tua, etsi amares*
S. Aug. in Psal. 31. *hoc, auferres tamen, ne eum offenderes, cujus amicitiam ambires. Iis qui hujusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus*
2. Thesal 3. 12 *in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Mirarisne modo, & obstupescis te hactenus tam exilem fructum ex tuis communionibus retulisse ad quas accessisti tam levi facta præparatione, tam frigidè, ex sola consuetudine, & quadam acquisita habitudine, solo humano respectu excitatus, tuis adhuc certis & secretis totus irretitus pravis affectionibus, cum tam parva puritatis requisitæ cura & sollicitudine, humilitate tam exili, tepiditate tantâ, tantâ negligentiâ, & socordiâ, mente tam distractâ extravagantibus, & alienis implicata negotiis, cum tam parva, vel omnino nulla gratiarum actione; & uno verbo cum dispositione ita parvâ & penè nullâ? disce nunc & adnimadverte melius esse non communicare, quam communicare illo modo, dispositione tali, tali negligentiâ & frigiditate. Non recordaris impositi tibi, & omnibus mortalibus â Domino præcepti? *In sudore vultus tui vesceris pane tuo?* Quod non duntaxat intelligitur de pane, quo corpus nu- Gen. 3. 19.
tritur, vegetatur & roboratur, verùm & de illo, quo anima sustentatur, roboratur, augetur & saginatur, nimirum de sacratissimo Altaris Sacramento vero animarum cibo. Alias si quis laborare nolit necessariam impendere operam, & conatum adhibere, ut iram supprimat, invidiam extinguat, odium deserat, ac ceteras inordinatas superet passiones, ut virtutibus acquirendis, & in locum vitiorum substituendis studeat. Hunc cibum non debet manducare quoniam; Apostolo docente: *Si quis non vult opera-* 2 Thesal. 3. 10.
ri, non manducet.

MEDITATIO LXXI.

De quarto medio in virtute proficiendi de necessitate Directoris.

I. Necessitas Directoris.
II. Modus cum illo agendi.

Væ Soli, quia cum ceciderit non, habet sublevantem se Eccl. 4.10.

VÆ illi, qui solus ambulat, qui ductorem non admittit, ne erret, aut dum deviaverit reductorem qui eum reducat non quærit, qui non recipit Doctorem, qui se doceat, quod ignorat, aut qui reiicit correctorem, qui eum corrigat ubi deficit.

PVNCTVM I.

COnsidera primo quam magna sit necessitas Directoris, ductorem & correctorem habere; ut quis in via Spirituali & virtutis progressus faciat. Et primo quidem ex eo, quod ordinariè simus in propria causa cœci continuo constituti in periculo seductionis, quæ a nobis ipsis amori proprio nimis adhærentes seducimur, nisi alicujus viæ periti Ductoris vigilantiæ & directione ducti ambulemus cautè & directè. Secundo ex eo necessitas est ut quis in tali via directorem habeat, quia hujusmodi est directio Dei; qui voluit homines a sui similibus dirigi, & non contentus, quod illis Angelos dederit invisibiles velut tutores, Directores & Custodes invisibiles: verum quia homines ex Corpore & ex anima componuntur; voluit Deus ut haberent quoque Angelos visibiles qui eorum sint Directores & pastores. *Sibi enim* ait S. Gregor. *de se sæpe mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat, & de gloria mundi non amare quod amat.* Sibi siquidem plusquam par est fidens, ac præsumens de se ipso merito a Deo derelictus desipit & perit: quod Christus ipse clare exprimit in sua ad Patrem confessione laudativa. *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Matt. 11. 25. *Ita Paulus ad Ananiam missus est.* Sic Actor. 9. usus est Moyses consilio soceri sui Jethro. Exod. 18. Eam ob rem voluntas Dei non potest melius apprehendi, investigari & sciri, quam illo medio. Ob hoc beatus Episcopus Genevensis illud appellabat monitionem monitionum. Tertio; Etsi via virtutis, & ad perfectionem iter alio nobis queat innotescere medio & modis adinveniri aliis. Hoc tamen medium Ductoris & Directoris semper facilius, securius, magis meritorium, divinis conformius eloquiis, & Deo acceptius dignoscitur. Et profecto si ad minimum opificii tyrocinium suscipiendum sese oporteat ferulæ subdere Magistri; si ad corporis sanitatem recuperandam promovendam & conservandam Medici consilio & adjutorio utendum sit. Et ad temporalia negotia dignoscenda & lites extricandas, si sint Advo-

Advocati & Doctores consultandi & sequendi. Quanto magis oportet nos consulere in negotio salutis viæ illius expertos & exercitatos, a quibus in omnibus dirigamur, instruamur, firmemur, ne à recto deviemus,

PUNCTUM II.

Considera secundo modum & rationem cum suo tractandi Directore; ut fructum quis inde referat, esse, illum considerare recipere & sequi ut personam designatam & datam a Deo, ad nos dirigendos in viam salutis & pacis, velut Angelum Tutelarem, qui suis doctrinis, monitis & directionibus nos a maligni Spiritus deceptionibus debet tueri, in nostris nos consolari afflictionibus, in infirmitatibus nos relevare, in ignorantiis instruere, in hæsitationibus & dubiis firmare, & in omnibus ne deficiamus sublevare, docere & dirigere. Secundo oportet cum illo tractare aperto corde, sincere, fideliter & devote illi clare mala, & bona nostra declarando sine dolo & dissimulatione, modum ab illo discendo bene orandi, bene meditandi, communicandi fructuosè, sacrum audiendi devote, tempus suum bene & utiliter impendendi, in omnibus summam in illo habendo confidentiam, se illi in cunctis sine resistentia & contradictione submittendo, ejusque ordinationibus velut divinis & a Deo profectis documentis obediendo expedite & sine hæsitatione nos in eo parvulis assimilando, qui ductu proprio nihil faciunt, sed omnia aliena expediunt directione & monitu. Hoc dicere volebat Salvator & Dominus noster, cum suis ajebat Apostolis; *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matt. 18. 3. Hinc conformiter Magnus Apostolus S. Paulus loquitur, *nolite*: inquit: *esse prudentes apud vosmetipsos.* Rom. 12. 16. In quocunque fueris ergo loco hanc fac absolute resolutionem semper habendi unum Directorem; qui te ducat, dirigat tutè ne, aberres, cum quo communicare confidenter possis toties quoties placuerit de homine tuo interiori, omnia illi tua secreta pandendo sine timore ac reflectione, ac si tibi ipsi loquereris, te tuaque illi æque, imo magis quam tibi ipsi fidens. Hunc proinde instanter pete à Domino, non enim hoc est favor exilis, aut gratia parva, sed summum divinæ benevolentiæ indicium. Hujusmodi amicitiæ meminit Sapiens; dum ait. *Amicus fidelis protectio fortis, amico fideli nulla est comparatio, amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum.* Eccl. 6. 14. & seqq.

MEDITATIO LXXIII.

Quintum medium ad acquirendam & conservandam Christianam virtutem de Exercitio Orationis.

I. Necessitas orationis probata

II. Exemplo Domini & Salvatoris.

III. Quibus conditionibus vestita esse debeat Oratio.

Oportet semper orare & nunquam deficere Lucæ 15.1,

PUNCTUM I.

COnsidera primo præfixo huic divino filii oraculo conformiter; quod Oratio non sit duntaxat consilii & decentiæ: verùm etiam necessitatis absolutæ illi omni, qui salutem desiderat, & quærit. Hujus ratio potissima est: quod Deus resolverit suas gratias non dare, auxilia sua absolutè necessaria ad operandam salutem non communicare, aut cuiquam quidpiam concedere, nisi pia eo impulsus oratione, & devota flexus deprecatione. *Credimus*: ait S. Augustinus *neminem concipere salutis desiderium nisi à Deo motus, neminem etiam à Deo motus suam salutem ipso facto operari, nisi à Deo adjutus, nec ullum mereri & impetrare Dei auxilium: nisi oratione mediante: nullum credimus ad salutem*; ait: *nisi Deo invitante venire, nullum invitatum salutem suam, nisi DEO auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium promereri.* Tota autem hujus processus causa & ratio est, quod Deus velit nos continuo cum omni humilitate nostram ab illo agnoscere dependentiam, quo ad omnia ejus dona, sive naturæ, sive gratiæ, nobis concessa. Vult nos nostram agnoscere indigentiam, pauperiem & necessitatem; Ita ut nos ex nostris viribus hostes nostros nulla ratione sustinere, ne dicam superare possimus, peccatum vitare, virtutem practicare, salutem assequi & impetrare. Et quod ille sit solus, qui auxilium necessarium ad hoc dare possit. Hanc ob causam tanta instantia nobis sacræ paginæ volunt orationis exercitium recommendatum nos sine intermissione die noctuque excitantes. *Oportet* ajunt: *semper orare, & nunquam deficere. Ille* inquit Gloss.: *semper orat, qui bene semper agit. Et nunquam cessat orare, qui non cessat benefacere.* Et Lucæ 21. *vigilate omni tempore orantes. Vigilate & orate. Videte, Vigilate & orate. Sine intermissione orate. Orationi instate vigilantes in ea volo vos orare in omni loco.* Ex quibus concludens S. Augustinus. *Constat*: ait: *Deum alia non orantibus sicut initium fidei: alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.*

S. Augustinus de Eccl. dignitate cap.16.

Lucæ.18.

Lucæ 21. 16' Matt. 26. 4. Matt. 13. 13. Thess. 1. 17. Coloss. 4. 1. 1. Tim. 1. 8. S Aug. l. 2. de bono persever. cap. 19

PUNCTUM II.

COnsidera secundo: Quod id, quod adhuc hanc magis, & amplius probat orationis necessitatē, sit Salvatoris & domini nostri exemplum suis injunctum verbis & sermonibus. Cujus vita fuit oratio continua, etsi pro se orare nullo modo eguerit. Nos evangelium docet: quod illo toto trium annorum decursu, quibus illi placuit in publico apparere sermone docere & opere, (ultra internos animæ suæ continuos discursus cum Deo Patre, quos nunquam intermittebat) certas eligebat diei horas, & quandoque totas noctes consumebat in oratione Dei.

Dimis-

Matt.14.23. Marc.1.35. Luc.6.2. *dimissa*, ait Evangelium: *turbâ ascendit in montem solus orare. Diluculo valdè surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione DEI.* Super quæ verba S. Ambr. *vide*: ait: *quid te pro salute tua oporteat facere, quando Christus pro te pernoctat in oratione.* Lib.5 in Lucam.

PVNCTVM III.

CONsidera tertiò quod non sufficiat orare simpliciter: Verum oratio suis vestita conditionibus esse debet: debet procedere cum respectu debito & reverentia, debet cum attentione requisita fieri, fervore excitata speciali fide animata, roborata spe, charitate ignita, resignatâ ac perseverans. Vide nunc & examina quo affectu hoc sanctum ames & prosequaris exercitium; quâ reverentiâ & attentione illud instituas, quo suscipias fervore, quâ fide excitatus, quâ roboratus spe & quâ inflammatus charitate illud pertractes, quâ exerceas resignatione, quâ continues perseverantiâ affectionem requisitam Christus expressit in Evangelio, dum tempore orationis se etiam sejunxit à suis charissimis discipulis: *Sedete hic donec vadā illuc & orem*: Unde bene Cassianus *nequaquam ille orat*: *inquit*: *qui flexis etiam genibus evagatione cordis qualicunque distrahitur.* Ideo insinuatur à B. Jacobo: *postulet in fide nihil hæsitans.* Et à Christo in Evangelio: *omnia quæcunque orantes petitis* credite: *quia accipietis, & eveniet vobis.* Ex quo concludens Cassianus: *pro certo se non exaudiendum quisque non dubitet, cum se dubitaverit exaudiri.* perseverentiam suadens Propheta. *Si moram*; ait: *fecerit expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit.* Hujus perseverantiæ fructum innuens S. Augustinus *diu*; ait: *desiderata dulcius obtinentur, cito autem data, vilescunt.* Et Christus, *petite*; inquit: *quærite, pulsate.* Quibus indicat, non duntaxat veritatem, & assiduitatem orationis; sed & constantiam ejus ac perseverantiam usque dum petiti fiat impetratio. Sed ô væ quo successu nos hoc in orationis exercitio versamur? quantum illi temporis tribuimus? minimum illi concedimus. Et illud minimum nobis nimis longum videtur. At in vanis occupationibus, in lusibus, in stultitiis mundanis, in commessationibus, in recreationibus corporalibus; dicamne ebrietatibus, in detractionibus, in turpiloquiis; & forte etiam in aliis deterioribus honestis & castis auribus non ingerendis. Omne tempus breve nimis est. Orationes vero nostras possibili acceleratione expedimus, sine reverentia, sine fervore, sine gustu, aut ulla debita dispositione illas perficimus. Et mirumne erit alicui, aut esse poterit, si exinde experimur in nobis tantam stupiditatem, torporem tam stupendum & ignorantiam tantam in rebus salutis & religionis non petentes, aut requirentes à DEO gratias ad hoc necessarias; qui tamen determinavit eas non dare, nisi ab eo pellantur;

Matt 26.36. Cassianus Collat. 7. cap.14. Iacob.1.6. Marc. 11. 21. Cassi. Collat. v. 14. S. Augustinus serm. 3. verbis Dominus.

tur & nisi obnixissimè & humilimè rogetur. Statuas ergo dicens cum Propheta : *juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ* statui semper orare & nunquam deficere. Statui de cætero assiduitatem majorem in orando & deprecando habere, quam alias unquam, statui aliam & perfectiorem adferre ad orandum & deprecandum dispositionem, fidem vivaciorem, spem ferventiorem, charitatem perfectiorem, perseverantiam stabiliorem; Itane statuis & vere, & intus statuis? pete ergo auxilium à domino, gratiam require, instructionem efflagita, dic cum Apostolis Christi, & sincerè dic; *domine doce nos orare.* Confitens cum Apostolo: quid enim oremus, sicut oportet nescimus.

Luc. 11. 1. Ad Rom. 8. 26.

MEDITATIO LXXIII.

Sextum & ultimum medium ad acquirendam & conservandam Christianam virtutem est fidelitas, quam servare debemus, æque in rebus minimis, quam in magnis.

I. Quam sit utile DEO in in omnibus fidelem esse.

II. In quo hæc fidelitas sita sit.

III. Media eam practicandi.

Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est; qui in modico iniquus est & in majori iniquus erit. Luc. 16. v. 10.

PUNCTUM I.

Considera primo, divino Salvatoris nostri DEI oraculo docente, quantum importet, conducat & conferat ad progressus in virtute faciendos esse fidelem DEO; in minimis etiam; non minus quam in magnis rebus, occurrentiis & occasionibus; cum Ecclesiastico rogando, illi ut placeat minimum, sicut magnum & maximum. *Minimum*; inquit: *pro magno placeat tibi.* Ratio primò est, quod exactius nostri in illum amoris & propensionis testimonium reddere non possimus; quam nos in servitiis illi exhibendis exactissimos exhibere in minimis etiam quibusvis ejus placitis adimplendis; nihil vel minimum prætermittentes: Inde primo illi innotescere facimus, quanti ejus mandata faciamus. Quia ejus solius consideratio conditionis, ejus solus respectus, & æstimatio ad hoc nos faciendum inducit: non objecti dignitas, & magnitudo. *Nihil* ob hoc solum inquit Lucius verus *obiter faciendo.* Secundò, quia parvæ res, bonæ & malæ insensibiliter & quasi necessario inducunt ad magnas, & partem nostri debiti DEO reddendi optimam participant. Quâ de causâ omnium etiam minimarum rationem exiget in extremo judicio à nobis. Tertiò ex eo quod

Eccl. 29 30.

quod occasiones & res parvæ, sint obviæ magis & crebriores, quæ omni occurrunt momento suntque proinde mediũ optimum nobis thesauros meritorum, & divitias Spirituales congregandi, In his porrò respicitur magis is, qui jubet, quam id quod jubetur *non tam quod jussum sit, quam qui jusserit. nec quantitatem imperii sed imperantis cogitat quis dignitatem.* Et Sponsus ad Sponsam: vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

S. Hieronym. ad Celant.

PVNCTVM II.

Considera Secundò in quo hæc fidelitas sita sit. Primo fidelitas hæc sita est in bono usu minimarum gratiarum quas DEUS nobis mittit & largitur Hic usus bonus unius gratiæ quamtumvis minimæ ad alterius disponit impetrationem & receptionem. *Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant.* Secundò fidelitas hæc sita est in benè operari, hoc est illa perfectione nostra exequi opera; quâ possibile est opera ordinaria & communiora perficere. Monito Ecclesiastici acquiescendo. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Præfigendo sibi tertiò certam vitæ degendæ viam & regulam exactissime & inviolabiliter servandam omni modo possibili, tempus nunquam orationis faciendæ, Spiritualis lectionis, similisve cujuspiam exercitationis ad virtutem inducentis; prætermittens.

Ioannis 21.2.

Eccl. 33.13.

PVNCTVM III.

Tertio considera media hujus præcticandæ, & servandæ fidelitatis. Primum est omne illud æstimari magni; quod ratione quacunque contribuere & concurrere potest ad nostrũ in virtute & bono profectum, nullum ad hoc quovis modo conducibile medium quamtumvis minimum negligendo, ea permoti credulitate nostram tali medio omnino annexam esse perfectionem & salutem. Veritati in Evangelio loquenti planè assentientes. *Sic nos decet implere omnem justitiam*, nullam plane negligendo: *Jota enim unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*; quippe *qui spernit modica, paulatim decidet.* Et *qui timet DEVM, nihil negliget.* Secundum medium est evitare æqualiter omne peccatum sive mortale sive veniale ea consideratione præcisè, quâ DEO displicet, & pure ob respectum DEI, malum omne odientis, sensu prophetico, *quoniam non volens DEVS iniquitatem tu es.* Tertium est, exempla considerare, Sanctorum, qui se admirabiles incomparabiles & maximè ab omnibus in eo imitabiles reddiderũt, & plus incomparabiliter meriti comparaverunt suâ in rebus minimis servata fidelitate, ut in suis ordinariis bene & exactè exequendis

Matt. 3. 15.

Matt. 5. 18.

Eccl. 10.

Eccl. 7. 19.

Psal. 5. 5.

dis functionibus, quam suis miraculis, actionibus heroicis, & extraordinariis factis, quæ patrarunt. Huic soli & unicæ fidelitati & redditur merces. Matt. 25. 21. 23. *Euge* : ait : justus Remunerator : *serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Visne hos sequi in sua gloria & remuneratione; eos imiteris in sua patientia constantia & fidelitate. Ejus memineris Sancti cujus in Apocalypsi sermo ingeritur; qui ob hoc solum quod se verbi unius impatientiâ privaverit (eratne hæc magna virtus) meruit hac unica Silentii consideratione palmam impetrare martyrii ; quam alii amiserant ob nimiam locutionem. *Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis* quæ ventura est in orbem universum: Apocal. 3. 10.

F I N I S.



SERMONES
PRÆDICABILES
PRO
DOMINICIS ET FESTIS
alijsq́ꝫ diebus celebrioribus totius anni.

IN QUIBUS PRÆCIPUA
EVANGELIORUM
MYSTERIA AC VERITATES
DECLARANTUR.
TOMVS SECVNDVS.

INDEX TOMI SECUNDI
PARS PRIMA.
Præcipua anni festa complectens.

INDEX.

2. De-

INDEX.

1. *Cur*

PARS SECUNDA,

Pro omnibus Dominicis Anni.



SERMONES, SEU CONSIDERATIONES PRÆDICABILES

Super Præcipua Evangeliorum totius anni mysteria.

PARS PRIMA.

Præcipua anni festa complectens.

SERMO I.

De Adventu.

I. Cur Ecclesia hoc Sanctum Tempus adventus instituerit.

II. Motiva, ob quæ Ecclesiastici incitantur ad bene hoc tempus Sanctum transigendum, & se renovandi in interiori mentis suæ in principio anni Ecclesiastici.

III. Praxes, quas eum in finem eos exercere est necesse.

Fratres, hora est jam nos de somno surgere.
Rom. 3. v. 11.



HÆc sunt verba, quæ Ecclesia ex Apostolo desumit ad nos ad interiorem vitæ nostræ renovationē excitandum, hoc die, quo suum renovat annum, ut nos renovemus & annū nostrum, hoc est cursum vitæ degendæ; ut simus semper parati ad adventum Christi; ut videbimus.

PUNCTUM I.

COnsidera rationes, causas, & motiva, ob quæ Ecclesia Sancta; Ma er omnium ad salutem aspirantium, Sanctum hoc tempus Adventus instituerit. Prima fuit, ut inter fideles boni, & beneficij ineffabilis sacratissimi Incarnationis Mysterij grata renovaretur memoria. (Ut alias inter Judæos festivitates erant ordinatæ ad memoriam, & recordationem variorum Dei beneficiorum talibus exhibitorum diebus, & temporibus) tum primo cũ in finẽ, nostram ut agnoscamus obligationem strictissimam Deo continuas referendi gratiarum actiones; Et secundo tam singularem, & eximium recognoscentes favorem, ad eius perfectum attendamus amorem, & nos ab omni offensa, & peccato custodiamus. Ad hoc hortatur Apostolus: *Adjuvantes* inquit *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Sic olim instituta fuere *festa Tubarum. Enxpiationis. Tabernaculorum. Phorim, En.aniorum Sabba.um.* Genes.2. *Neomenia.* Num.28. Pascha Exod.12. Pentecostes Exod.21. Causa altera hujus sanctæ Institutionis est, ad Christianos ad totalem vitæ in melius mutationem disponendum, & hac ratione, & medio ad illos præparandos ad digne filium Dei in mundum venientem in festo natalis eius recipiendũ. Hoc clare illa quotidianis testatur prædicationibus eum in finem destinatis; Et ipsa totius divini officii hoc tempore dispositione, & ordinatione, quæ aliud non quærit, intendit & exoptat, in omnibus antiphonis, versibus, & orationibus durante toto illo sancto tempore, quam hunc ita desiderabilem in animabus adventum petere, & summis efflagitare precibus. Clamabat ob hoc vox clamantis in deserto: *Parate viam Domini: rectas facite semitas eius: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa; & aspera in vias planas. Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem:* Hæc vox Prophetæ est. Huic consonant Collectæ secundæ, & quartæ Dominicæ. Epistola primæ, & tertiæ Dominicæ. Deplora hic, & sanguineis si possibile est, deplora lachrymis malum inauditæ, & summæ infelicitatis maximæ Christianorum partis; qui honorant tam parum, & amant hoc sanctum adventus Christi tempus, inde tam exilem fructum referentes, ex eo quod hujus rationem ignorent, remanentes, defectu Ecclesiasticorum, qui eos docere, & instruere in omnibus his obligantur, in tenebris ignorantiæ suæ, & in oblivione maximi boni, quod unquam à Domino Deo receperunt, aut recipere, potuerunt. Sic flevit Christus super Hierusalem, eo quod non cognovisset tempus visitationis suæ, idipsum deplorat Propheta. *Nemo quod bonum est sequitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo. Milvus in cœlo cognovit tempus suum, populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

[Margin: 2. Gen. 6. Levit. 23. v. 24. Levit. 16. Exod. 13. Ester. 9. Joh. 10.]

[Margin: Luc. 3. v. 5.]

[Margin: Isa. 45. v. 8.]

[Margin: Luc. 9. v. 41. Ierem. 8. v. 6. & 7.]

PUNCTUM II.

COnsidera secundo motiva, quibus sancta Ecclesia utitur, nos ut moveat, & excitet ad hanc tam desideratam, & necessariam renovationem. Primum est, quo illa utitur, considera-

tio accurata renovationis præteritæ, quam Christus in primo adventu suo in mundum induxit, volens nobis declarare, & certificare, quod sicut Dominus, & Salvator noster venit in mundum, illum ut renovaret, & reformaret. Hoc est, ut eius veteres, & malas tolleret consuetudines, ab usus aufferret antiquos, homines ut divinis Patris sui conformaret voluntatibus. Ob hoc. *Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.* Et ad Romanos loquitur idem Apostolus. *Nolite Conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Ad hoc omni ille tempore nos expectat, hanc requirit morum nostrorum malorum & habitudinum pessimarum mutationem, & renovationem in meliores, & sanctiores. Alterum motivũ, quo nos ad hoc inducere allaborat, est judicii ultimi consideratio, futuræque totius orbis renovationis, quæ in secundo Salvatoris, & Domini nostri adventu futura est, nos ut instruat, quomodo in fine sæculi venire debeat mutaturus omnino, & totaliter renovaturus magnum mundum præsentia Majestatis suæ, & virtute potentiæ suæ illam efficiente. Exprimit hoc nobis clare in Evangelio. *Erunt signa in Sole, & Luna.* Et per Prophetam. *Ecce creo cælos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora. Contemplare ait S. Chrysostomus, cœlum, animadverte permutatum fore habitum totius creaturæ, nihil enim hujusmodi, ut nunc est, manebit, sed multo pulchrius erit & præclarius.* Non desiderat hoc tempore minorem facere mutationem, & renovationem suâ gratiâ in hoc microcosmo, seu parvo mundo, qui est homo viator super terram adhuc peregrinans à Domino. Ideo monet, & hortatur Apostolus. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Et alias. *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, Ecce facta sunt omnia nova.* Huicne renovationi, quo minus fieret, velles obstaculum ponere? Vellesne reijcere? Et non potius illi cooperari & contribuere quantum posses? Hujus si sis intentionis sequentia puncto sequenti complexa bene pondera.

Galat. 1. v. 4.

Rom. 12. v. 2.

Isaia 65. v. 7.

Chrys. Epist. ad The:

Ephes. 4. 24

2. Cor. 5. 7.

PUNCTUM III.

CONsidera tertio praxes, & industrias; quibus Ecclesiastici, uti debent ad hanc perficiendam renovationem hominis interioris. Et primo quidem quoad seipsos suum debent renovare fervorem hoc in primordio anni Ecclesiastici; Omnes suas actiones in conspectu verbi incarnati exercere, illique omni die, hora, & momento gratias persolvere; quod humanitatis nostræ indumento assumpto, propter nos dignatus sit habitu inveniri ut homo, homo vere factus. Et honorare matrem conjunctim cum Filio speciali quodam devotionis particularis exercitio. Secundo quoad populos, laborare debent in confessionibus audiendis, in habendis prædicationibus, in Colloquiis frequentandis, & practicandis spiritualibus, in Catechismis, & Sacris instructionibus faciendis, & imbuendis; Eos ad sui debiti, & obligationis cognitionem reducendo, & ad adventum Filij Dei debite disponendo; ut digne

eum recipiant: omnium eius gratiarum participes effecti. *Ecce cœlum*; Loquitur Scriptura : *& cœli cœlorum, & abyssus, & universa terra, & quæ in eis sunt*
Eccl. 16. 18. *in conspectu illius commovebuntur : & in*
Prov. 6. v. 9. *his omnibus insensatum est cor.* Et Sapiens *Vsquequo*: ait *piger dormies? Quando consurges è somno tuo* ? His Apostolus vocem adjungens: *Evigilate justi & nolite peccare, ignorantiam enim Dei quidam*
1. Cor. 15. *dam habent. Confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit.*
Iacob. 1. 8. Nonne tua hæc est resolutio te in veritate renovare ? Creaturis ne insensibilibus durior invenieris ? Tene Ecclesiastici reprehensio tanget ? Quomodo dicit, Domino veniente, cœlũ, & terra ad minimum eius verbum movebuntur; Sol se sistet, montes sicut cera liquescent à facie Domini : Et illi deerit potentia movendi, & tangendi cor tuum illa suorum bonorum profusione, & suarum gratiarum in hoc sacratissimo suæ Incarnationis Mysterio tanta elargitione, & quasi prodigalitate ? Emendemur in melius, & evigilemus ad vocem Apostoli. *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*
Hora est jam nos de somno surgere : Nunc Rom. 13. v. 11. & 12.
enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.

SERMO II.

PRO FESTO S. ANDREÆ

De amore crucis, & de vita Laboriosa Ecclesiasticorum.

I. Ardor quo S. Aandreas advolat ad crucem, & cur?
II. Cur Christus suos Apostolos personas Laboriosas elegerit, illisque amorem crucis inspiraverit.
III. Quod hic amor esse debet constans, & perseverans.

ADductus Andreas ad locum Martyrij, cum crucem vidisset à longe exclamare cœpit, *O bona crux, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata*. Hisce verbis S. Andreas omnibus ipso facto denuntiavit quantum bonũ sit crucem amare, crucem ferre, & in illa perseverare; quia illa sola salvare potest, & unica est, via salutis.

PVNCTVM I.

COnsidera primo ardorem, quo S. Andreas hodierna die fertur, & advolat ad Crucis complexum. Vide quo, homo ille senio confectus, & Laboribus fractus, gaudio, ad locum properet supplicii : Vidistine unquam hominem

minem ullum magis affectum, ac propensum ad gaudia, & voluptates, quam hic sit ad tormenta, cruciatus, & pœnas accensus? Rationem huius ab eo si requisieris, tibi respondebit illam esse amorem, & exemplum, sui Magistri, illam esse Lectionem unicam, quam ab eo didicit Magistro, toto triennij decursu, quo in sacro eius seminario permansit, & quo eius ferulæ, & disciplinæ subjectus fuit; Hanc esse partem virorum Apostolicorum; & maximũ, quem à mundo expectare honorem, aut amplissimam quam recepere cupiant, hac in valle dissimilitudinis gloriam, & unicam desideratam mercedem. Ob eam causam, quadam, & extrema quasi impatientia, ob moram, qua retardatur quo minus pro voto cruce ita avide desiderata frui quirat, magna exclamat voce. *O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, suscipe Discipulum eius, qui pependit in te Magister meus Christus.* Ita crucem amabat. B. Andreas. *Si porro dederit homo omnem substantiam suam*
Cant.8.v 9 *pro dilectione.* Verbum Domini est:
1 Pet.2.v.11 *quasi nihil despiciet eam. Hæc est gratia*
2.Cor.7. 4 *apud Deum: in hoc vocati estis, vobis dona-*
Galat.6. v.14. *tum est.* In eo summum inveniebat Apostolus gaudium, ut fatetur. *Superabundo* inquit *gaudio in omni tribulatione nostra.* In eo siquidem solum gloriatur *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Isti sunt, qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine*
Act. 21. v.13. *suo. Ego non solum alligari*; Loquitur Apostolus: *Sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Verum tu qui succedis qua Ecclesiasticus hisce viris crucifixis, & crucis amatoribus, quæ tua sunt sensa, & sentimenta de cruce? Quanti vitam Ecclesiasticam æstimas? Credidisti ad præsens usque, quod fuisset vita pœnæ, laboris & fatigationis? Vel potius, quod foret vita otii, inertiæ & voluptatis? Hoc te docere debet exemplum omnium generaliter, qui animarum servitiis fuere deputati, utilitatem, & fructum sibi, & aliis inde referentes. Hoc te doceat optio, & electio, qua suos adoptavit elegit, & constituit Apostolos Christus, qui volens erigere congregationem ad conversionem universi ut doceant homines, non elegit delicatos, & otiosos; Verum pro maxima parte Piscatores, prout est hodie S. Andreas; Viros laboriosos, & fractos laboribus, potentes dicere veraciter: *Portavimus pondus diei, & æstus. Ambulans porro Iesus juxta mare vidit*
duos fratres mittentes rete in mare. Ecce Matth.4.
laborantes invenit, non otiosos. *Abstinentiam Discipulorum*, ait Chrysost: *admirare. Quomodo nullam corporis curam, nullum studium habeant; sed sine premeditatione aliqua*, ac præparatione aliqua mensam sibi sic constituant, ut continua fere cogantur inedia premi, neq: tamen à Christo discedunt. Unde idem Chrysost: in 1. ad Tim: *Si quis* inquit: *delicatus, aut remissus fuerit, dignus non est: Nisi fuerit hos trituram, & contra gelu, & spinas jugum sustinens traxerit, neque ante discesserit, dignus non est. Quo-*
tidie morior; ait Apostolus *propter ve-* 2.Cor 11. v.23.
stram gloriam fratres, in laboribus pluri-
mis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, Et alibi: *In labore, & ærumna, in jejunijs, in frigore, & nuditate.* Et si scire desideras cur

cur hac Christus directione utatur attende, & intende subsequentibus.

PVNCTVM II.

Considera secundo, quod ratio cur hac Christus directione uti voluerit cum suis est, quia volens, & resolvens salvare homines per crucem, & illos ad se reducere per labores, cruciatus, & tolerantias, oportebat ut coadjutores tanti operis, ut loquitur Apostolus, personas tales, quæ multum suo exemplo pati possent, mortuos sibi ipsis, & suis non adhærentes appetitibus, & sensualitatibus inordinatis eligeret. Et revera, quomodo homo suis immersus appetitibus, suis inhians delitiis, & voluptatibus, qui saluti animarum deputabitur laborem ad hoc requisitum sustinere volet? Quomodo curas, & sollicitudines, ac difficultates sive eundo & revertendo, vigilando, frigus, & æstus tolerando sive in quocunque incommoda, ferendo, suæ ut satisfaciat curæ, habere volet? Dicet se ad hoc esse insufficientem, vires non habere. Difficultatem habebit & faciet se à suis retrahendi appetitibus, recreationibus & deliciis, suas commoditates deserere non valet. Multum abest, ut hujusmodi dicat, aut dicere queat cum Apostolo S. Paulo se mortis periculum non refugere, vitam profundere non recusare, modo animas è laqueis diaboli ereptas divino consecrare queat servitio. Et
2 Cor. 13. v. 14. cum illo gloriari *in laboribus plurimis in fame usiti, in jejunijs multis, in frigore, & nuditate* & infirmitatibus ac potius excessivis, & multis, omni occasione sibi illatis, aut inferendis. Hæc est enim via salutis, via Crucis, & tolerantiæ. *In Cruce per totam pendere vitam debet Christianus, non enim est in hac vita tempus evellendi Clavos.* Si ergo Christianus omnis in cruce gloriari, & perseverare debeat per totam vitam, à fortiori curis ammarum deputati velut aliorum Duces antesignani, præcuro soresque ad palmam, illud ipsum prętare debent. Verum, quia plures sibi blandiri, & existimare possent, se jam magnos fecisse progressus, multum jam tolerasse pro reductione, directione, & salute animarum, sed nondum consummarum est, finem expectent in cruce pendentes, deponi non petant, in illa consummare debent.

PVNCTVM III.

Considera tertio, non sufficere certis in occasionibus, sui desiderii patiendi pro salute animarum specimen dedisse: At necesse est, amorem hunc esse perseverantem, & sua duratione, & perseverantia vitæ coronidem imponere. Si porrò Christiani simplicis & absolute, ut dicit S. Aug: vita sit crux continua, cui die, & nocte sine intermissione affixus perseverare debet usque ad vitæ consummationem; quanto magis debent illi affixi esse Ecclesiastici, non clavis duntaxat divinorum mandatorum: verum insuper, & clavis omnium obligationum suo statui & professioni particulari annexarum, qui status non est ad alium finem institutus, quam ad laborandum, tolerandum, certandum patiendum, & in passionibus, vigiliis, ac Labo-

laboribus consummandum. Hoc Christus suis non occultans, sed dixit, & prædixit aperte. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: At filius fueratne missus ad aliud, quam ad patiendum? Et quo tempore pati cessavit? Ex quo & vivere, Passio, & vita pari cursu in Christo inceperunt & desierunt, utramque porro in morte conclusit. *Non est tempus in hac vita evellendi clavos* inquit S. August: Ea de causa S. Andreas cruci semel affixus descendere de cruce non vult, suum imitatus Dominum, & Magistrum: *Biduo vivens pendebat in cruce, donec ad eum migraret, cujus similitudinem mortis concupierat.* Sciebat enim solam crucem perseveranter, & usque in finem toleratam coronam vitæ æternæ mereri: *Sicut totius est corporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre. Nondum usque ad sanguinem restitistis. Qui in modico iniquus est, in majori iniquus erit, & qui fidelis in minimo, & in majori fidelis erit. Semper nos qui vivimus in mortem tradimur propter Iesum.* Crux ergo propter Jesum semper ferenda est usque ad mortẽ, & in ipsa, mors ipsa suscipienda & vincenda est, ut nõ propriis quis de illa, sed alienis deponatur manibus: Animadverte, & considera nunc quo modo crucem ames; Et dicere noli, occasio si sese offerret, quod eam subires libenter, & ex animo, quia si minimam tibi irrogatam injuriam, contemptum levem, parvum frigus, subjectionem ferre non potes ad certam ordinationem bene positam servandam, quomodo sanguinem fundere proprium poteris? Non opus est tot percurrere provincias ut S. Andreas, ad infideles currere, ad Martyrium adipiscendum; occasiones sese quotidie offerunt. Ast si non fueris in minimo fidelis, in levibus sine difficultate obeundis, quomodo fidelis eris in magno? Noli putare S. Andream, & alios SS. Martyres uno momento, prima occasione continuo pervenisse ad sui sanguinis effusionem, & ad palmam pro Christo Martyrii; Non unum passi sunt Martyrium, priusquam ultimo coronati fuerint Martyrio. Plus quam semel sese obtulerunt ad Martyrium se se sæpius, quam semel affectu, & desiderio Deo in sacrificium obtulerunt antequam realiter fuerint sacrificati, & ipso facto in mortem pro Christo dati. Et totum quod in sua morte passi sunt nõ fuit nisi merces, & confirmatio præcedentium passionum, vel magis continuatio omnium in toto suæ vitæ decursu passionum & Martyriorum. Hac intentione hoc sensu, & sentimento loquebatur S. Paulus. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Mi benigne Deus, mi dulcis Jesus, mi pie Redemptor non ex hodierno duntaxat die, non ex hac solum hora, aut ex hoc momento tantum est, quod patiamur, quod morte tradamur, quod toleremus; Sed omni die, omni hora, omni momento vitæ nostræ, tota vita nostra non est nisi continuum Martyrium, & perpetua mors. Idem præsta, tu fidem exequere, fac similiter; Si vis magni Apostoli, & S. Andreæ imitator inveniri. *Solemnitates enim Martyrum, exhortationes Martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

S. Leo ser. 9. de quad. Heb. 12. v. 4.

Luc 16. v. 10. 2. Cor. 4. v. 11.

SERMO

SERMO III.

PRO FESTO S. NICOLAI.

De bona applicatione Talentorum à Deo datorum, ad exemplum S. Nicolai.

I. Tria magna, & præcipua Talenta S. Nicolai.
II. De bono usu ejus talentorum.
III. Quomodo exemplo ejus examinare debeamus nostra, & applicare ad Lucrum.

Domine quinque tolenta tradidisti mihi, ecce, alia quinque super lucratus sum. Matth. 25. v. 20.

VErba hæc, verba sunt exultantis, & anhelantis. Verba sunt exultantis ex testimonio bonæ conscientiæ de bono gaudentis, de malo non metuentis; cum Apostolo in veritate dicere potentis: *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo* 2. Cor. 1. v. 12. In illo enim solo verum inven tur gaudium. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Eccl. 13. v. 30. Ideo gaudet, & exultat confidenter, & secure S. Nicolaus dicens: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque super lucratus sum.* Et ideo verba hæc sunt, & verba anhelantis, & aspirantis ad dignam lucri reportati remunerationem: *Operarius* enim teste Apost: *dignus est mercede sua;* 1. Tim. 5. v. 18. Ad repositam coronam justitiæ boni certaminis feliciter consummati, & ad introitum gloriæ in remuneratione fidelitatis exhibitæ & servatæ. Ideo exultans, & laudans dicit S. Nicolaus, *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque seperlucratus sum.* Tua non dissipavi, non abscondi, sed multiplicavi, & auxi, tibi in omnibus satisfeci. O utinam omnes in veritate idem dicere possent. Dicere autem hoc illi omnes possunt, qui in omnibus sui Domini gloriam, lucrum, & utilitatem omni sinceritate, quæsiverunt, nec in ullo bonis sibi à Domino concessis abusi sunt, in nullo conscientia teste de infidelitate convicti, vel convincendi. Hi testimonio bonæ conscientiæ confisi cum gaudio adventum Domini sui expectant, remunerationem suæ fidelitatis recepturi. Vt ex subjunctis accuratius examinatis deducetur.

PVNCTVM I.

COnsidera primo talenta, & gratias, quas Deus S. Nicolao communicaverat. Prima fuit natura optima; quæ illum ex seipsa cum gratia reddebat propensum ad omnia bonorum operum genera, ut ad orationem ad eleemosynam, ad jejunium; quod servavit, & practicavit ab incunabulis, diebus Mercurii, & Veneris. Et quod illi horrorem ingerebat extremum omnis perversæ Societatis, omnium locorum, & occasionum suspectarum. Poterat S. Nicolaus dicere cum Tobia.
Tob.3.v.17. *Nunquam cum ludentibus miscui me,*
Sap.8.v.9. *neque cum his, qui in levitate ambulant,*
3 Reg.3.v.9 *participem me prabui.* Et cum Salomone; *puer eram ingeniosus, & sortitus animam bonam, & Cor docile.* O quã magnum est illud Dei donum, bonam accepisse animam! Altera fuit recepisse cor docile: Tantæ erat porrò S. Nicolaus docilitatis mentis, ut facilime ductu suorum Parentum, Magistrorum, & Directorum duceretur in omne bonum, aversus semper ab omni eo, quod poterat displicere Dei, aut hominum oculis. Tertia gratia erat Vivacissimum ingenium ad omnem scientiam perfecte dispositum. Ut de illo vere illud verificetur Scripturæ: *Disciplina intellectus replevit il-*
Isaia 50. v.4. *lum: creavit illi scientiam.* Et poterat cum Propheta dicere in veritate. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.* Sed & erat ab ineunte ætate judicij maturi, & optimi, opere, & sermone potentissimus, & omni sapientia, virtute, scientia, ac perfectione repletus. Deo æternas persolve gratiarum actiones, quod Sanctum hunc tanta dignatus est liberalitate replere gratiarum, & favorum ita excellentium plenitudine illi quoad superaffluentiam, & non quoad sufficientiam duntaxat misericordissime, & benignissime providendo. Verum quia non est satis dona, gratias, & beneficia recepisse; Nisi profectus subsequatur. Videamus quomodo S. Nicolaus profecerit, quales fructus retucerit.

PVNCTVM II.

COnsidera secundo quam bonum harum sibi à Deo tam liberaliter concessarum gratiarum usum, habuerit S. Nicolaus; nulla in nullo abutens gratia. Verum magis summa diligentia, sollicitudine, & vigilantia, omni datæ sibi gratiæ cooperans vel minimæ, nunquam in vacuum Dei gratiam recepit. Hæc ut verificentur, & innotescant vita eius duntaxat videnda erit, in ea ut videantur conatus optimi optimæ naturæ, & inclinationis; qua erat ad omne bonum propensissimus, mundum fugiens, solitudinis amicus, nulli se hominum conversationi, nisi coactus contraque voluntatem ingerebat. E cœlo continuo voluntatem Domini illam, ut cognosceret, & adimpleret requirens. Itaque divinitus recognoscens desuper legẽ, & mandata sibi imposita, sacro Presbyteratus ordine initiatus, cuilibet notum est, quot in sanctis actionibus, in virtutum exercitiis, in operum fervore bonorum exercitationibus, in

meritorum accumulationibus, sese continuo, sine intermissione occupaverit, vitam ducens sanctissimam. In jejuniis multis semper austerior, euadens, in orationibus prolixior, in Eleemosynis liberalior, in charitate Dei ferventior, quotidie magna virtutum omnium, charismatum divinorum, & gratiarum sumebat incrementa: Poterat cum servo fideli dicere in veritate *Domine quinque talenta tradidisti mihi, Ecce alia quinque superlucratus sum.* Et cum psalmista. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Cum B. Job. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio.* In illo verbum Sapientis verificabatur: *Audiens, sapiens sapientiū erit.* Et ut hæc eius docilitas sumeret augmentum, ita assueverat alieno sanorum Magistrorum, piorum, & sapientum Directorum sese piæ, & sanctæ subdere directioni, & salubri subjicere ductui: Ut etiam Episcopus existens, Etsi capacissimus, ut erat, nihil momenti alicujus exequebatur nisi totum suasu Episcoporum, quos eum elegerat in finem; quibus sese ita docilem & morigerum exhibebat, ac si fuisset eorum ferulæ subjectus discipulus, illis in omnibus deferens: In hoc se S. Apostolo Paulo conformans ad amussim. Qui de se loquens ad Galat: & alios quid facere deceat instruens *Contuli cum illis*: ait: Nimirum cum aliis Apostolis. *Evangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Et certe juxta Verbum Ecclesiastici. *Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis.* Ipse autem animum, ut firmaret, & prævaleret, ita serio divinis sese applicabat Literis; ut illas sibi etiam ad mensam legi præciperet. Prædicabat fervore indicibili, consolabatur Mœstos, perversos arguebat, corrigebat criminosos, Hæreticos confundebat, & confutabat; Idololatriam extirpabat, & ubique exterminabat. Imperatoribus, Regibus, Principibus Rectoribus, & in sæculo potentibus imperterrito loquebatur ore, & firmitate se se opponebat immobili, in se quadrare faciens; quod olim Prophetæ à Deo dicebatur. *Ego dedite hodie in columnam ferream, & in murum æneum, super omnem terram, Regibus Juda, Principibus eius, & populo terræ.* Ecce quomodo S. Nicolaus sua impendebat Talenta, quomodo conabatur nova super lucrari, & in omni proficere bono.

Matt. 25. v. 20.
Psal. 5. v. 8.
Iob. 31. v. 18.
Proverb. 1. v. 15.
Galat. 2. v. 2.
Eccl. 49. 3.
Ierem. 1. 18.

PVNCTVM III.

CONsidera tertio; quæ tua sint talenta; ut bene animadvertas, & consideres, quem ex illis referas fructum, an coneris alia super lucrari, ea lucro continuo impendendo, quæ habes. Ad hoc Universim hortatur Apostolus. *Videte* inquit *Vocationem vestram*, illi vitam vestram accommodate, illi conformiter vivite, illi satisfacite, crescentes in omnibus bonis coram Deo, & hominibus. Talenta hæc cujusvis vocationi data, & dispersa, æqualia omnibus hominibus non communicantur; quidam plura, pau-

1. Cor. 1. 26.

pauciora alii receperunt; de his disponere solius Dei est; qui & rationem non requiret nisi proportionate ad illud, quod alicui communicaverit, & fiderit. *Vnicuiq; secundum propriam virtutem.* *Vnusquisque* inquit: Apostolus: *donum habet à Deo; alius quidem sic, alius autem sic.* Et alibi: *Non omnes Doctores, non omnes Prophetæ,*&c. Vide ergo quid receperis, gratias naturales, & supernaturales, tibi ad lucrum concessas bene considera. Et potestatem, quam habuisti, & habes in administrationibus Sacramentorũ quam accepisti in ordinatione, quomodo illa utaris in hominibus Deo reconciliandis, in disseminando semine verbi Dei, vel in aliis tibi impositis ad tuum, & proximi bonum functionibus. Tot porro sunt tibi data Talenta. Quem horum habes usum? Quem inde fructum refers, vel lucrũ? Quot super lucratum te putas? Non requiritur à te, ut quod unus S. Nicolaus præstitit, præstes. Vel ut tantum præstes, quam ille; qui plura quã tu, recepit talenta. Sed duntaxat id à te requiritur, ut omni coneris conamine facere, & hoc quidẽ tam fideliter illud, quod tibi exequendum imponitur in conditione, & ordine tuo, ut Sancti fecerunt in suo. Hoc requirit Apostolus, ad illud rogans omnes, & obsecrans: *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne* inquit *ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Ad S. nunc Nicolaum te convertas, ad illum accedas, illum roges, ut quæ Deus à te requirit, intelligas, ut gratias impetres in talentis tuis proficiendi, illa multiplicandi, & nova superlucrandi, tuæ proportionaliter conditioni; ut ut ille, & omnes Sancti in suis profecerunt nova super lucrando, & multiplicando: ut suo tempore possis cum gaudio audire hæc acceptissima verba, quę ille in Die defunctionis suæ lætabundus audivit, & sancti omnes. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

1. Cor. 7. 7.
1. Cor. 12. 29
Ephes. 4. v. 1



SERMO IV. PRO FESTO CONCEPTIONIS.

De puritate Ecclesiasticis necessaria ad exemplum Matris Dei.

I. Quomodo Hæc verba perfectè in sacratissima Virgine verificantur, à momento conceptionis suæ immaculatæ: *Tota pulchra es* &c.
II. Quam proportionaliter magna esse debet, Ecclesiasticorum puritas.

Tota pulchra es amica mea, & Macula non est in te. Cant. 4. v. 7.

TOta pulchra es amica mea, quasi diceret, pulchritudo tua, O amica mea ineffabilis est. Tota pulchritudinis plenitudo in te reperitur, Nihil in te invenitur, quod deformet, totum, quod in te est, summe illi conforme est pulchritudini, à qua omnis originatur pulchritudo. Quod totum in virgine gloriosissima, hac eius conceptionis purissimæ die, verificatur. In quâ, illa tota pura fuit, tota pulchra, & tota sancta, involuens plenitudinem omnis puritatis, pulchritudinis, & sanctitatis. Ideo ab Angelo salutatur gratia plena. *Ave gratia plena. O vere dulcis insinuatio*: inquit S. Bonaventura: *Insinuatur namque in his quam purissima, quam plenissima, quam tutissima, quam dignissima, quam utilissima fuerit virgo beata Maria. Purissima inquam, propter culpæ carentiam, plenissima propter gratiæ affluentiam; tutissima propter divinam præsentiam, dignissima propter personæ reverentiam, utilissima propter prolis suæ excellentiam.* Ideo tota pulchra *propter omnimodam culpæ carentiam, & immunitatem; & propter omnimodam vitæ innocentiam, & puritatem.* Sic ergo *innocentissima, & sanctissima Maria fuit. Corde absque væ; ore fuit absque væ, opere absq; væ. Et ideo dictum est Ave* Ita S. Bonav in Speculo B. V. c. 2. Nec corde, ergo, nec ore, nec opere maculam habuit, aut contraxit. Idque nec originaliter, nec actualiter. Vt vere ei Dominus posset dicere, *Tota pulchra es amica mea.* Pulchra corpore, pulchra anima, pulchra mente, tota omnino pulchra in omnibus, & quoad omnia. Vt latius. Elucesset.

PVN-

PUNCTUM I.

CONsidera primo, quomodo horum verborum veritas perfectè hodierna die adimpleta, & verificata invenitur per favores, privilegia, & gratias, quas Deus Virgini Sanctissimæ præstitit in die, hora, & in primo momento suæ felicissimæ, & immaculatissimæ conceptionis. Primo illam præservavit ab originali macula, & exemit à generali maledictione in totum genus humanum derivata; quâ omnes infantes, à primo suæ conceptionis momento, fiunt filii iræ Dei, maledictionis æternæ, pœnam incurrentes juxta Verbum Domini æternum.
Iob.2. *Nemo mundus à sorde, nec infans unius*
Psal.50.7. *diei. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Unica ab hujusmodi peccati fuit exempta Beatissima Virgo
Cant.2. Maria. *Amica mea, columba mea, immaculata mea.* Ita illam divinus appellat sponsus in Canticis. Et ne dari posset alicui ansa erroris. Subjungit
Cant.5.v.2 ibidem: *Una est columba mea, perfecta mea.* Haud dubie Mater Dei beatissima, omnes excedens creaturas perfectione, & Angelos puritate. Illam secundo replevit omnium gratiarum plenitudine; qua omnes omnium Angelorum, & omnium Sanctorum simul gratias, favores & privilegia supergressa est. *Fundamenta eius in mon-*
Psal.86.v.1 *tibus sanctis. Sanctificavit Tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius non commovebitur.* Ideo ab Angelo
Psal. 45. v.5.& 6. Salutatur à plenitudine gratiæ. *Gratia*
Luc.1. v.28 *plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* In illa tertio fuit omnis fomes peccati, & rebellio carnis omnino extincta, ut loquitur S. Jacobus. *Incendit notam nativitatis nostræ.* Ex quo nunquam sensit ullum, vel minimum motum inordinatum, aut in corpore, aut in anima. Quos experiens Apostolus conquerebatur, & se humiliabat agnoscens sibi fieri ex speciali permissione divina, ad sui humiliationem, & meritum coram Deo. *Et ne*
ait: *Magnitudo revelationum extollat* 2.Cor.12.7.
me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Hic autem stimulus non habuit locum in virgine gloriosa; quæ semper caruit omni macula. Tandem illam stabilivit, & confirmavit ita in sua gratia; ut omnes inferni, & dœmonum vires non sufficiant illam movere, vel à bono dimovere vel in minimo: Verum magis ut sol crescit sumens semper novos luminis, & perfectionis progressus, usque ad perfectum diem; &
vitæ suæ finem: *Ipsa siquidem conteret* Genes.3.15.
caput serpentis antiqui, Mulier porro hæc amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. In
veritate dicere potest. Non permisit me Apoc.12. 1.
Dominus ancillam suam coinquinari. Non enim pro te O Virgo beata, sed pro omnibus hæc lex constituta est: accede igi-
tur, & tange sceptrum. Consiste pau- Iud.13.v.12.
lulum, & in consideratione harum rerum admirabilium immorare: Testificans divinæ huic virgini gaudium ineffabile, quod ex huiusmodi perfectionum, gratiarum, & specialium privilegiorum eius consideratione percipis. O quam rationabile erat, & decens, Virgo Sancta, ut nullum tempus, nulla

nulla hora, & nullum momentum daretur, inquo non fuisses tota pulchra, tota immaculata, & Deo gratissima. In quo inimicus generis humani nullam in te partem habuisset. Cujus caput tu contrivisti, & conteres; omnes ejus conatus & insultus eludens, & repellens! Verum quia hæ excellentiæ, virtutes, & prærogativæ illi sunt speciales, & propriæ, fructus ex illis nobis eliciendi sunt speciales unde.

PVNCTVM II.

Considera secundo ad instructionem nostram, & ad fructus, quos ex hac debemus festivitate elicere, quod si divina bonitas hæc tot eximia privilegia concesserit illi virgini; quia erat destinata; ut suo tempore foret Mater eius. In suis porrò Castis visceribus concipere debebat, & portare verbum incarnatum; & parere filium Dei. Quâ puritate nitere debet ille, qui sacræ eius mensæ approximat, & accedit, hoc ipsum verbum recepturus, non mortale amplius, & passibile, ut à Virgine Beata conceptum; At immortale, & impassibile, ut Triumphat, & regnat in cœlo? Verum quæ, & qualis esse debet puritas, & sanctitas Presbyteri, qui quotidie illud consecrat, conficit præsens exhibens in altari. Qui illud tractat, & fert manibus, ore suscipit, corde recipit, dat fidelibus, & illis eius gratias, & merita distribuit? At qualis hæc lectio nobis est! Qualis instructio; Qualis doctrina! Hanc comparationem bene considera. Christus Jesus ita puritatem amavit, ut homo fieri volens elegerit Matrem Virginē, illam omni gratiarum replens plenitudine, ex primo momento conceptionis suæ. Et Presbyteri, qui functione Matris quodamodo funguntur, illum dum recipiunt, dum conficiunt, dum distribuunt, dum deferunt; auderentne vita vitiis & criminibus Maculata, desideriis immersi sæcularibus, & Mundanis, indignisque repleti cogitationibus, creaturis adhærentes inordinate, se se hisce sacris hujusmodi ingerere functionibus? Vide an non forte ex horum sis numero? Ad Matrem recurre pro veniæ impetratione, pro impetranda vera contritione, pro perfecta adipiscenda conversione. *O quisquis*, ait S. Bern: *Te intelligis in unius sæculi pro fluvio magis inter procellas, & tempestates fluctuare; quam per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam* &c. *Ipsa tenente, non corruis, ipsa propitia, pervenis.* Quam tu nunc impendis curam, quam adhibes sollicitudinem, quem exhibes conatum, cor tuum ut purifices, ab omnibus eximas affectionibus mundanis, & ab inordinatis cunctis liberes motibus, puram, & dignam in eo faciens mansionem ad Dei filium in Sacramento altaris recipiendum? Quid præstas ut corporis tui puritatem Christo Jesu conserves, illi ut offeras sacrificium acceptabile? Hoc die, hoc momento magnum concipe cordis desiderium hujusmodi puritatis habenben-

S. Bern. homil super Miss:

bendæ, & conservandæ. Illo ne priveris recurre ad Matrem, recurre ad Virginem, recurre ad conceptam sine macula in die purissimæ conceptionis suæ. Purum ut puritatis, & efficax concipias desiderium, illa tibi id à Deo impetrante infallibiliter. Certus sis tibi non deerit hac patrocinante, à tuo non fraudaberis desiderio illa petente. *Nec voluntas* porro S. Bernardo teste *deest*, *nec potestas*. *Illi voluntas non deest, quia piissima, nec potestas, quia potentissima.* Si ergo hac in occasione, ut & in aliis omnibus tuis necessitatibus tuum ad hanc recursum habueris, infallibiliter, ne dubites, tuæ effectum obtinebis petitionis. *Nec enim facultas ei deesse poterit, nec voluntas* inquit, magnus ille Virginis Beatissimæ Cultor S. Bernardus. S. Bern. serm. de Assumpt. Et alibi *Non deest Mariæ potestas, quia Mater est omnipotentiæ; Nec impetrandi potestas, quia Mater Sapientiæ: Nec voluntas, quia Mater est misericordiæ.* idem serm. 4. Ex quo optime S. Anselmus: *Quos sæpe* inquit: *Justitia filii damnare potest, Matris misericordia liberat.*

SERMO V.

PRO DIE FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

De consideratione Sacrorum vulnerum Christi Jesu.

I. Cur Dominus noster voluerit post resurrectionem suam retinere cicatrices vulnerum suorum.
II. Has oportet introire cicatrices, per meditationem.
III. Quid nos facere deceat, ubi introgressi fuerimus.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuum, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus. Joan. 20. v. 27.

INvitat gratiose Salvator, quærens Oviculæ salutem, Thomam ad sacrorum vulnerum suorum tactum, ut illorum virtute, & efficacia à sua liberatus infidelitate, fidelis adhærens fidelibus, fidelem manet operam fidei, & saluti tum propriæ, tum alienæ. Ad hoc illi Salvator imperat inferre digitum & videre manus suas, & manum mittere in latus indicans solum apud se, & virtute sacratissimæ passionis, & sanctissimorum vulnerum suorum salu-

S. Wilhelmus Hertzog und Einsidler / 10. Februarij.



Zu GOtt hoffen / und darneben in Sünden fortfahren / ist keine wahre Hoffnung / sondern ein Teufflische Vermessenheit. Dion. Carth.

Wahre Hoffnung zu Gott.
Für die vermessene Sünder.

S. Wilhelm ein Hertzog in Aquitania/ ist von seiner verstocken Boßheit nicht eher ge-wendet worden/ biß ihn der H. Bernardus das Hochwürdige Sacrament vorgestellet/ und mit wenig/ doch kräfftigen Worten angeredet. Alsdañ ist er Gott seinem Herrn zu Füssen gefallen/ und hat seines Lebens Besserung versprochen. Hat sich darauff in einen Eisenen Pantzer einschmieden lassen/ und ist also gen Rom zum Pabst Eugenio / und hernach gen Jerusalen verreiset/ wo er in einer Hölen neün gantzer Jahr/ ein sehr bußfertiges Leben geführt. Der böse Geist hat ihm starck zugesetzt/ auch mit harten Schlägen und betrülichen Erscheinungen schier wiederum zum vorigen Leben gebracht / wan ihm die Mutter Gottes nicht erscheinen/ ihn getröstet/ und gestärcket hätte. Und weilen nun seine Seel durch so bußfertiges Leben gereiniget / Gott gefällig war / hat er dieselbe in grosser Heiligkeit demselben auffgeben / und ist seeliglich entschlaffen im 1156. Jahr. Auff seinem Grab ist ein kleines Kirchlein gebauet worden / im welchem viel Krancke und Bresthaffte/ durch deß H. Wilhelmi Fürbitt/ seyn gesund worden. Ex Surio.

Gebet.

O Herr/ der du deine Gütte und Barmhertzigkeit an dem H. Hertzog Wilhelmo erwiesen hast; gieb/ daß/ wie du ihm auß einem verstockten Sünder/ zu grosser Heiligheit erhoben hast daß wir auch nicht in unsern Sünden verderben/ sondern nach zeitlicher Buß / deiner Gütte ewiglich geniessen mögen. Durch Christum unsern HErrn/ Amen.

St. Thomas, Bischoff und Martyrer. 29. Dec.



Ist das nicht ein grosse Thorheit / dem Geld / und Gold nachstreben / und dabey den Himmel verliehren. S. Aud.

Unrecht Gut wieder zustellen.

Für Besserung der Geitzigen.

S. Thomas Bischoff zu Candelberg/ da er die unbillige / und der Freyheit der Kirchen nachtheilige Gesätz Henrici des andern Königs in Engelland nicht wolte gutheissen / ist er beym König so weit in Ungnad kommen/ daß es nun an dem ware/ daß Thomas solte gefänglich eingezogen werden. Alle Freund und Bekannten hielten bittlich an / er solte doch der Zeit in etwas weichen/ seiner und ihrer verschonen; aber Thomas wolte lieber das Elend dulden/ als der Begierlichkeit / und Geitz des Königs beyfallen. Auf Bitt des Pabsts und des Königs in Franckreich/ wurd er wieder mit grossen Freuden in sein Bisthum eingesetzt; aber von den Ohrenblasern bald wieder verkleinert / daß auf etliche Wort des Königs etliche Hof-Diener sich gen Candelberg begeben / und den H. Bischoff unter der Vesper in der Kirchen enthauptet/ und mit seinem Hirn das gantze Plaster bespritzt haben. Ex Brev. Rom.

Gebeth.

O GOtt! um dessen Kirchen willen der Glorwürdige Bischoff Thomas durch das Schwerdt der Gottlosen gefallen ist; wir bitten dich/ verleyhe uns/ auf daß alle/ die seiner Hülff begehren/ ihrer Bitt ein heylsame Würckung erhalten. Durch Christum etc.

salutem posse reperiri. *Non enim est aliud nomen datum sub sole in quo oporteat nos salvos fieri*, quam nomen Jesu Christi Crucifixi: Ipso quippe facto, completo in actu saltem primo & signato, à quo omnes eius divinis cooperantes gratiis possunt in actu secundo plene participare salutem, actus est Christus Jesus Salvator noster sua passione, & Sacris suis vulneribus mediantibus. Apostoli Testimonio: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum & omnis lingua confiteatur, quia Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Licet enim nomen Jesu illi datum sit ab instanti conceptionis, res tamen significata in morte prius plene posita est, qua se exhibuit Salvatorem, & affectu & effectu. Vt tunc illi nomini Jesu exhibeatur ab omnibus creaturis ubicunque existentibus, omnis gloria honor omnis, & omnis reverentia. Ea de causa Christus vult, & imperat Thomæ ut agnoscat se Salvatorem perfectum, à quo omnis salus provenit, & quærenda est: quia omnis gratia, omne meritum, & actio omnis saluifica innitiur Christi meritis, fide operante per charitatem credentis. Quod Christus hoc passu indicavit per hoc, quod non duntaxat voluerit, ut Thomas videret manus & pedes, sed & afferret manum, & mitteret in latus; ut pote ipso opere exprimendo, quod fide perceperat. *Quia fides sine operibus mortua est.*

PVNCTVM I.

CONsidera primo cur Dominus noster suas volverit retinere vulnerum cicatrices, etiam post suam resurrectionem, non fuit tantum, ut signa forent sui triumphi, ut optime Beda. *Non ex impotentia curandi, cicatrices servavit, sed ut in perpetuum victoriæ suæ circumferret triumphum.* Beda c. 97. in Luc. Nec tantum ea ut Patri æterno, repræsentaret, eum ad misericordiam erga nos, ut facilius flecteret; Juxta verbum Apostoli. *Vt appareat vultui Dei pro nobis.* Heb. 9. 24. Vel ut in die judicii confundat reprobos; Verum præcipua ratio, & causa fuit; juxta S. Bernardi mentem; ut beneficio harum cicatricum, & sacratissimorum vulnerum sugeremus mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Et ut ex aperturis sacri sui corporis secreta purissimi sui cordis; magnitudinem bonitatis suæ, & amoris sui excellentiam perciperemus, & penetraremus. Hæc Christi sacratissima vulnera, sunt omnibus velut Civitates refugii, fortalitia inexpugnabilia salutis, portus, fontes vitæ, cavernæ maceriæ; in quibus columba, hoc est anima pia, & devota se detinet, Tutatur, & contra pericula & insultus accipitris infernalis circumvolantis, nec potentis, protegit. *Sciebat*; ait S. Aug. *Christus quare cicatrices in suo corpore servaret; sicut enim demonstravit Thomæ non credenti, nisi tangeret, & videret, ita etiã inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos veritas dicat; Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera, quæ infixistis, agnoscitis latus, quod pupu-*

pupugistis, quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis? Columba mea in foraminibus petræ Cant. *In his se columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem, passer invenit sibi domũ, & turtur nidum ubi ponat pullos.*

PVNCTVM II.

PRopera, accede, & approxima, anima mea, firma fide, & hæc sacratissima, & adoranda vulnera, ut omnes illorum si, possis, apprehendas, & comprehendas dimensiones, utpote quæ sit eorum latitudo, qua omnes, nemine excluso, complectuntur, longitudo; qua sese extendunt ad omnia omnino merita, gratias, & privilegia unquam concessa, aut concedenda, sive in cœlo, sive in terra, sive infra terram. Altitudo; qua pertingunt usque ad supremum thronum Sanctissimæ Trinitatis, apud quam reconciliationem generis humani meruerũt. Et profundum; quo penetrarunt ultimas terræ partes, captivos faucibus inferni ereptos cœlum ascendere fecerunt. Et hoc in illis, ut te abscondas, velut in Loco securitatis, asilo salutis. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Vides manus; quæ fabricarunt cœlum, & terram, manus, quæ suo tot salvarunt attactu, manus tornatiles omnibus omnia bona diffundentes; Manus; quæ omnibus suas largiuntur benedictiones, totaliter perforatas, distillantes myrrham optimam, odoratissimam, & maximè efficacem ad omnem virtutem, & omne bonorum genus. Et quæ sunt Salvatoris benignissimi istæ plagæ in medio manuum? *Hisce plagatus sum,* ait: *in domo eorum, qui diligebant me.* Vidésne pedes eius, sub quibus mare se firmavit, solidum reddidit, & calcabile præbuit; quibus tota terra, ut scabellum deservit; ex quorum attactu Magdalena à septem Dæmonibus liberata, est, clavis perfossos durissimis? Vides tandem hoc latus, quod incendium est amoris ardentissimum? *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, quid hæsitas?* Non miror certè S. Thomam Christo tam benignè illum invitanti tam citò mutatâ loquelâ, proximantem mente in melius conversâ, tot visis prodigiis, & mirabilibus, credere etiam id, quod non videt. Confessione fideli cordis, & oris exclamare *Dominus meus, & Deus meus.* Verum ad quid tot vulnera, tot cicatrices, & tot aperturæ, nisi ut per illas intremus velut per tot portas in cor Christi Iesu? *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino.* Ita loqui S. Thomas potuit, & debuit. Ita omnes fideles quotidie petere debent. *O amantissima vulnera Domini nostri Jesu Christi! O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera Christi nesciunt introire, supra suas vires laborant in vanum; & aperta sunt ostia ad quietem. O vulnera corda saxea vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & pectora adamantiva liquefacentia præ amore!* S. Bon. *Per foramina corporis patent mihi arcana cordis: patet magnum pietatis Sacramentum.* S. Aug. *Per has rimas mihi gustare licet, quam suavis est Dominus Deus meus*

meus. In omnibus adversitatibus non invenies tam efficax remedium, quam vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me, manus inquam illæ, quæ affixæ sunt clavis pro me; Opus manuum tuarum Domine ne despicias, vulnera manum tuarum precor. ut aspicias, S. Aug.

S. August. Zach. 4. 21.

PVNCTVM III.

INtroeamus ergo, O animo mea; introeamus inde non exituri; introeamus spiritu, introeamus affectione, ibi ut eliciamus actus fidei vicacissimos, excellentiæ, & meriti infiniti, ad orandam bonitatem divinam, ad illi gratiarum actiones persolvendas, & ad rogandum, supplicandum, & conjurandum Dominum, & piissimum Salvatorem nostrum, ut cum voluerit hæc propter nos, & salutem nostram vulnera recipere, & de facto adhuc eodem motivo conservare, in testimonium sui ferventissimi in nos amoris, charitatis, & benevolentiæ: ut quoque illi placeat intuitu, & consideratione eorundem, nobis benedicere, nos protegere, purificare nos, nos sanctificare, illi cum Sanct. Augustino ingeminantes, supplicantes, & dicentes: Domine opus manuum tuarum ne despicias; Verum illud magis, ut conserves, respicias vulnera, tua precor, plagas consideres, cicatrices ne despicias; quas ejus gratia suscepisti: *Ecce in manibus tuis, Domine Deus descripsisti me, lege ipsam scripturam, & Salva me.*

S. Aug. Soliloq. c. 2.

SERMO VI.
DESERVIENS DISPOSITIONI AD FESTUM NATIVITATIS DOMINI.
De Adventu Domini Salvatoris nostri in animas.

I. Quantum intersit se ad Festivitatem Domini bene disponere; Et Christum, ut oportet, recipere.
II. Quomodo Dominus Iesus Christus animabus se communicat. Et modi diversi, quibus se communicat.
III. Media eum ut oportet recipienda.

In propria venit, & sui eum non receperunt Joan. 1.

UNiversorum Dominus veniens, non potuit non venire in propria, cujus nihil non potest non esse proprium vi creationis; quia omnibus esse dedit, quod habent, & ut habeant, conservat: At quod sui eum non

non receperint; summè mirandum, & deplorandum est: In eo porrò summa eorum fuit malitia, & incredulitas. Quod dicitur *in propria venit* dupliciter intelligitur, ut annotavit Theoph. Cyrillus enim, & Rupertus per propria, & suos intelligunt Gentem Iudaicam, populum sibi olim peculiarē de quo ipse Salvator dixit. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt Domus Israel.* Alii per propria, intelligunt totam mundi machinam, quam ipse condidit: Et per suos simpliciter homines ab eo conditos. Venisse autem dicitur, non quod inceperit esse, ubi priùs non fuisset: sed quod inceperit hic esse in assumpta carne, in qua non prius erat visibilis. Prius dixit *Mundus eum non cognovit.* Simpliciter ante incarnationem ignorantiam Dei in hominibus culpat. At tunc nondum tantum fuit peccatum, quam post Incarnationem, dum ipsummet apparentem in carne, non tantum non agnovit, sed nec recepit, quod fuit crimen sumæ impietatis, in infidelibus suum non duntaxat, non recepisse creatorem, verum illum secum præsentem declarantem rejicere, ut ex decursu dicendorum patebit.

PVNCTVM I.

CONsidera primò, quantum intersit, & referat bene, & ut, oportet Dominum, & Salvatorem nostrum in Festo Natalis ejus recipere, & rationes, quæ ad hoc obligant maturè ponderare. Quarum prima est; quia festum quodlibet Verbi incarnati suas habet speciales gratias sibi annexas, Mysteriis vitæ ejus corespondentes juxta cujusvis dispositionem communicandas. Si ergo hujus Festivitatis Mysterio gratias annexas, omnibus præsentatas, ut par participare velim⁹, nos ad eas recipiendas disponere oportet. Gratiæ porrò suo tempore dantur, & præsentantur, nec scimus, an illæ, quas hodie recusamus, vel negligimus, unquã ulterius sint præsentandæ; & an non fortè ab illis nostra æterna vel salvatio vel damnatio dependeat. Secunda ratio est: quia illi qui se, ut par est, disponũt, gratias aliis præparatas recipiunt. Ita divitiæ, & gratiæ gentium proveniunt ex reprobatione Iudæorum, qui se illis primò quidē negligentiâ, deinde malitiâ indignos reddiderũt. Iuxta verbũ Domini. *Vobis oportebat primum loqui verbum DEI, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ; Ecce convertimur ad Gentes.* Actor. 13. v. 46. *Delictum Iudæorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, divitiæ gentium,* Rom. 11. v. 12. *Vox dilectæ mei pulsantis:* inquit Sponsa: *aperi mihi soror mea:* Cant. 5. v. 2. Si ergò illi sponsa, seu anima pulsanti suo tempore non aperit, transit, fortè nunquam ampliùs rediturus.

PVNCTVM II.

CONsidera secundò varios, & differentes reperiri modos Christum animarum nostrarum unicum Justificatorem recipiendi: Non enim Salvator sese solum in usu Sacramentorum nobis offert, & præsentat; non in

in communicando duntaxat in fractione panis, & in participatione Sacratissimi ejus corporis, & sanguinis sub speciebus Eucharisticis, illum recipimus; verum alii, iique varij modi dantur, quibus & se communicat, & recipitur. Sese quippe quandoq; communicat in oratione, aliquando in pia Lectione, interdum in prædicatione, aut aliis pene infinitis modis; quibus consuevit, pro ut vult se certis, & determinatis gratiis mediis offerre, & communicare.. Communicationes porro hæ grandes, & familiares ejus visitationes fiunt mediis certis, & determinatis gratiis; quas etsi dare possit, & det omni tempore, quantum ex parte sua est, certis tamen festivitatibus abundantius, & libentius, quã tempore alio. ob certa beneficia, & Mysteria talibus diebus hominibus exhibita, & manifestata: quorum memoriam specialius vult à fidelibus suis Deus recoli; & venerari, propter quod, & suas tunc vult cumulatius gratias diffundere, & illis concedere. qui se ad eas recipiendas idonius disposue-
Apoc. 3, 10. rint, & ferventius requisierint. *Ecce* inquit: *Sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* At O *væ*: quam pauci inveniuntur, qui hanc desiderent gratiam recipere, qui hanc verè requirant.; aut ad illam recipiendam se seriò disponant! Heu multi nimis reperiuntur, qui non melius nostrum recipiunt Salvatorem; quam illi, qui denegato ei hospitio, & loco in diversorio non concesso, ad vile stabulum se recipere illum coegerunt:

Quia non erat ei locus in diversorio. Nun- *Luc. 2. v. 7.*
quid & tu ex illis es? An non de te in veritate dici posset; *In propria venit,* *Ioan. 1.*
& sui eum non receperunt? Hanc vitare vis reprehensionem?

PVNCTVM III.

CONsidera tertio media, modos, & conditiones, hoc magno, imò & maximo festivitatis die, à quo cæteræ omnes per annum festivitates origine trahunt: quia de hujus plenitudine gratiarum, & favorum accipiunt omnes Christum, & Salvatorem animarum nostrarũ, dignè ut par est, recipiendi. Hæc media, modi, & conditiones Christum dignè recipiendi non in eo solum sita sunt; quod quispiam sua peccata confiteatur; sacra reficiatur synaxi, nocte vigilet: Ecclesiam frequentet, oret, meditetur; pro ut multi faciunt: At hospitalitas, receptio, & humanitas; quam illi debemus, sita est, & consistit præcipuè in eo, nos ut conformemus virtutibus ejus; ac Nativitatis ejus conditioni, & statui, quantum in nobis est, & esse potest in nostra status professione, & vitæ degendæ modo. Hoc est dicere, primò mentem mutare, quoad bona terrena, & mundialia; magis paupertatem æstimare, tolerantiam, & humilitatem, cum quibus ille apparuit, ejusque in mundum introitus, & incolatus perpetuo illis vel annexis individuis sociabus comitatus fuit; quam divitias, honores, & voluptates, quas ille contemsit, reprobavit, & suo condemnavit exemplo. *Hoc enim*: inquit

quit discipulus ille; quem diligebat Iesus: *est mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio in eo ambuletis.* 2. Ioan. a. 11. v. 6, *Hoc præsepe*: inquit S. Bern. *clamat, hoc panni clamant* quod Propheta jam ante faciendum prænuntiaverat: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Isaia 58. v. 8. Apostolus consentit suadens idem seriò; *qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* 1. Cor. 7. c. 7. Secundò oportet nos ab anima nostra removere inordinatas omnes, quas habere posset ad genus hujusmodi bonorum mundialium, & evanescentiū, affectiones, omnes ejusmodi radices malæ concupiscentiæ ex ea evellentes, & extirpantes; qui enim æstimat, quærit, & desiderat illum recipere, cum non veniat, nisi suo stipat⁹ comitatu, utpote sua humilitate, paupertate, tolerantia, & cœteris his annexis virtutibus; necesse est etiam; ut se resolvat recipere, quidquid est de eius comitatu, & Societate: Vnum porro sine altero non potest consistere. Heu quam pauci illum hac ratione, hoc comitatu, hac societate, & hisce stipatum phalangibus recipiunt! Hic comitatus non æstimatur à multis, illi contradicitur, & omninò non admittitur. Tu saltem pro tuo fac particulari, ne ex illis sis, ne illis annumereris, qui eum rejiciunt, illi locum in suo domicilio non concedentes: Verum magis illi fores ante faciem claudentes; & ut indignum eorum hospitio, societate, & contubernio repellunt. Et modo meliori, si Confessarij officio fungaris, hanc veritatem tuis imprimere, & suadere pœnitentibus allabora.

SERMO VII.

PRO DIE NATIVITATIS DOMINI.

De paupertate, quam nos Dei filius in præsepio docuit.

I. Præsepe, est Cathedra in qua Salvator noster Lectiones instituit omnium suarum virtutum.

II. Paupertas summa, quam in illo statu ostendit, & servavit.

III. Cur ea voluerit nasci paupertate. Et inde nostra sumenda instructio.

Christus propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus. 2. Cor. 8. v. 9.

HOc eximiæ fuit Christi in nos charitatis, quod nostræ egestati tanto se affectu voluntariè subjecerit, ut nos egenos suæ participes faceret abundantiæ. Assimulari voluit nobis in paupertate, penuria, & nudi-

nuditate illi ut assimularemur in ubertate domus gloriæ suæ, in abundantia, & in splendore magnificentiæ suæ. *Scitis*: inquit Apostolus: & exploratam habetis, eximiam *gratiam Christi*, hoc est beneficium summum gratuitò ab ipso vobis collatum; *quoniam cum dives esset utpote cæli, & terræ Dominus, propter vos factus est egenus*, Græcè Mēdicus, carens bonis omnibus terrenis; quorum erat Dominus; *ut illius inopia* temporali, & transitoria, *divites essetis*; hoc est divites essemus, & evaderemus, spiritualibus abundaremus, divitiisq; nunquam pereuntibus repleremur putà cœlesti doctrina, gratia, justitia, gloria, & æterna rerum omnium in eo, qui omnia continet, abundantia. Ita S. Chrysost. & Anselmus. Hoc nobis maximè debet esse cordi omni quidem tempore, potissimè autem sanctissimæ Nativitatis ejus annua recurrēte memoria, & festivitate, prout deducetur,

2. Cor. 8 9.

PVNCTVM I.

COnsidera primò, & repræsenta tibi Jesum Christum in præsepio jacentem, ut Magistrum verum, quomodo in sua Cathedra Lectiones instituere incipiat, qua ratione tradat omnium virtutum præcepta tibi; & omnibus salutem desiderantibus ipso facto, opere, & veritate. Audi Patrem ejus æternum tibi præcipientem, ut illum audias, illum imiteris, illum sequaris. *Hic est filius meus*: ait: dilectus ipsum audite.

PVNCTVM II.

COnsidera secundò cum incipere deberet suam prædicationem, & Evangelicam doctrinam à laude paupertatis, ita illam primò in præsepio docet, & suo ut primus ejus Magister, & Doctor instruit verbo; ac suadet exemplo. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri, erudiens nos. Vnus est Magister Vester. Beati pauperes.* Magister unus est docens prius exemplo, quam verbo omnem veritatem. *Pannis eum involuit, & reclinavit in præsepio. Et Pastores erant in regione eadem.* Eaque de causa solum animadvertere oportet; quid in illo stabulo, in quo nasci dignatus est, inveniatur. In eo invenitur nihil, & nihil videtur, nisi miseria, nisi paupertas, videtur ibi pauperia, paupercula Mater, pauperculum receptaculum, comitiva paupercula, Pastores pauperculi, viles panni, & tandem omnia ibi spirant extremam paupertatem, miseriam, & indigentiā. Quæ signa designarunt S. Angeli ad Christum inveniendum? Non alia, quam quod pauper pauperculis involutus pannis inveniretur reclinatus in pauperculo, & vili præsepio. *Invenietis infantem in præsepio pannis involutum.* O qualia signa ad recognoscendū, & dignoscendum Regem universorum, Regem Regum, & Dominum Dominationum! *Et invenerunt Mariam, & Joseph; & Infantem positum in præsepio.*

Tit. 2. v. 11.
Malach. 23. v. 8.
Matt. 5. v. 3.
Luc. 2. v. 9.
Luc. 3.
Luc. 2. v. 16.

PVNCTVM III.

COnſidera tertiò, quare Dei filius potens naſci, illi ſi placuiſſet in palatiis Regum ſuperbiſſimis, in lectis magnificentiſſimis, & pretioſiſſimis reclinari, inter Principes, & Reges; & uno verbo, in omni omnium rerum affluentia, & ſuperabundantia omnium commoditatum, bonorum & deſiderabilium; voluerit nihilominus ſe hiſce omnibus privare commoditatibus, non quia deberet, non quia ipſe egeret; ſed nos ut inſtrueret.
1. Tim. 6. v. 10. *Radix quippe omnium malorum eſt cupiditas.* Primo ergo ut eius exemplo diſcamus refrænare inſatiabilem hanc commoditatum, & bonorum temporalium cupiditatem; quæ, ut loquitur Apoſtolus, eſt Seminarium unde omnia alia peccata pullulant, & oriuntur: *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* 1. Tim. 6. v. 9. Secundò ut ex præoptione, quam facit, paupertatis, oſtéderet formalem oppoſitionem inter ſuas, & mundi maximas; qui aliud nihil quærit quam aggregare divitias, & ſuis indulgere appetitibus, commoditates in omnibus habere, incommodi nihil pati; ita habens ſuam in hoc mundo felicitatem, & ſuum paradiſum, ſuam miſeriam in altero, & infernum: præeligens in tempore omnibus affluere, in æternitate omnibus deſtitui, momentaneè frui ſuis deliciis, omnibus æternaliter immergi miſeriis. in bonis ducere dies ſuos, & in puncto in infernũ deſcendere. Tertiò tandem Ideo Chriſtus elegit paupertatem, penuriam, & egeſtatem, ut diſceremus; ut ait S. Bernardus, ſi ipſa Sapientia, quæ in nullo errare poteſt, elegit omnino contrarium à mundo, utpote quæ mundus fugit, & abhorret, quod mundus ſeipſum decipiat cum omnibus ſuis ſequentibus longe aberrans à ſalute, & via juſtitiæ. *Aut porrò iſte fallitur:* inquit S. Bern. *aut mundus errat; Sed divinam Sapientiam falli eſt impoſſibile ergo mundus errat.* S. Bern Serm. in Nat. Dei. Et ſi ſapientes eſſe volumus, debemus ab his mundanis abſtinere, prout Chriſtus, & Sanctiſſima Mater ab his abſtinuerunt eo tempore, quo illis maximè indigebant; nos ſuo ut inſtrueret exemplo; quia rarò, vel nunquam divitiæ poſſidentur ſine vitiis, & peccatis. Quod Scriptura expreſsè docet. *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.* Eccl. 11. v. 10. *Et* alibi. *Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam; hic enim & animam ſuam venalem habet.* Eccl. 10. 10. Eccl. 1. 12. *Vt quid fruſtra deciperis. Noli laborare, ut diteris: Sed prudentia tua ponas modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere,* Prov. 11. 12. *qui deſpicit pauperem, exprobrat factori ejus.* Prov. 17. 5. Vnde Chriſtus quo loco pauperes habeat, & quanti æſtimarit, expreſſit in Evangelio: *quamdiu feciſtis:* inquit: *uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matt. 25. v. 40. *Ideo monet Pſalmiſta. Divitiæ, ſi affluãt, nolite cor apponere.* Nunc examina te ipſum ſeriò, omnes tuos bene conſidera affectus, quanti in præſens uſq; divitias æſtimaſti, quantum illis adhæſiſti; qua ſollicitudine & anxietate illas acquiſiviſti, quo mœrore afficeris, ſi contingat jacturam bonorum

rum aliquorûm te incurrere vel levissimam? quomodo turbaris, si in hisce acquirendis, vel conservandis à tuo vel in minimo frauderis desiderio? Confunde teipsum ad aspectum præsepii Domini tui, qui pro te egenus factus & tu nihil egestatis pati cupis pro illo. Quid eligis? Esse cum Christo cupis, an cum mundo? Christo ne renuntiare cupis, ut mundo servias? An mundum deserere, ut Christo adhæreas? Quid tibi apparet consultius? Si cum Christo esse cupis, adhærere Christo desideras, ut honores, & mireris Christi paupertatem, statuas primò, & resolvas pauperes nunquam contemnere; Si, exempli causa, quidam hac solemnitate te confessuri accedant: Verum omni eos affectu recipias Christum ipsum in unoquoque ipsorum considerans. Secundò etiam in mediis deliciis & bonorum pati aliquam quæras paupertatem, in vestitu, in potu, & cibo, in habitatione, in strato, & aliis etiam licitis; delectaris semper paupertate, & penuria ad Christi exemplum imitandum. Nihil tertiò omnino superflui habere: quartò tandem nunquam conqueri; verum magis summè inveniaris lætari, dum aliquid deest. Hæc sunt consilia & documenta, quæ sequi debes, & tuis instillare pœnitentibus. Verum antecedenter in conspectu Dei coneris hæc tibiipsi firmiter persuadere. *In conspectu ejus suadebimus corda nostra: quoniam si reprehẽderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro.* 1. Ioan. 3. v. 19. Ex quo motivo loquens Apostolus *quæ ait; mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Phil. 3. v. 7. Et alibi *Sint mores sine avaritia contenti præsentibus: ipse enim dixit, non te deseram, neq; derelinquam; ita, ut confidentes dicamus, Dominus mihi adjutor.* Heb. 13. v. 5. Hæc sunt, quæ adventus Christi Iesu in hunc mundum in nobis operari debet. Ob hæc gratia Dei, & Salvatoris Christi Iesu omnibus teste Apostolo manifestatur hominibus; *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo.*



SERMO VII.

PRO FESTO S. STEPHANI.

De Induratione quoad Evangelium.

I. Tres magnæ consequentiæ veritatis docet nos Salvator. Hisce verbis: *quoties volui congregare &c.* quarum ultima est induratio.
II. Quam status ille infelix & pertimendus maxime sit Ecclesiasticis.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos: quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Matth. 23. v. 37.

HIc patet sincera Dei nostræ salutis intentio; qua continuo nos sua vocat & invitat gratia, quantum ex se est, ad fidem ad justitiã, salutem: quoad apertius illis indicat verbis. *quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*; His intimum divinum salutis nostræ, conversionis, & profectus innotescit desiderium; quo pulsat sine intermissione ad ostium animæ nostræ ut intromittatur, trahit sua gratia, semper tamen relicta libertate, quod verbum subjunctum, *& noluisti.* Satis manifeste significat. *Ipse*
Cor. 1. v. 9. *stat post parietem*, expectat ut illi aperiatur voluntarie nõ coacte, non infringit violenter. *Et ecce*: inquit, *tempus*
Ezech. 16. v. 8. *tuum, tempus amantium & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum (ait Dominus Deus) & facta es mihi. Et lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo. & vestivi te discoloribus, & calceavi te janthino: & cinxi te byssino, & indui te subtilibus.* Ecce quomodo anima Christi annuens vocationi, cooperans gratiæ & voluntati satisfaciens exornatur, & divinis cumulatur charismatibus. Ideo Christus conqueritur de ingratitudine Judæorum & Civitatis Jerusalem, quæ vocanti Deo, & suis tot illam allicienti beneficiis, annuere consentire & obedire nunquam voluerit. Juste ideo illam derelinquendam denunntiat ut clarius ex dicendis elucescet.

PVNCTVM I.

COnsidera in hisce præfixis tres contineri, magni momenti veritates, quas Salvator noster hodierna die nobis proponit in Evangelio. Prima omni abundat consolatione; Hæc est magnum desiderium, & voluntas perfecta, ac ex parte sua efficax, quam habet, & testatur pro nostra salute. *Quoties volui congregare filios tuos; quemadmodum* Gallina *congregat pullos suos sub alas? Fidelis sermo, & omni acceptione dignus* fideliter intendens omnium salutem, conversionem, perfectionem, & felicitatem. Quia ex intentione. *Ecce* ait: *Ego mitto ad vos Prophetas & sapientes.* Ipso facto in veritate quos ille Prophetas miserat Judæis ad eos ad pœnitentiam excitandos antequam ipsemet veniret? Quot patrarat miracula? Quot suæ justitiæ, & misericordiæ effectus ostenderat? Et non à teipso recedens recogita quoties cor tuum tetigit? Quot inspirationes pias, quot bonas cogitationes, quot affectiones sanctas, quot conscientiæ remorsus, sensisti, & expertus es? Quot ad virtutes impulsus rejecisti aut non ut oportet admisisti? Quot à malo, & à peccatis retractionibus non obedivisti? Quot gratias rejecisti aut contempsisti? Hæc omnia sunt certæ probationes, & Euidentiæ veri desiderii, & affectus sinceri quem nostræ habet salutis. Salvator noster. *Vere multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis* non minus vere multifariam *Locutus est & nobis in Filio diebus istis, quem constituit hæredem Vniversorum, per quem fecit & sæcula.* Vere multifariam locutus est nobis in filio, tot in filio, & per filium offerens gratias, tot favores impertiens, tot multos nobis immittens illapsus; Nos ut ad se convertat trahat, & alliciat. Immensas ergo illi O anima mea persolvas gratiarum actiones, ob hanc tantam eius bonitatem, misericordiam, & benignitatem, tibi, & omnibus hominibus ita gratuite ostensam, & oblatã. Ex qua luce meridiana clarius innotescit illum habere sincerum desiderium omnes homines salvos faciendi Apostolo testante. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et neminem vult perire Principe Apostolorum testimonium perhibente. *Sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Foretne possibile quod Deo volenti nos vocare; nos justificare, nos salvare, nos ex parte nostra obstaculum ponere vellemus? Ars hæc est, quod nimis sæpe accidit nobis. Et hæc altera veritas, hisce designata verbis: *Et noluisti*; quibus Salvator nos docet, juxta explicationem, quam facit Trident quod ubi divinis eius inspirationibus corespondere, & cooperari deberemus surdas sæpe aures præbemus, & resistimus, cum possemus, deberemus juxta præmemoratũ Concilium. *Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti &c. neque posse dissentire, si velit, anathema sit, quippe qui illam, & abycere potest.* Ita S. Stephanus hodierna die Judæos suæ redarguit obstinationis, & contuma-

Marginalia: 2.Tim.4.9. — Matt.23.34 — Heb.1.v.1. — 1.Tim.2.4 — 2.Pet.3.6. — Trident. sess. 6. de Iustif.

tumaciæ, In eo quod resisterent, & sese opponerent, Spiritui Sancto. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Et Dominus noster duabus civitatibus minatur maledictionem, ob ingratitudinem, obstinationem, & rebellionem contra verbum suum. *Væ tibi Corophain, væ tibi Bettsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis &c.* Ast vis scire modo quomodo rebellio hæc, hæc obstinatio sit punienda? punienda est per derelictionem, & reprobationem animæ; quæ suis abusa fuerit gratiis, quæ tertia est veritas; quam Salvator noster propriis exprimit verbis: *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Et quia hæc est majoris momenti, & importantiæ, particularius ponderanda erit.

Act.7.5. Matt.11.21. Luc.10.13.

PVNCTVM II.

CONsidera particularius infelices sequelas, exitus, & consequentias hujus status detestabilis. Anima ita à Deo derelicta primo jacet in cæcitate mentis; ita ut nec cœlum, nec salutis suæ res videat. *Ipsi rebelles fuerunt lumini, nescierunt vias eius, nec reversi sunt per semitas eius* fuerunt rebelles lumini inquit S. Job, illi oculos claudentes, Ideo illos tenebris involvi permittet, quibus obcæcati, putabunt tamen ambulare in lumine meridiano. Punitio justissima. *Sic in tenebris quasi in luce ambulant. Palpabunt in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Illa est certe pœna justa, ut illo careat peccator dono; quo cum potuit, noluit in sui bonum uti, & ignoret, nec sciat amplius, quod illum scire oportebat, cum illud scire potuisset, exequi noluerit: *Illa est pœna peccati justissima, amittat unusquisque illud quo bene uti noluit, cum sine difficultate posset, si vellet, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum est*, *Auribus suis graviter audierunt.* Anima secundo, in statu illo infelici ad omnem interiorem sermonem, & Spiritus Sancti inspirationem fit surda, stupida & insensibilis, obduratur ad nutus & Verbera, beneficia contemnit, capax nihil reperitur quod illam ut attentam reddat ad illud, quod dicitur, & præcipitur. Et tandem ad hanc redigitur extremitatem, ut amplius nihil curet vel æstimet. Unde bene de talibus loquens Psalmista. *Furor* inquit: *illis secundum similitudinem serpentis, & sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, ut non audiat vocem incantantium.* In hujusmodi cadit & illud Sapientis. *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* Ecce ad quem statum devenerant Iudæi tempore, quo Salvator inter illos ad huc mortalis versabatur, & hoc illis hodierna S. Stephanus juste improperat. *Dura* inquit *cervice, & incircumcisis cordibus semper resistitis Spiritui Sancto.* O statum lamentabilem! O Conditionem infortunatam! Verum quot forte modo etiam inter Ecclesiasticos reperiuntur, qui huic immersi sunt miseriæ, hac percussi sunt cæcitate ignorantes? Quibus mundanæ adhæsiones, sæcularia desideria, beneficiorum inhiatio, & captivatio oculos omnino eru-

Iob.13.v.1. Iob.24.27. Deut.28.29 Matt.13 15 Ps.57.5. Proverb.18.

erunt? Ut suam nequeant agnoscere infelicitatem? *Deus hujus sæculi* Apostolo loquente: *Excæcavit oculos eorum oculos porro suos*, juxta verbum Domini: *clauserunt, nequando videant oculis.* *Animi auscultant, fac me audire vocem tuam.* Ita Sponsus, à sua Sponsa requirit, quæ jam tota spiritualibus immersa, & illis excolendis continuo desudans, ut strenue, & constanter in eius amore perseveret. Amici tui inquit: Omnes & cœlestes, & terrestres, una mecum perpetuo audiunt, tuo inhiantes profectui, tuis applaudentes victoriis, & triumphis, audiunt tuas petitiones, tua desideria, tuas deprecationes, fac igitur his audientibus iterum audire vocem tuam fac audire vocem dignam te, vocem dignam, Angelis, dignam Deo; Vocem purissimæ intentionis, ardentissimi amoris, constantissimæ laudis, & gratiarum actionis fac audire vocem humillimæ propriæ miseriæ, paupertatis & nihili proprii, fac audire vocem instantissimæ precis, & supplicationis pro te, pro proximo, porro toto mundo, fac audire vocem integerrimæ resignationis in nutum, & arbitrium. Ita petit Sponsus vocem audire sponsæ, ita illam excitat ut se audire faciat. At nunquid non audivit? Nunquid acquievit consiliis eius? Audi quid loquatur conquerens de multis: *Quia vocavi* inquit: *Et renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, contempsistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis evenerit.* Hasce volumus evitare miserias? Hos infelices exitus effugere, & has sequelas infortunatissimas evadere? Simus fideles gratiis Dei de cætero, Audiamus vocem eius, & illi ad ostium pulsanti aperiamus, ne forte si eum despexerimus, portas animæ illi continuo ad primũ pulsum non reserantes transiliens nos deserat, & ut ipse loquitur, ne nos in interitu nostro rideat, dum immersos nos viderit summis calamitatibus, & extremis miseriis, de quibus nos sollicite, & ita paterne ac misericorditer præmonuerat.

2 Cor. 4. 4. Matt. 3. 15. Cant. 8. v. 3. Proverb. 1. v. 24. 26. & 29.

SERMO IX.

PRO FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

De amore Castitatis.

I. Quam sit hæc virtus Deo grata exemplo S. Ioannis Evangelistæ.
II. Quam sit necessaria Ecclesiasticis.
III. Media illam conservandi.

O quam

O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Sapient. 4.

ADmirabundus ex pulchritudine, & excellentia virtutis castitatis, & pudicitiæ merito exclamat Sapiens, *O quam* inquit; *Pulchra est casta generatio*; ἀ τεχνια, id est liberis carens *cum claritate* (Græce *cum virtute* seu splendore virtutum *Immortalis est enim memoria illius.* Cujus rationem dat; *quoniam & apud Deum nota est, & apud homines*, cum præsens est. Ita nota est, ut approbetur, & à Deo, & ab hominibus, sermo porro hic est de notitia approbationis) etiam apud homines impudicos: Quia præsentem suspiciunt mirantes, & imitari conatu licet inefficaci conantur, *cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminũ præmium vincens.* Ab omnibus propterea desideratur licet non semper efficaciter, laudatur tamen ab omnib⁹ Sic enim Cyprian⁹ & Petrus faber multis exemplis docet usitatum fuisse etiam gentilibus coronas castitati decernere. Si ergo virtus hæc castitatis virtus ex honestate virtutis moralis servata eam apud omnes inveniat laudẽ & æstimationem; Quanto magis æstimanda erit ex motivo gratiæ, & supernaturali Charitatis divinæ electa prout fuit in S. Ioanne ex dicendis ostendendum.

Sap. 4. v. 1.

PVNCTVM I.

COnsidera primo quam virtus castitatis sit Christo Salvatori nostro grata & acceptabilis, cum consideratione hujus S. Ioannem faciat tot gratiis favoribus, & prærogativis super alios omnes Apostolos præeminere; Si porro Magnus hic Sanctus, & Apostolus fidelis sit testis secretiorum Mysteriorum Christu Iesu super terram, velut ejus transfigurationis in monte Sancto, eius in horto agoniæ, si requiescat super pectus eius sacratissimum in sacra cœna, si ille unicus eius fuerit comes in monte Calvariæ, fidelem illi reddens assistentiam, Si in Christi Iesu locum substitutus fuerit, ut filius foret Virginis, omnium eius filiorum adoptinuorũ primus; Si tandem per excellentiam discipulus dicatur, & fuerit præ omnibus à suo magistro amatus. Hi tituli honoris & gloriæ honorabiles sunt, tot privilegia, & prærogativæ magnæ eius innocentiæ, & puritatis in scripturis expresse illi designari Spiritu Sancto inspirante. *Quod audivimus* inquit: *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ &c. & vidimus & testamur & annuntiamus.* Ecce testis fidelis. *Et recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Ecce dilectionis prærogativa. Vis audire felicem filii adoptionem, *Ecce* loquitur Jesus Salvator noster pendens in cruce proximus morti; *Filius tuus, ecce mater tua. Virgo est electus à Domino, atque inter cœteros magis* dilectus; *Qui pascitur inter lilia: Omnis ponderatio auri non est digna continentis animæ*

1. Ioan. 1. 1.

Iac. 3. v. 23.

Ioan. 19. 26.
Cant. 5. 16.
Eccl. 16. 20

anima diligebat eum Iesus, quia specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum, quia virgo electus virgo permansit. In off. die 29. Dec. *In cruce denique moriturus, huic Matrem suam Virginem, Virgini commendavit.* Possumus habere, invenire aut desiderare potentius, & efficacius motivum ad puritatem amplectendam ad innocentiam, & castitatem amandam, quam scire quod placeat Deo, Christo sit singulariter amabilis, in hac etiam vita ab eodem ita magnifice liberaliter, & honorifice recompensetur & honoretur? Deo maximas, quas potes gratias agas, & dignas deferas laudes, quod hanc vere angelicam virtutem ita fecerit commendabilem in persona S. Joañis, ut ad hujus imitationem omnes excitentur.

PVNCTVM II.

Considera secundo quod etsi in Christianismo virtus hæc sit obligationis in quovis vitæ genere, & statu quis reperiatur, & nihilominus multo majoris obligationis in statu clericali, & Ecclesiastico, in quo personæ Ecclesiasticæ hac speciali prærogativa gaudent, & gaudere debent. Primo quia vi votorum, quæ in suis emiserunt ordinationibus sunt, & esse debent omnibus sensualitatibus, & sensuũ voluptatibus deliciis, & desideriis carnalibus omnino mortui, suũ porro corpus consecrarunt Deo, nõ templa Dei, quód omnibus Christianis commune est; Veruntamen ut tales qui consecrare debent templa viva, & animata novæ legis, velut Capita Corporis Christi, & ut ipsemet Christus Iesus nomine cuius loquuntur, & virtute cuius omnia operantur, ut Ministri, & Vicarii Sacerdotio eius fungentes, Apostolo testante. *Hic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. 1. *Jam* inquit: *Christus: non dicam vos servos sed amicos &c.* Ob hoc: *Carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Ioan. 15. 15. Uni Christo omnino astricti ut eius sint specialiter servi, amici & vitæ eius imitatores ac virtutum participes. Galat. 5. 24. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. 11. 2. Non habentem maculam *aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta immaculata.* Ephes. 5. 27. Tales esse debent Ecclesiastici omnes casta mente & corpore, & remoti ab omni impuritate. Secundo quia hi S. Ioannes tanta eminere debuit puritate ut requiesceret supra pectus Domini in ultima cœna, ut illi in monte Calvariæ assisteret, ut curam eius sanctissimæ Matris velut filius susciperet; Et has non obtinuerit gratiarum progressus nisi suæ iñocentiæ, & castitatis merito, quam magna esse debet puritas Sacerdotis, qui quotidie eum pectore suo, & corde recipiunt vel recipere debent, qui eum suis afferunt manibus in altari, qui eũ contrectant, tanta cum Matre unione, & affinitate per Sacerdotalem ordinẽ, ut eius filium vere efficiant præsentem in altari sub speciebus panis, & vini vi verborum Consecrationis, cum debita intentione super materiam legitimam prolatorum, ut quasi producant corpus, & sanguinem filij eius. His loquens Christus illis repromittit condignam mercedem. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum ut* Luc. 22. 29. *edatis*

edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Vis ergo scire media hujus ad ipiscendæ virtutis in gradu, ut obligaris ad illam conservandam perfectissimo? sequentia pondera.

PVNCTVM III.

COnsidera tertio, quod media magis idonea ad virtutem acquirendam non inveniantur, quã ea quæ Dominus, & Salvator noster Iesus Christus nobis proponit, & docet apud S. Matthæum c. 5. ubi in explicatione horum verborum: Nõ mæchaberis: postquam dixerat nõ peccari duntaxat ipsa actione præcepto prohibita: Verum etiam solo visu, & cogitatu. Et ad hujus præcepti perfectionem exprimendam adjungit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, si pes tuus scandalizat te, amputa illum.* Nos ut doceat habendam esse magnam curam, & sollicitudinem hujus conservandę virtutis. Nec quicquam ad præmemoratũ effectum præter mittendũ, etsi intercurreret jacturã omnium nobis gratiarum, & prætiosiorum. Per oculum intelligit quemvis aspectum vel intuitum, fugiendum sollicite, & omni diligentia sine ulla mora in contemplatione Cujusvis faciei unquã facienda; Etsi non mala fiat intentione, & personæ sint honestæ. Ex eo, quod semper quipiam maligni, & venenosi se se visu mediante ingerit. Penetrans ita profunde in animium, & ipsum cor: ut sine magna difficultate, & molestia quis se se ab hujusmodi difficulter sæpe expediat ac species in animo relictæ vix expelli queãt. Ob hoc pepigerat S. Iob cũ oculis ne quicquam aspicerent, quod illi esse posset causa ruinæ. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Iob. 31. v. 1. Hujus S. Greg: rationem assignat. *Semel ait species formæ cordi per oculos illigata, vix magni Luctaminis manu solvitur.* Per *manum* intelligit nõ solum dissolutiones, & periculosas libertates; Verum etiam inter amicos domesticos parentes, & similes liberiores conversationes in attactu manuum, brachiorum, facies dum familiariter nimis sibi invicem proximant. *Sic egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius &c.* Genes. 34. 1. Nimia familiaritate seducta cadit, & tantum malum, quod inde secutum est causavit. Per *pedes* intelligit omnes visitationes deambulationes abitus & reditus, qui ex pura fiunt curiositate, vel ex naturali affectione, vel ex otiositate, quæ absolute rescindenda sunt, si quis hanc virtutem in gradu perfecto possidere cupit, qui in hisce omne non necessariũ utile, aut honestum reijcit. Vide nunc qua circumspectione usus hactenus sis tuis sensibus, ut visu, tactu, & aliis. Quas visitationes dederis, qua intentione quo fructu, & utilitate? Si tibi in omni occurrentia semper, ut par est invigilaveris: Viri sunt fortiores, perfectiores, & sanctiores quam tu sis, qui sibi ipsis nimis fidentes lapsi sunt, suo magno detrimento, sine proximi scandalo non levi, & sua confusione maxima. Castitas ita tenera, & delicata est, ut levi mali aeris flatu inficiatur. Hanc hodierna die instanter à Christo Salvatore nostro seminatore omnis Casti consilii, pete & efflagita per

per merita S. Ioannis ad Ministerium suum tibi commissum honorandum, & debite exequendum. Horum Sapientis memor verborum. *Nemo continens esse potest, nisi Deus det.* Sap. 8. v. 21. *Et hoc ipsum erat sapientiæ scire ejus esse hoc donum.*

SERMO X.

PRO FESTO SS. INNOCENTIUM.

De mediis perveniendi ad Sanctitatem.

I. Crudelitas Herodis in Martyrio SS. Innocentium.
II. Cur Salvator noster permittit mortem Infantium.
III. Media ad Sanctitatem perveniendi.

Herodes iratus occidit multos pueros. Matt. 2.

HErodes iratus occidit multos pueros verificans in se Verbum
Iacob. 1. 20. Domini, *quod ira viri justitiam Dei non operatur.* Et illud *Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignationem facilis est, erit ad peccatū proclivior.*
Prov. 15. 29. Gen. 4. Ita *iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Iratus Balac contra Balaam
Num. 24. complosis manibus, ait. *Ad maledicendum inimicis, vocavi te, quibus è contrario benedixisti.* Audiens Saul post Victoriam commendari David, *iratus*
3. Reg. 21. *est nimis, & displicuit in oculis eius sermo.* Venit Achab Rex Israel in domum suā *indignans & frendens super verbis, quæ locutus fuerat ad eum Naboth Israelites.*
Proverb. 27 In his omnibus injuste irascentibus habet veritatem dictum Sapientis: *Grave est saxum, & onerosa arena; sed ira stulti utroque gravior.* Vere gravis & injusta fuit hodierna die ira Impii Herodis; qua exacturus velut Leo rugiens tanta crudelitate Innocentes trucidari, & interimi manavit ut exprimit scriptura Herodes videns, *quod illusus esset à magis iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros* Matth. 2. Crudele omnino factum, omni abominatione detestandum ac justitia, & æquitate alienissimum. O maledicta ira a qua tanta sequitur deordinatio! Per iram justitia relinquitur, quia dum perturbata mens judicium sine ratione ex asperat, omne, quod furor suggerit rectum putat, per iram lux veritatis amittitur quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Ira uno verbo inducit omne malum cum excluso bono, ut in decursu clarius patebit,

PVNC-

PVNCTVM I.

REſpræſenta tibi crudelitatem Herodis in laniena plus quam crudeli SS. Innocentium, quorum hodie celebramus feſtivitatem. Et animadverte Tyranni hujus directionem ambitioſam, ambitionis malum, & furioſos paſſionis eius inordinatæ omniumque legum tranſgreſſivæ impetus. Ita ad ſimplex novi nati Regis nuntiũ irâ exardeſcens ſeſe ipſum perturbavit, ut ad ſe aſſecurandum in regno ſuo integram provinciam crudeli lanienæ ſubjecerit, & regionem univerſam in ſanguine ſuorum habitantũ natare fecerint. *O ambitio ambientium crux!* Exclamat S. Bern. Quod martyrium maius ambitioſo accidere poteſt quã ipſamet eius ambitio? *Vnde bella, & lites in vobis, nonne ex concupiſcentijs veſtris?* Ex ambitione veſtra? *Sonitus terroris, ſemper in auribus illius, & cum pax ſit; ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt.* Ambitio porro continuos ambitioſis cauſat inſultus, cor eorum odio replet, & invidiâ, quæ illos inducit, & cogit ad meditandos, & excogitandos modus pernitioſos, & omne genus intentionum perverſarum ſuum aſſequendi finem; & prætenſiones ſuas quaſcunque aſſequendas, vel ne impediantur, & ſupplantentur ſuis intentis qualibuscunque. Hujuſmodi quodlibet tentant, audent, & exequuntur. O væ quam ſæpe hoc nobis accidit infortunium! Quam ſæpe vanis, ſupervacaneis, & inutilibus timoribus animus noſter exacerbatur, conturbatur, & rationis rectæ uſu incapax effectus omnia ſine ratione, ſine modo, & ſine ordine peragit, & exequitur? Quot Paſſionib⁹ agitaris, tot Tyrannis cruciaris. Vide, perſpice, & conſidera, quales deordinationes hic in Judæa cauſet, & inducat Tyrannis? Hæc eſt imago illius, quod inordinata cauſat paſſio in anima.

Iacob 4.
Iob 15.
Iſaia 57.

PVNCTVM II.

VErum cur Salvator noſter, & Dominus benigniſſimus faveus omnibus, & benefaciens cujus nativitas hujus operis furioſi, & tyrannici cauſa fuerat, permittit quod hæ innocentes victimæ ita ſtrangulentur? Veriſſimũ eſt quod illi, qui ſolum in conſideratione vitæ præſentis verſaretur, ſpectaculum hoc foret, & appareret miſerũ, & miſerabile. At eius divina providentia ita tribus de cauſis ordinat, & diſponit. Prima ratio, & cauſa, cur Redemptor noſter ita ordinet, eſt bonum, utilitas, & ſumum commodũ illorum parvulorũ, quos hoc medio matutiſſimâ ac breviſſimâ morte deducit ad illorum ultimam felicitatem illos beans; & felices reddens priuſquã ſure potuiſſent quid eſſet miſeria, illiſque ſine certamne victorias, & coronam tribuens facit de mundo triumphare, priuſquam illum cognoſcant; illos hac præcipitatâ, & inſperatâ morte liberans à potentia miſerabili, & facultate infelici Deum unquam offendendi. Ex quo bene S. Auguſt: *Ecce* ait: *Prophanus hoſtis nunquam beatis parvulis tantũ prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum*

tum profuit odio: Nam quantum in beatos parvulos iniquitas abundavit, tantum in eis gratia benedictionis refudit. In paucis vexati, in multis bene disponentur: Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se, & in holocaustum accepit eos. Consummati in brevi expleverunt tempora multa. Rapti sunt, ne malitia mutaret eorum intellectum. Altera ratio fuit bonum Ecclesiæ, quæ hos parvulos recognoscit, honorat, & colit ut flores, & primitias Martyrum: *Si enim Stetisset Christus:* inquit S. Chrysologus: *Haberet eos Synagoga filios, hos Ecclesia Martyres non haberet.* Unde provenit, quod Evangelium ait: *Quod Rachel plorans filios suos* hoc est Ecclesia: *Noluit consolari; quia non sunt.* Consolationem recipere non vult, quia re ipsâ mortui non sunt; Cum mors illorum illis deservierit ad acquirendam vitam æternam. Ideo illorum mors Ecclesiæ esse debet causa lætitiæ, & consolationis; non tristitiæ, & desolationis. Ex quo Ecclesia non vult consolari: quia illà consolatione hac in re non eget. Dicens cum Psalmista, *Memor fui Dei, & delectata sum. Hi enim sunt tanquam ex mortuis viventes.* Ad hoc porro venerat Christus. *Ego veni ut vitam habeant* inquit: *& abundantius habeant:* Et hæc est tertia causa, & ratio, cur Salvator noster permiserit parvulos occidi ad nostrum exemplum ut nos instrueret se non aliã ob causam in mundum venisse, quã ut omnes sanctificaret, & sanctos faceret. Inde provenit, quod infra Octavam Nativitatis permittit, & admittit omnis generis Sanctorum festa. At hæc sanctitas non acquiritur nisi per tolerantiam. Et qui majores sunt sancti, sunt illi qui plus passi sunt. Ecce illa de causa primus omnium Sanctorum, & Sanctus Sanctorum à quo omnis sanctitas derivatur, non tam cito hunc intravit mundum, quam persecutionẽ sustineat, & ad mortem quæratur, quam si in præsenti effugiat, & evitet, non est nisi ad se majoribus reservandum suppliciis, morti crudeliori, & ignominiosiori. *Quia oportebat eum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

Sap. 5. v. 9. Sap. 13. v. 1. Psal. 79. 4. Rom. 6. 13. Ioa. 10. v. 10

PVNCTVM III.

HAbesne intentionem, & voluntatem concurrendi cum Christo Jesu ad propositum, quod veniens in mundum fecit te sanctificandi, & sanctum faciendi? Ecce hujus media optima: Primum est expellere omne peccatum, & omnem inordinatam affectionem ex corde, & animo tuo, ut innocentia locum ibi sola inueniat, & dominetur. Ad hoc Propheta invitat; *Qui diligitis inquit Dominum, odite malum.* Et Christus ipse in Evangelio. *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Illud est privilegium parvulorum Innocentium hodie illis in cœlo concessum; quo Agnum proximè sequuntur quocunque ierit. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Alterum est cum Christo Iesu pati: *Beati qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ita est omninò non nos decipiamus, & ipsi seducamus, Inter duo unum necessariò eligendum est, vel

Psal. 96. Psal. 83. v 35. Matt. 5.

Chri-

Christum cum mundo persequi, vel mundi cum Christo persecutionem pati. Elige. An non magnæ habes causam consolationis, quod is, qui nobis potissimum est tolerantiæ motivuum, nobis etiam det gratiam, & exemplum ad posse? *Si mundus vos odit, scitote quod me priorem vobis odio habuit, & si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

SERMO XI.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

De voluptatum fuga, quam nos Dominus noster in sua docet circumcisione.

I. Cur Salvator legi se subiecerit circumcisionis.
II. Obligatio nobis imposita nos ad exemplum Christi mortificandi, & omnem fugiendi voluptatem.
III. Praxis mortificationis.

Circumcidite præputium Cordis vestri. Deut.10.v.16.

POstquam tibi accuratè ob oculos posueris totum, quod in doloroso circumcisionis Mysterio peractum est, ubi filius Dei avidè desiderans pro nobis pati fungi incipit Redemptoris officio profundens jam ex parte suum sacrum, & adorandum sanguinem nos ut imitantes vestigia eius circumcidamus præputium cordis nostri, hoc est, omnes ad malum, & peccatum pravas inclinationes, quæ omninò rescindendæ sunt, quidquid ad hoc pati oporteat, ad hoc enim circumcidi voluit Christus, ut ex decursu patebit.

PVNCTVM I.

COnsidera qua de causa Dominus, & Redemptor noster voluerit se legi tam rigorosæ subiicere, qui nullo modo ad hoc obligabatur. Non duntaxat id fecit in testimonium quod esset de semine Abraham, Judæ, ut forent inexcusabiles, & Hæretici, qui negaturi erant veritatem Carnis Christi, confunderentur. Verum Salvatoris nostri sese legi circumcisionis subiicientis intentio fuit principaliter ut finem circumcisioni corporali Judæorum imponeret, & spiritualem

Christianorum circumcisionem stabiliret. Quæ potissimè sita est in mortificatione carnis, resciſſione voluptatum carnalium, & fuga omnium inordinatorum delectationum. *Misit Deus filium suum factum sub lege; ut eos, qui sub lege erant redimeret. Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi.* Hanc Christus stabilivit, de qua loquitur Scriptura. *Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius. Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto est in carne circumcisio; sed qui in abscondito Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Deo ergo gratias agas, & gratus illi sis, & esse coneris, qui dignatus est tibi revelare circumcisionẽ ita eminentem & divinam.

Galat. 4. 4.
Colos. 2. 11.
Deut. 10. 16

PVNCTVM II.

Considera secundò obligationẽ, quâ astringimur rescindere omne voluptatis genus, & nos ad Domini, & Salvatoris exemplum mortificare. Primò quia gratia Evangelica, quam Dei filius attulit in mundum, gratia est mortificationis, & crucis; quam obtinere non possumus, nisi nobis ipsis vim, & violentiam faciam⁹ ut testatus est ipse, cum ad eam nobis acquirendam tot pœnas susceperit, & labores subierit. Ex quo causam Magnus sumpsit Apostolus, ut dixerit, & asseveranter affirmaverit; quod quicumque servi Christi sunt crucifixerunt carnem suam cùm vitiis, & concupiscentiis. *Qui Christi sunt* inquit: *Carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis.* Christus omnibus se sequi cupientibus apertè denuntiavit dicens. *Siquis vult venire post me, tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me*, quo sensu Apostolus: *Nos sumus* ait: *circumcisio, qui Spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes.* Unde ad Romanos bene monet. *Ne obediatis concupiscentiis vestris.* Secundò quia eos pœna, & pœna æterna manet qui vivunt secundum motus carnis, vel corruptæ naturæ. Hoc est dicere; qui se, & sua membra non mortificant super terram: Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Hoc est, si tuis obediveris concupiscentiis, si hujusmodi carnales non represseris delicias; Hæ temporis fallaciæ, hæ recreationes inutiles, & periculosæ, omnes ex suggestu carnis, & Spiritu concupiscentiæ provenientes te deducent ad interitum. Nisi carnem tuam in tempore crucifixeris, te crucifiget in æternitate. Crucifigatur ergo, crucifigatur; Quia rea est mortis: Moriatur temporaliter, ne æternaliter mori sit necesse. Crucifigatur caro Spiritui subdita, ne Spiritus carni obediens crucifigatur in mundo ne crucifigi debeat sine fine in inferno. Vide, & serio animo adverte quid in te mortificandum magis inveneris, Et resolve illud sine misericordia rescindere quam citissimè. Si tibi pœna sunt, & difficile videtur, te ab hujusmodi abstrahere deliciis, hujusmodi commodita-

Galat. 5. 24
Luc. 6. 21.
Philipp. 3.
Rom. 6. 12.

ditatibus naturalibus privari, fuitne Christus sine pœna, sine incommoditate circumcisus? Nomen JESUS quod est super omne nomen, ipsi hodie impositum est; Et hæc Salvatoris prærogativa pretio sacri sui sanguinis pro nobis effusi, & à nobis adorandi empta. An non optima lectio est, quam tibi facit; quod si salvari velis si Salvatoris communionem habere cupis, communionem pœnæ non recuses; tibi gratis non dabitur, quod illi tanti stetit; tibi constare debet, quomodo & illi; non conglorificaberis, nisi & compassus fueris.

PVNCTVM III.

INcipias ergo nunc ab hac die, ab hac hora, ab hac momento tè mortificare. Cum dies hic sit primus anni dies. Dic cum Psalmista, & intus dic, & ipso opere dic. *Dixi nunc cœpi.* Psal.76.11. Has igitur sume resolutiones pro hujus festivitatis fructu, & utilitate, & & pro reliquo totius vitæ tuæ decursu servandas infallibiliter. Prima resolutio esse debet ut abstineas ab omni delectatione illicita, & recreatione mala, vel periculosa, qualiscunque illa fuerit magna, vel parva Consilio Principis Apostolorum acquiescens. *Fugientes* inquit: *Ejus quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem: Vos autem curam omnem subinferentes ministrate* Petr.1. *in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam; in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* Secunda resolutio est; Etsi ipsæ recreationes malæ non forent; verum indifferentes, & ilicitæ: Vt videre, intelligere, loqui, deambulare, & hujusmodi; se nihilominus ab illis abstinere quandoque, specialiter dum quis in illis minimam sentit, & habet oblectationē, & complacentiam. Tertia etiam in recreationibus necessariis, ut sunt bibere, comedere, dormire, illas assumere. Quia Deus vult, & sicut Deus vult: At nullo modo quia nobis recreationes sunt. *Qui manducat:* inquit Apostolus: *Domino manducat.* Conare has tibi vivaciter imprimere veritates, & omnium illorum animis inserere; quos ad te Deus hodiernà die diriget; quod professioni Christianissimi opponatur magis, & doctrinà, ac vitæ Christi Domini, & Sanctorū omnium conversationi magis adversetur quam suis indulgere appetitibus, & suis frui in hoc mundo deliciis, & voluptatibus. Christus in Evangelio hoc non celavit. *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest esse meus discipulus.* Luc.14.27. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Luc.9.25. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.*

SERMO XII.

PRO FESTO S. GENOVENÆ.

De humilitate exaltata.

I. Humilitas S. Genovevæ in vita.
II. Quomodo humilitas exaltatur, & remuneratur post mortem.
III. Lectio pulchra sapientibus facta.

Qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14. v. 11.

Psal. 101, 18. VErbum Domini est verificatum à Domino in servis suis. *Respicit siquidem Dominus in orationem humilium, & non sprevit preces eorum.* Ideò Propheta hanc ut inveniat gratiã de seipso testificans. *Domine* inquit: *non est exaltatum cor meum, neque elati*
Psal. 130. *sunt oculi mei, neq; ambulavi in magnis, neq; in mirabilibus super me.* Nam Doctrina Sapientis non decipit. *Gloriam*
Prov 15. 33. *præcedit humilitas.* Antequam porro conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. Ob hoc monet Ecclesiasticus. *In humilitate* inquit, *tua patientiam habe: Quoniam igne probatur aurum, & ar-*
Eccl. 2. v. 4. *gentum, homines vero receptibiles, & in camino humiliationis.* Bene hoc ponderans ulterius hortatur idem Ecclesiasticus. *Quanto* ait: *magnus*
Eccl. 3. v. 20 *es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Hinc S. Genovena inhærens consilio humiliavit se in omnibus, & coram Deo invenit gratiam. Utinam & nos ejus vestigiis insistentes, illi salubri acquiesceremus consilio, nostrũ defectum, & imperfectum semper ob oculos habentes, nos in omnibus humiliantes, & deprimentes gratiam corã Deo invenire omni allaboraremus conamine. Quod optimum foret, & quo melius accidere nobis nihil posset. Vt ex decursu dictionis subsequentis eluceſſet.

PVNCTVM I.

COnsidera primò quomodo verba hæc inveniuntur perfectè verificata in illa; cujus hodiernà die festivitatem festivis celebramus gaudiis. Si natuntatem S. Genovenæ intueamur, quid in oculis mundi vili⁹ est, aut esse potest quam rusticula? Quid humilius, quã vilis, & simplex pecuaria? Quid abjectius, quam enutriri inter pe-

pecora ? Si vitam illius inspiciamus, quid magis absconditum? Oves usque ad anni decimi quinti ætatem custodivit, diu Pariis incognita mansit oculis hominum; si virtus eius effulserit, fuit duntaxat ut exponeretur malevolorũ calumniis, qui illam hypocrisis accusabant falsitatis, & erroris in suis revelationibus. Adijce ad hoc lepra, quà fuit afflicta, & cruciata. Nec irrisiones prætereundæ sunt, ac subsannationes illi ob suas prædicationes irrogatæ. Ecce quomodo illa humiliata est in terra. Ideò merito inter illos deputata; quarum meminit sapiens ad malorum confusionem, coram Deo in æstimatione. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum; & in similitudinem improperij. Nos insensati* Sap. 5. v. 4. *vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.*

PVNCTVM II.

COnsidera jam quomodo illa exaltata est. Illam post mortem immortalitate donatam, gloriâ, & honore coronatã inter sublimissimos Civitatis illius magnæ paradisi residentẽ; & elevatam quasi super arcũ triumphalem in Ecclesiâ Clodoveo ædificata. Quæ primum nomen mutavit in nomen Sanctæ Genovenæ: Vide Reges, Principes, & terræ nobiliores, & potentiores illi dona, & oblata deferentes, & offerentes eius quærunt, & implorant auxilium. Hæc admirans Psalmista exclamat. Et nos cum illo merito abstupefacti exclamemus. *Quis sicut Dominus Deus noster; qui in* Ps. 112. v. 5. *altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus? Sic honorabitur,* Ester. 6. 10. *quemcunque Rex voluerit honorare.* Miranda, & miracula eius hactenus facta; & quæ ad huc in dies ad ejus sepulchrum fiunt, evidentes sunt illius excellentiæ, meriti, & exaltationis probationes. Quis credere potuisset; Videns S. Genovenam super terram in oculis suis, & in æstimatione hominum ita vilem, abjectam, & contemptibilem: quod sub tempore esse deberet Patrona maximæ Civitatis orbis; & talis, ad quam in maximis belli, pestis, famæ & siccitatis necessitatibus tota suum Francia sumeret recursum? Hoc clarè docet nos, quod cogitationes hominum sint aliæ, & elongatæ à cogitationibus Dei, & quod humilitas juxta S. Thomam, *sit verè libra, cujus dum pars una deprimitur, altera eodem tempore elevatur*, ita eadem mensurâ quâ quis se in terra deprimit, contemnit, & vilem ob Christi amorem se ostendit; se reddit in cœlo æstimabilem, honorem consequitur, & adipiscit meritum. *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exultatæ sunt* Isaia. 5. 9. *viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ,* S. Aug. *à cogitationibus vestris. Humilitas charitatis est meritum, & charitas humilitatis* tract. 10. in Ioan. *est præmium, gloriam præcedit humilitas.*

PVNCTVM III.

HÆc est Lectio: quam nobis instituit S. Genovena è virtute sancti

montis illius supremo, & è medio famosissimæ universitatis illius cœlestis, inqua videtur duntaxat locata, ut Doctores, & Sapientes hujus sæculi confundat, eosque doceat omnem eorum sapientiam esse meram coram Deo stultitiam; Si illa illis ad aliud deservit, quàm ad seipsos humiliandos, & deprimendos. Hoc expresse docet Apostolus: *Nemo se seducat, si quis videtur* 1. Cor. 3, 18. *inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens: Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.* Et re ipsà annon magna erit hisce magnis viris, quos dicimus, confusio, qui tot labores impenderunt, tot conatus ad subvenerunt, vigilias tot servarunt, & noctes insomnes transierunt tot ad scientias acquirendas. Et videte quod illis opponatur pecuaria parvula, quæ plus Ecclesiæ profuit, quam omnis præmemoratorum scientia, & capacitas? An non videtur in persona S. Genovenæ horum Apostoli verborum veritas adimpleta, & consummata: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes &c.* Quod Deus admirabili secreto suæ providentiæ eos, qui velut insensati in mundo habebantur, eligere placuerit ut confunderet Sapientes, & eos qui erant contemptus injuriarum, & irrisionum objecta; ut idola hæc publica dejicere in quæ oculi omnium intenti dirigebantur? *Scientia enim inflat, charitas vero ædificat, si quis autem existimat se scire aliquid, nondum* 1. Cor. 8. 2. *cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* Tende, & prosternere ad pedes magnæ Sanctæ, & hanc excellentem virtutem ab ea disce; quæ illi ascendendi ad thronum, in quo jam Regina residet, unica fuit occasio. Ad solam quippe nos docendam humilitatem, deus hujus infirmitate, & in firmitate usus est, ut de majoribus, & potentioribus hujus sæculi triumpharet, illos deprimendo, & prosternēdo *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* inquit Apostolus. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit* 1. Cor. 1. 29. *Deus, & ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt destrueret.*



SERMO

SERMO XIII.
PRO VIGILIA EPIPHANIÆ.

De Diſpoſitiône ad hanc Feſtivitatem.

I. Motiva Obligantia Chriſtianos, &, præ omnibus aliis, Eccleſiaſticos, ad dignè celebrandum hoc Feſtum.
II. Media, ad dignè celebrandum hoc Feſtum; & Fructus inde hauriendi.

Surge, Illuminare Ieruſalem! Quia venit Lumen tuum, Iſaiæ. 60, v. 1.

PRopheta miram Eccleſiæ in Adventu Chriſti Felicitatem admirans, congratulabundo affectu illam excitare cupiens, ad digne illum recipiendum, *Surge*, ait, *Illuminare, Ieruſalem: Quia venit Lumen tuum*; acſi diceret: Quid hæres, quaſi ſoporata & ſopita à Vino vanitatis, ſtultitiæ, & Voluptatis? Surge nunc è ſordibus ſcelerum; ſurge è tenebris ignorantiæ, & errorum nebulas diſſipa. Surge, & illuminare, hoc eſt, accipe Lumen fidei & Gratiæ. Chriſtum, Solem Juſtitiæ, omni ſuſcipe devotione. Age, & fruere Cœleſti Luce, quâ irradiaris ſola, in Univerſo Orbe. Ita Tertull. S. Ambroſ. Auguſt. Cyrillus, & alii, à Leone Caſtrio citati. Eccleſia ergo Sancta invitatur à Propheta, ad ſe digne diſponendam, ad recipiendum Chriſtum. Invitantur & omnes Chriſti fideles, Eccleſiæ Filii ad hanc dignam, & Chriſtum recipiendum, diſpoſitionem; aliter non recepturi, aut gratiis ejus fruituri; ut deducetur. Quia nullibi inveniri poteſt ſalus, niſi in Eccleſia Chriſti, à Chriſto illuminata; quod ſubjunctis verbis apertius declarat Propheta; *Et ambulabunt Gentes*, inquit, *in Lumine Tuo*; in quo videbunt Lumen, quo deducentur in omnem veritatem; quæ ſola liberat & ſalvat. O utinam illo omnes Lumine, omni in occurrentia, ne unquam deficere poſſent, illuminarentur, & deducerentur, à ſemita ſalutis nunquam deflectentes, in omnem veritatem cognitionis & operis; ut, quid illis faciendum foret, intelligerent, & illud ipſum opere complerent! ſcienti, & non facienti, peccatum eſt illi.

PUNCTUM I.

COnſidera primò motiva, quæ nos obligant, ad bene & devote celebrandum hoc Feſtum Epiphaniæ. Primum eſt, quia hoc Feſtum eſt proprium & particulare Chriſtianis; ex eo,

quod illo die gentiles, à quibus descendimus, sint ad fidem & agnitionem veri Dei, in personis trium Regum, vocati, quos sancti Patres hanc ob causam vocant primitias gentium; & progenitores Ecclesiæ. *Agnoscamus in Magis adoratoribus Christi vocationis nostræ, fideiq; primitias, & exultantibus animis Beatæ spei initia celebremus.* Hoc refert Baron. de Julian. & Valent. *Qui de tenebris vocavit nos in admirabile Lumen suum.* Festum hoc ita fuit solenne, & tali in veneratione in primitiva Ecclesia, ut primis seculis, quicunque die hac Divinis non intererat officiis, ut hæreticus, habebatur; obtinetque in præsenti, inter sex maximas anni festivitates, locum. Alterum, quod Ecclesiasticos maxime & Religiosos, à fortiori, concernit specialius, cũ ob excessus varios, & dissolutiones committi solitas, in potissimis familiis & communitatibus, est, ut sint, velut mediatores, obligati Deum rogare & obsecrare pro toto populo Dei. Deo gratias, quas potes maximas persolve pro te, & nomine totius gentilitatis, ob summum tibi exhibitum favorem, quod te ad fidem vocaverit, & ad agnitionem nominis sui. Verum, & eodem tempore à lacrymis ne cessaveris, animadvertens hanc gratiam à Christianis tam parum æstimari, recognosci, & requiri. Et videns, diem sanctum, in quo devotiores esse deberent, observantiores, & sanctiores profanari, violari, & inhonorari per excessus, crapulas, ebrietates, comessationes, & mille alias ordinationes, & actiones indignas, quæ cœcitate obstupescenda à multis, imo pluribus, permissæ videntur, aut ad minus hoc die non ita puniendæ & reprehendendæ.

S. Leo. Ser. 2. de Epiph.

1. Petr. 2. v. 9.

PVNCTVM II.

COnsidera secundò, media, & modos, hanc Festivitatem bene, sancte, & debita celebrandi devotione; & fructus, quos inde haurire convenit. Primum est, animadvertere, & serio considerare, annon quis, tali die, pravis & deordinatis mundanis Principiis & maximis inductus & seductus, in graves excessus quosdã inciderit? quorũ à Deo venia sit petenda: quibusdam mortificationibus eum in finem assumptis, se exempli causa retrahens à secularium societate, quasdam pœnitentias faciens, & abstinentias, vel quid simile. Illorum excessum meminit Apostolus: *In quibus & nos omnes*, ait, *conversati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum.* Alterum est, impedire, quantum in nobis est, hujusmodi deordinationes, & etiam inter seculares Laicos, publicis, & particularibus exhortationibus, demonstrationibus, & deprecationibus, per cognitionem, quam quis illis ingeret, excellentiæ, magnitudinis, & sanctitatis hujus festi, quam nunquam didicerant; orare pro illis, fervido affectu, qui se torrenti secularium desideriorum, conversationum & voluptatum, committunt. Tertium est, imitari hos tres Reges in oblatis, quæ illi verbo incarnato faciunt. Illi intellectum nostrum, voluntatem nostram, & nostram memoriam plane sub-

Ephes. 2. v. 3.

submittendo, offerendo, & consecrando, ut discere nihil velimus, nihil velle, nullius meminisse, nisi quod ille vult, & sicut ille vult, ubi, & quando ille vult. Hæc sunt tria preciosiora dona & oblata, quæ illi offerre possimus, cum illo modo illi tres Nobilissimas animæ nostræ facultates offerimus. Quilibet dum ex animo dicimus, & precamur. *Suscipe Domine, universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, &c. Agnoscamus in magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ, fideique primitias, &c. Et sicut de Thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt: ita nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus.* S. Leo Ser. 2. de Epiph.

SERMO XIV.

PRO FESTO EPIPHANIÆ.

De fidelitate, quæ Divinis debet correspondere inspirationibus.

I. Rationes ad hanc nos obligantes fidelitatem.
II. In quo sit sita hæc fidelitas?
III. Exemplum Magorum motivum esse debet.

Vidimus Stellam ejus in Oriente, Matth. 2.

ITa loquuntur hodierna die Magi. Ecce inspiratio? & sine mora aut dilatione subjungunt: *Venimus adorare eum.* Ecce obedientia perfecta Divinæ vocationi, & gratiæ vocanti, excitanti, seu prævenienti continuo sine mora exhibita! *obedientia* enim *hominis ad Deum est affectio voluntatis conjunctæ Deo,* juxta S. Anselmum, *continuo ejus ductui & impulsui conformis & obsequens.* Ita prompte obedivit Noë Domino, in omnibus, quæ ei facienda præcepit, tempore instantis diluvii. Præceptum de circumcisione, quamvis esset grave & insolitum, non distulit Abraham implere usque in crastinum. Moyses obedivit Domino, imponenti Ducatum populi. Cito, & perfecte obediverunt illi *Apostoli,* qui à Domino *vocati, continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Saulus, ad terram prostratus, audiens verba Jesu Nazareni, prompte respondit ei: *Domine, quid me vis facere? Obedientia* enim *perfectum opus habet.* Ita & Magi, visa stella in Oriente illos vocante, ad Dominum noviter natum adorandum, obediunt sine dilatione. Hi sunt pri-

Genes. 7. Genes. 17. Exod. 3. c. Matth. 4. Act. 9.

primitiæ Vocatorum à Domino, qui, omnia relinquentes, sequuntur Dominum: *Quibus mundus Crucifixus est, & ipsi Mundo.* Hi sunt Senatores Terræ, cum quibus veniet Dominus ad Judicium, & sedebunt super sedes Duodecim Tribuum Israel. Hi sunt qui ascendunt ad Collem perfectionis, ad quam facilior, & compendiosior est Via Obedientiæ, extra quam Vix, & rarò perfecti fiunt. *Obedientia*, ait Blesensis, *tanquam Crucis patibulum, omnia membra hominis immobiliter astringit.* Hæc est via Domini, Justi incedunt per eam, cum exultatione, intrantes per Viam perseverantiæ, ascendunt in montem Domini; In Montem in quo Dominus suos docet Discipulos omnem veritatem. Ad hunc hodiernâ Die stellâ Duce, ascendunt Magi, & innotescet ex subjunctis. Ascendamus & Nos, ut & Nos, cum illis munera offerentes, salutem inveniamus & Gratiam.

Serm. 2. de Ascens.

PVNCTVM I.

COnsiderà primò Rationes, quæ nos obligant summopere, ut fideliter Divinis correspondeamus Luminibus, Gratijs, & Inspirationibus, hodiernâ Die, per Stellā illam, quā viderant Magi, denotatis; ne cōtingat audire nostro damno: *Vocavimus & renuistis. Pretium meum cogitaverunt repellere.* Prima est, quia Gratiæ hæ & Inspirationes dantur, in pōdere numero & mensurâ, & non scimus, an illa, quam, verbi gratiâ, recipimus, hac Festivitate, non sit ultima, quam in totâ vitâ recipiemus, à quâ depēdet æterna nostra felicitas, & infelicitas; æterna salvatio & damnatio. Altera Ratio est: quia, Divinis non correspondere Gratijs & inspirationibus, est, illis resistere, se Divinis de propriâ salute opponere præordinationibus, passionem & Mortem Filij Dei inefficacem reddere, & effectu privare, qui, nobis bonas ut merentur cogitationes, Inspirationes sanctas, & Divinæ motus pietatis nobis ut evenirent, & causarentur, suum profudit, omnimodè est totaliter, sanguinem sacratissimum, unicum redemtionis nostræ pretium. Ut autem innotescat, in quo hæc consistat Fidelitas, sequentia ponderanda maturè veniunt.

Proverb. 1. v. 23.

PVNCTVM II.

SUpponendum venit, etsi Deus gratias omnibus det: non in eodem tamen gradu, virtute & efficacia. *Vnusquisq;*, inquit Apostolus, *Donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius autem sic. Alia est Claritas Lunæ, alia claritas stellarum, stella enim à stellâ differt in claritate. Alius est ordo prædicantium, alius auditorum, atq; alius pœnitentium, alius Virginum.* Hæ porrò gratiæ sunt differentes, vel ratione conatuum, exercitationum, & conditionum, quæ in Mundo reperiuntur: Vel, quia Deus plus, vel minus ordinariè distribuit, juxta mensuram illorum, qui hisce astringuntur correspondere & cooperari, magis vel minùs perfecti esse debent. Vel ratione personarum, etiam quas in eodem statu & condi-

1. Cor. 7. 7.
1. Cor. 15. 14.
S. Gregor. 30. mor. c. 10.

conditione magis vult Deus elevari, & eminentiori perfectionis gradu evehi, & exaltari. Ut ergò fideles Divinis simus gratiis, inspirationibus, & influentiis, habere oportet respectum ad statum, in quo degimus, & ad gradum perfectionis, quem à nobis requirit Deus, & ad quem nos vocat.

Reflexionem modò fac super tuum statum, quæ tibi gratiæ omni die & modo præsententur, quem inde fructum habeas? quomodo illis correspondeas? aut cooperieris? certum est, quòd, te ad statum Ecclesiasticum vocans, si bene vocatus fueris, majorem à te requirit perfectionem, quàm in reliquo toto Laicorum statu reperiatur, aut exigatur. In vanum enim alias ex mundo & mundanis conversationibus te extraxisset, nisi aliud à te reposceret, quàm id, quod in mundo præstabas. Si hanc ergo à te requirat perfectionem, dat tibi ad illam gratias, & media; verbi gratia: orationes, instructiones, Sacramenta, & exercitationes alias spirituales. Et interim, quæ ex parte tuâ correspondentia ad has gratias universas? Quot rejecisti? quot contempsisti? quot neglexisti? quot in omni vita non cooperatus es? qua ergo fidelitate Domino Deo tuo servivisti? te hodie, hâc horâ, hoc memento, sine ulteriori dilatione, tui pœniteat errati. Omnes cum dolore & rubore agnoscas & confitearis infidelitates tuas: & gratiã à Deo instanter & ferventer pete & efflagita, nunquam amplius in hisce pati recidivam, nunquam amplius ulllam incurrere infidelitatem, nunquam amplius ullam rejicere, vel negligere gratiam: verum in omnibus fidelitatem summam servare, suo tempore gratiosam ut audire merearis invitationem: *Euge, serve bone & fidelis! quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 23. Ad quod ut ultimate, ultimo excitatus motivo, magis judicaris, sequentis puncti materiam rumina perfectiùs, ea, ad perfectiorem de cœtero vitam instituendam, permovendus.

PVNCTVM III.

Considera tertiò; Quâ affectione, qua promptitudine, & alacritate, Magi sese hodierna die accingant itineri, ut veniant recognituri, honoraturi, & adoraturi Salvatorem Mundi, & Authorem universorum. *Ecce! Magi ab Oriente venerunt*; quàm primùm, in momento, nulla dilatione factâ, iter aggressi sunt. *Vidimus*, ajunt, *stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. v. 2. Ac si dicerent: ut vidimus stellam ejus, illâ permoti, continuo venimus adorare eum. Ut visum est in momento: ita & factum. Certum est, quod Gratia interior, & Lumen, quo animus illorum illustrabatur interiùs, potentiùs cor eorum trahebat, & efficacius movebat, quàm stella eorum exteriùs sese objiciens oculis. *Tribus Magis in Regione Orientis stella*

stellà novæ claritas apparuit, quæ Illustrior cæteris pulchriorque sideribus in se tuentium oculos animosque converteret, ut confestim adverteretur, non esse ociosum, quod tam insolitum videbatur. Præter illam speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit. Verum potes tu ne conqueri, tibi ex hac parte Deum defuisse? eheu! non unam stellam vidisti duntaxat: at Lumina mille tuum cor illustrarunt; stellæ mille tuis sese objiciunt obtutibus, plus quam jam à mense, forte plus quam ab integro anno: & ne quidem passu uno progressus es, & accelerasti ad Deum, Deo ut propinquares magis, magis placeres. Huic bene intēde Lumini, ne ecclipsetur, ne tenebræ te comprehendant, monito Salvatoris acquiescens: *Ambulate, dum Lucem habetis; ne vos tenebræ comprehendant.*

S. Leo, Ser. 1. Epiph. idem Ser. 5.

Ioan. 12. 35

SERMO XV.

PRO FESTO PVRIFICATIONIS B. M. V.

De oblatione, quam quisque nostrum sui ipsius facere debet Virgini Beatæ; sicut illa Filium suum Patri æterno obtulit.

I. Rationes, quæ nos obligant offerre & consecrare servitio Virgini Sanctissimæ.
II. Qualia sunt obsequia, quæ illi reddere tenemur?

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. Ecclesi. 24. v. 27.

HIsce verbis gratiose invitat Virgo Gloriosissima hodierna die omnes ad se. Omnes dico, nemine excepto. Invitat debiles, ut roborentur; pusillanimes, ut animentur; ignorantes, ut instruantur; famelicos, ut reficiantur; frigidos, ut accendantur; indevotos, ut excitentur; desolatos & tristes, ut consolatione & gaudio repleantur; laborantes invitat, & oneratos, ut quiescant à laboribus, & ab oneribus subleventur. Invitat omnes deficientes, proficientes, & perfectos, ut bonis omnibus repleantur omnes. *Transite ad me*, ait, *omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. O anima mea*, inquit S. Bonaventura, *mente devota pertracta! quam sit plenum omni suavitate gaudium, videre hominem hominis conditorem, fœminam omnium Conditoris Genitricem, Fratrem nostrum quondam perditum, objectum, & despectum, nunc inventum, nunc reversum, nunc regnantem, nunc omnibus imperantem? O quis mihi det te, Fratrem meum, sugentem ubera Matris meæ?*

In Soliloq.

mea? Ad hoc nos invitat Virgo Beatissima: *transite ad me, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Invitat se concupiscentes, se amantes, se honorantes, se colentes, sermone & imitatione, affectu & effectu, verbo & opere. Invitat, ut à generationibus ejus adimpleantur. Quæ sunt generationes Virginis Beatæ? generationes ejus sunt: omnes Virtutes, omnes Divinæ gratiæ. Generatio ejus est Filius Dei; panis de cœlo descendens; panis datus pro mundi vita; panis vivus; ut, si quis ex ipso manducet, non moriatur; veritatis testimonio: ego sum inquit, panis vitæ, Joan. 6. ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Hisce suis Virgo Beata vult nos adimpleri generationibus, quæ sunt generationes vitæ, salutis, & perfectionis. O utinam illis semper adimpleremur! in nullo unquam deficeremus; ut de facili ex dicendis ostendemus.

PVNCTVM I.

CONsidera primò obligationem, quam habemus, nos ipsos offerendi & consecrandi totaliter & omnimode servitio Virginis Sacratissimæ; eamque multiplicem. Prima est; quia illa est Dei voluntas, & beneplacitum, qui non videtur, ob aliam rationem, illam nobilitasse, ac iis favoribus, gratiis, & benedictionibus, inæstimabilibusque Charismatum donis, quæ ipsa habet, exornasse; illam evehens super omne illud, quod non est Deus, nisi ut eam omnibus redderet honorabilem, amabilem & laudabilem Angelis & hominibus. *Altius intuemini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria?* Altera ratio est: ex eo quod omnia bona, quæ Divina nobis communicavit, vel communicare intendit benigitas, profluxerunt & profluunt ab illa, & per illam, velut per canalem, ut ait S. Bernardus, qua Rivuli Divinarum gratiarum derivantur in homines universos. Indeque provenit, quod Pater æternus hodierna die voluerit, quod filius suus illi per eam offerretur & præsentaretur, nomine totius generis humani, illique remiserit inter manus, ut nos intelligere faciat, quod se illi plane & soli donet; & quod illa sit sola, quæ illum nobis donare debet, nosque ad illam accedere, illum ut accipiamus, sine qua nullo modo habere possumus. *Siquid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* Unde optime Ecclesiasticus in persona ejus: *in me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis spes vitæ & virtutis.* Tertia ratio est, quod illa specialem habeat animarum sibi devotarum curam & sollicitudinem, illis assistens & auxilians in omnibus suis necessitatibus, illas præservans ab impugnationibus & laqueis spirituum malignorum, & illis tandem in hora mortis potenter succurrens, easque secure deducens ad cœlestem Paradisum. Et tandem, ratione horum Excellentissimorum Titulorum, quos illi Ecclesia dat; illam nostram appellans Matrem Reginam nostram, nostram Mediatricem, & Advocatam. *Sic Ecclesia,* inquit Sanct. Bern-

S. Bern. de aquæductu.

S. Bernar. in Nat.

Ecclesi. 24. v. 25.

Bernard. Mater Gratiæ, Mater Misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non trãsiret. Hoc nos astringit, illi *obsequium idem reddere*, quod Infans Matri reddere obligatur, quod subditus Reginæ, servus Dominæ, & peccator & reus suæ Advocatæ.

PVNCTVM II.

COnsidera secundò: qualia sint obsequia, quæ illi in his qualitatibus reddere tenemur? Primò, ut Filii talis Matris, quæ non homines tantùm, verùm Deum ipsum in Filium habet, illi debemus amorem, reverentiam, affectum, & complacentiam filialem in suis Excellentiis, prærogativis, & gratiis: *Honorem habebis Matri tuæ.* (Tob. 4. v. 2.) *Totis ergò medullis cordium, totis præcordiorũ affectibus, & votis omnibus, Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Secundò, ut subditi, cum illa Regina sit Angelorum & hominum, astringimur, illam honorare speciali honore, multis modis excedente eum, quem Sanctis aliis quibuscunque debemus & reddimus. Tertiò, ut servi, illi servitium particulare exhibere nos oportet. Essemus certè ingrati, nimisque inconsiderati, & ignavi, si ullum anni totius diem pertransire pateremur, sine singulari, nostri in in illam affectûs, servitii & subjectionis, ostensa significatione. Quartò; ut peccatores, nos ad illam recurrere est necesse, illius nos committentes potentiæ, merito, & bonitati, omnimodè certificati, illa si nostram susceperit causam & defensionem, non fore timendum de victoriâ. Non illa decipietur, illudetur, aut superabitur, utpote sapientissima, prudentissima, & potentissima. Hinc S. Anselm. *Dominus*, inquit, *Iudex omnium, discernens merita singulorum, dum à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profectò id justè facit: invocato autem, nomine Matris, & si merita invocatis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.* At ultima obligatio, debitum, & obstrictio strictissima, in qualitate Ecclesiastici, est, non tantùm illi obsequium, honorem, reverentiam, & cultum reddere modo possibili perfectissimum: verùm etiam omnes allicere, attrahere & permovere, ad ejus servitium, amorem, perfectam Excellentiarum illius, favorum, & gratiarum cognitionem, æstimationem & Reverentiam; illa ut, una omnium voce, laudetur ac benedicatur. Omine feliciori illi decantetur, quàm illi olim Heroinæ, Judith: *tu gloria Ierusalem; tu lætitia Israel; tu honorificentia populi nostri; & ideò eris benedicta in æternum; dicatque omnis populus: fiat, fiat.* (Iudith. 15. v. 10.)

Verùm tu huic quomodo satisfacis debito? quo amore hanc animæ tuæ Matrem prosequeris? quo honore hanc cordis tui Principissam & Dominam prævenis? quod obsequium illi affectionum tuarum Magistræ & Directrici reddis? quã in hac peccatorum Advocata confidentiam habes? at ejus gloriam, devotionem, & laudem inter Chri-

Christianos quomodo promoves, ut crescat, & augeatur? nunquam audisti, quid, in persona ejus, loquatur
Eccles. 24. v. 31. scriptura? *qui elucidant me, vitam æternam habebunt?* renoves hodie, hoc instanti, oblationem, quam illi aliâs fecisse potueris; cum repromissione firmâ, illam quotidie renovandi. Si Matris fueris, eris & Filii. Honorans Matrem, honorabis & Filium. Gloria enim unius, teste S. Bernardo, redit & redundat in alterum, & in gloriam & honorem alterius. *Omnia dona, virtutes, & gratia Spiritus Sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipsius administrantur, dantur, & dispensantur.* S. Bern. de Exalt. Virg. art. 2. c. 8.

SERMO XVI.

PRO FESTO MATTHIÆ APOSTOLI.

De vocatione ad statum Ecclesiasticum.

I. Tres veritates in vocatione S. Matthiæ nobis docentur.
II. Quàm pauci Ecclesiastici hac ratione vocantur.
III. Reflexio.

Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis, Act. 1.

MAtthias, quod donum Dei significat, ut nomine, ita & zelo, similis Mathathiæ, Patri Maccabæorum, his apud Sanctũ Antoninum, inquit Tirin; decoratur titulis: *Fuit in Lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, ac tandem Martyr, extensis in cœlum manibus, Spiritum Deo reddidit.* Hic sorte à Domino designatus est, &, Apostolis dubitantibus de voluntate Domini, quis, inter duos Candidatos Apostolatûs, & ille æquè, judicio omnium, dignos, esset determinãdus? determinatus fuit successurus in numero Apostolorum, in locum proditoris Judæ, & numerum 12. completurus. Apostoli siquidem, in omnibus cupientes omnes Divinas adimplere voluntates, pro hac subrogatione & Electione unius Apostoli, loco Judæ, statuerant Duos, quos æquè dignos, æquè capaces, æquè sanctos, & æquè in omnib⁹ Apostolicis virtutibus & functionibus exercitatos & qualificatos Judicabant. *Et statuerunt*, inquit sacer textus; *Duos: Ioseph, qui vocabatur Barsabas, quod significat filium Iuramenti, vel saturitatis, vel* Act. 1. v. 23. Genes. 21. v. 31.

 (con-

Converſionis, inquit S. Hieroym. hîc apud Tirin; & pagninus: Putatur fuiſſe filius Alphæi, Frater Jacobi minoris, & Judæ Thaddæi, & conſequenter cognatus Chriſti, poſtea creatus eſt Epiſcopus Eleutheropolis in palæſtinâ, ait Dorotheus inter Sanctos relatus; in Martyrologio Romano notatur 20. Julij; qui, ob inſignem vitæ ſanctitatem, cognominabatur Juſtus. Hunc ergò Apoſtoli, alterum Apoſtolatûs Candidatum, eum S. Matthiâ ſtatuerunt. Non potentes, ob utriusq; merita, ſanctitatem, & virtutem diſtinguere, aut Judicare, quis illorum eſſet dignior? Et ideò ad Deum recurrentes, *& orantes*; *dixerunt: Tu Domine, qui corda nôſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus, unum accipere locũ Miniſterii hujus Apoſtolatûs, &c.* Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Sortes ergò licitæ ſunt, tum diviſoriæ, Joſuæ 14. *Sorte omnia dividentis*, ſicut præceperat Dominus in manu Moyſis, tum Conſultoriæ. Sic ab Apoſtolis miſſa eſt in Electione S. Matthiæ. Unde bene ſapiens: *Sortes*, ait, *mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Mittuntur in ſinum* ſicuti modò mittuntur in vas aliquod, aut pyxidem. *A Domino temperantur*: Qui unicuiq;, occultâ ſuâ æquitate & Judicio, ſortem tribuit & diſponit. Unde pſalmiſta: *Ego autem in Te*, ait, *ſperabo, Domine*; Dixi: Deus meus es tu; In manibus tuis ſortes meæ. Idem haud dubiè S. Matthias, in ſuâ ad Apoſtolatum Electione, agnoſcebat. *Qui enim non operatus eſt per manus ſuas Iniquitatẽ, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima, dabitur illi fidei donum electum, & ſors in Templo Dei acceptiſſima, computatos inter filios Dei.* Et illo modo ſors cecidit ſuper Matthiam.

(Act. 1. v. 24. — Prov. 16. v. 33. — Pſalm. 30. v. 16. — Sap. 3, v. 14)

PVNCTVM I.

Conſidera in vocatione S. Matthiæ, tres magnæ conſequentiæ veritates, quæ nobis proponuntur, & docentur, vocationem ad ſtatum Eccleſiaſticum maximè concernentes. Prima eſt; Quòd ingerere nos ipſos in Miniſterium Eccleſiaſticum nullo modo conveniat: Verùm magis, à Deo ad hoc vocari, eſt neceſſe. Ob hoc ad illum hodie totâ devotione recurrunt Apoſtoli: *Oſtende*, inquiunt, *quem elegeris ex his duobus unum.* Unde eſt Chriſtus ſuis loquens Diſcipulis: *Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos. Aſcendens Ieſus in montem vocavit ad ſe, quos voluit ipſe, & venerunt ad eum.* Cui Apoſtolus ſubſcribens per omnia: *Nemo*, ait, *ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Altera veritas eſt, quòd hæc vocatio nobis innoteſcere, nequeat, niſi per viã Orationis, & precũ. Et ſtatuerunt duos: Joſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam. *Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nôſti omnium.* Per viam ergò orationis vocatio hæc dignoſcenda eſt; & ferventis Orationis, nomine totius Eccleſiæ, factæ, ad Deumq; magnâ cũ fiduciâ directæ. Tertia eſt; Quòd hæc in proviſione, præ-

(Ioan. 15. v. 16. — Marc. 3. v. 13. — Hebr. 7.)

præsentatione, & propositione ad officia & beneficia Ecclesiastica, nullo affectu Carnali, interesse proprio, affinitate, aut consanguinitate, quis duci aut trahi debet: Verùm, solâ divini adimplendi beneplaciti consideratione, & boni communis promovendi intentione sincerâ; Ut videmus, Apostolos fecisse in Electione S. Matthiæ; qui, non attento, quod primò Barsabas fuisset propositus, ex Christi consanguinitate, & frater aliorum trium Apostolorum: Verùm, solo lumine & instinctu Spiritûs Sancti ducti & inspirati, elegerunt Matthiam, relicto Josepho, qui, & nomine, & operibus, justi gaudebat titulo.

PVNCTVM II.

ANnon verum? si quis à potissimâ parte Ecclesiasticorum requireret: Quis te in numerum assumpsit clericorum? qui te ex statu humili & abjecto, in quo degebas, ante dies paucos, aut paucas horas, extraxit, & in hoc eminenti loco const tuit? *quis te pauperem de stercore elevavit, ut sedeas cum principibus, cum principibus Populi tui*, Deo specialiter dicati? O! quàm pauci invenirentur, qui dicere possent: Eorum vocationem esse à Deo; Quod ob hoc oraverint ferventi prece ad Deum; Votum voverint Domino; suo proinde voto & merito hanc obtinuisse eminentiam; sedem hanc sublimem meruisse. Interroga cor tuum, & respondeas Deo, qui veritatem meliùs, quàm tuipse, novit: Si bene vocatus, feliciq; horâ fueris? At id nondum satis est; Verùm oportet suæ vocationi conformiter vivere. Judas, in cujus locum S. Matthias hodie est subrogatus, erat vocatus; quo non obstante, finivit pessimè. Animadverte ergò, considera, & maturè pondera; Ad quid tua te obliget vocatio? Considera ejus magnitudinem & finem. Non te molestet, vel occupet, quam alij teneant viam? quas eligant semitas? At conare, te magis, & magis de die in diem ad perfectionem excitare. Et quicquid acciderit, te semper summè humilies, ac velut servum inutilem consideres. Ad hoc admoneris verbis Apostolicis: *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate. Sinite illos,* inquit Christus: *Cæci sunt. Ambulantes in omni opere bono. Cum feceritis omnia, quæcunq; præcipio vobis; Dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Magnus fuit honor S. Matthiæ, in numerum Apostolorum assumi: At aliunde fuit magna timoris & humilitatis causa, dum, se locum tenere videret, quem antè tenuerat Apostata, reprobatus, & damnatus. Ecce Ratio? ob quam, considerans casum sui prædecessoris detestabilem & formidabilem, timebat, ne illi in simili foret similis; indeque motivum sumebat efficacissimum, fideliter suæ correspondendi vocationi.

Ephes. 4. *v.* 1.
Matth. 15. *v.* 14.
1. *Cor.* 15. 18.
Luc. 17. *v.* 10.

PVNCTVM III.

FAc eandem reflexionem (suppono vocationem tuam esse à Deo) quòd

quòd in communitate vivas, si velis, ut S. Matthias, in illâ Apostolorum sanctissimâ societate. Sed *nihilnè ultrà timendum est?* Locus sanctus, & societas sancta Ecclesiasticorum, est magnũ adjumentum ad virtutem, ad perfectionem, ad Sanctitatem. At nec unum, nec alterum nos unquam, nisi laboraverimus, salvabunt. *Nusquam est securitas*, ait S. Bernhardus; *nec in Cœlo, nec in paradiso, nec in Mundo: Nam de Cœlo Angelus, de Paradiso Adam, de Scholâ Iudas excidit.* Si ubique periculum inveniatur, sine comparatione gravius invenitur periculum in conditione vestrâ Ecclesiasticâ, quàm in ullâ aliâ. Ideò, sequens consilium Apostoli, cum timore & tremore tuam operare salutem: *Cum timore, inquit, & tremore salutem vestram operamini.* Et roga cum Apostolis: *Domine, salvos nos fac: perimus.* Hoc utere motivo, te ut humilies, & hodiernâ die, ac omni die & momento vitæ tuæ; ad Salvatorem nostrum Christum, tuum sumas recursum, qui omnes tam gratiosè ad se voccat, & invitat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: Et ego reficiam vos. Reficere vult, si refici velimus, & non potius deficere.

Philipp. 2. v. 12. Matth. 8. v. 25.

SERMO XVII.
PRO QUADRAGESIMA.

De Dispositione ad Tempus illud.

I. Hoc Quadragesimale Tempus bene transigere, Ecclesiasticis multum conducit.
II. Cur hoc Sanctum Tempus fuerit institutum?
III. Praxes bene Quadragesimam transigendi.

Sanctificate jejunium Ioel, 2. v. 5.

JEjunium varium à variis hominibus, varias ob causas, suscipitur. Nam aliud est philosophicum, quod propter valetudinis curam, est studiorum profectũ suscipitur, quando, & quoties opus fuerit, nullo alio altioris ordinis fine præfixo. Aliud est naturale, incipiens à mediâ nocte, importans carentiam omnis cibi & potûs, sumti per modum alimenti in stomachum dimissi. Hoc jejunium sumtio sacræ Eucharistiæ, extra casum necessitatis, supponit, de quo in materiâ de Sacramento Eucharistiæ. Tertium est, & dicitur jejunium Ecclesiasticum, ab Ecclesiâ certis diebus præceptum, quod, voluntariè servatum, est virtutis actus; Quartum est jejunium devotionis, ad profectum spiritualem susceptum; Cujusmodi Moyses, & SS. plurimi susceperunt & servârunt. Ad jejunium hoc referuntur omnia jejunia

nia susc epta ad gratias à Deo impetrandas, ad referendas gratias, ad castigandum corpus, cum Apostolo, & ad supprimēdos malos & inordinatos motus. Ex quo sequitur quintum jejuniū, quod est, & dicitur spirituale, quod est abstinentia à vitiis & peccatis; De quo Isaiæ, 58. Dominus: *Nunquid tale est jejunium*, inquit, *quod elegi, per diem affligere hominem animam suam?* &c. *Nonne hoc est magis jejuniū, quod elegi?*
Isaiæ. 58. v. 6. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos*, &c. In præsentiâ loquitur Propheta de jejunio virtutis, sive suscepto ex præcepto Dei, aut Ecclesiæ, sive suscepto ex purâ devotione; De quo monet Propheta: *Canite tubâ*
Ioel. 2. v. 15. *in Sion, sanctificate jejunium.* Et Da-
Dan. 9. v. 3. niel. 9. *Et posui faciem meam, & deprecabar in jejuniis, sacco & cinere.* Huic Psalmista subscribit: *Ego autem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio humiliabam in jejunio animam meam.* In illo sese Apostoli exercebant, ut in actis
Act. 13. v. 23. Apostolorum legitur. Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus. Illud omnes Sancti amaverunt & practicârunt, illâ intentione, affectu, & devotione, quam Ecclesia in præfatione Quadragesimali exprimit; *Qui*, inquit, *corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.* Qui illâ intentione jejunant, sanctificant jejunium suum. *Aliâs corporalis*
1. Tim. 4. v. 8. *exercitatio ad modicum utilis est: Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.* Hoc
Tob. 12. v. 8. laudat Archangelus: *Bona est oratio, cū jejunio & eleemosyna, magis, quàm Thesauros auri recondere.* Adhoc hortatur Apostolus: *Exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei Ministros, in multa patientia, in jejuniis*, &c. Jejunium ergò, quo se, ut Deo placeat, homo macerat, quo Dei gratiam quærit, quo placare Deum intendit, quo peccata castigat, quo animum ad Cœlestia elevat, & transfert, quo ob Dei amorem se affligit, verè sanctificat, & per illud ipse sãctificatur, & sanctus efficitur; Ut latiùs videbitur.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: quantum intersit, maximè Ecclesiasticis benè & sanctè tempus sanctum Quadragesimale transigere? Hujus ratio est: Quia ideò sanctum tempus datum est nobis, ad obtinendam nostrorū veniam peccatorum, ad divinæ satisfaciendū Justitiæ, ad divinas in nobis gratias augmentandas, & bonorum spiritualium Thesauros inamissibiles congregandos. Illo fine canit in suo officio Ecclesia: *Advenerunt nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, & ad salvandas animas* Hæc si sanctò hoc tempore neglexerimus, exponimus nos periculo, hanc nunquam reperiendi occasionem. Hoc nobis sancta Mater Ecclesia verbis Apostoli ingerit Consiliū: *Ecce! nunc tempus acceptabile: Ecce!* 2. Cor. 6.
nunc dies salutis. Et alibi: *Tempore accepto exaudivi te; & in die salutis adjuvi te.* Ante hunc Isaias jam omnes præmonuerat; *Quærite Dominum,* Isaiæ. 55.
inquit, *dum inveniri potest*; Ac si dicere vellet: Hoc elapso tempore quæretur inutiliter, sine spe illum inveniendi: Quia divinæ gratiæ sua habent tempora; extra quæ non nisi rarissimè communicantur. Ut enim certa

Deus sibi determinavit loca, tempora, & dies certos, quibus sibi voluit cultum, honorem, adorationem debitam, & obsequium exhiberi: Ita & certa tempora, dies & horas statuit, quibus suas communicat gratias, & extra quas non communicat. Hanc apprehende, & recognosce veritatem: Hac utere consideratione, ut ex minimis ejus concessis proficias gratijs, quas Deus tibi offert & præsentat. Illis ut excitatus & adjutus, utiliter, sanctè, & fructuosè hoc percurras tempus Quadragesimale, quod tibi fortè ultimum conceditur; Et ut illud tibi magis sit recommendabile, sequentia maturiùs pondera.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò: Ejus prætermissâ Antiquitate Apostolicâ, ad nos usq; deductâ traditione, & fideli decursu; Rationes præcipuæ ob quas Ecclesia hoc sanctum Quadragesimale tempus instituit, variè inveniri & reddi queunt. Prima est, ut Deo redderemus decimas totius anni: Quia hi dies, quibus jejunamus, anni totius, ex 365. diebus compositi, partem decimam circiter constituunt. Si ergò magnum sit peccatum, decimas fructuum Terræ non reddere, vel aliquam partem rescindere: Quantò majus coram Deo erit peccatum, decimas temporis non solvere, quod magis æstimatur ac reputatur, & apud Deum preciosius est, quàm omnes terræ fructus? Decimæ, quàm strictè præcipiantur, sacra nõ celant eloquia: *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino.* (Exod. 21. v. 29.) De quo Dominus Deus conqueritur apud Prophetam: *Vos configitis me; & dicitis: In quo cònfigimus te? In decimis, & Primitiis.* (Mal. 3. v. 8.) Ob hoc Christus in Evangelio minatur scribis & pharisæis: *Væ vobis, qui decimatis Mentham, & Anethum, & Cyminum; Et reliquistis, quæ graviora sunt Legis.* (Matth. 23. v. 23.) Altera ratio fuit, ad imitandum, approbandum, & honorandum jejunium Filij Dei, Salvatoris nostri, in deserto; ubi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus non manducavit, neq; bibit: *Erat in deserto quadrag. diebus, & quadrag. noctibus; Et nihil manducavit in diebus illis.* (Marc. 1. v. 13. Luc. 4. v. 2.) Tertia Ratio est, ut seriò nos convertamus ad Dominum Deum nostrum; renovemur in interiori homine, in novitate vitæ ambulantes; nobis ipsis moriamur, per exercitia veræ & salutaris pœnitentiæ, & bonis nostris operibus, tempus totâ reliquâ parte anni malè impensum, redimamus. Ad illud hortatur Apostolus: *Videte*, inquit, *quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.* (Ephes. 5. v. 1.) Et Dominus apud Prophetam: *Convertimini ad me toto corde vestro;* (Ioel, 2. v. 2.) *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas.* (Esaiæ. 55. v. 7.) Et hoc medio resurgere cum Christo in Paschate; in novum hominem omninò commutari, omni vetustate peccati depositâ; Eò unicè tendit Ecclesia in omni Divino hujus temporis officio. Ob hoc instituit jejunia frequentiora, crebriores ordinat prædicationes Quod insinuat Propheta: *Sacerdotes peccata populi comedent;* (Osea, 4. v. 1.)

dent; Inter veſtibulum, & Altare plorabunt, Sacerdotes Miniſtri Domini, & dicent: Parce, Domine, &c. Animas emundari nolentium plangat Sacerdos, imitatus Apoſtolum, qui ait: 2. Cor. 12. v. 21. *Ut lugeam multos ex his, qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam.* Ex his concludas tranſeunter obligationem, quam habent Eccleſiaſtici, ſtrictiſſimam, hoc ſanctum tempus tranſigendi, impendendi, & applicandi, cùm, præter propria peccata, quæ eos obligant ad pœnitentiam faciendam, ſint ſtrictiſſimè obligati & pro peccatis alienis pœnitere. Ut autem Praxes meliores & aptiores innoteſcant, hoc ſanctum tempus Quadrageſimale impendendi benè & fructuosè, ſequentia bene examinanda & conſideranda veniunt.

PUNCTUM III.

CONſidera tertiò; quòd primum omnium, quod jejunaturus practicare debet, eſt, ſe in ſtatu gratiæ conſtituere, & Propheta loquitur, & omnes noſtras actiones meritorias & ſatisfactorias coram Deo reddere. Unde 2. Cor. 11. v. 29. Apoſtolus: *Quis,* inquit, *infirmatur? & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Proſper de vitâ Cant. cap. 20. Et hæc Praxis, quâ homo convertitur ad Deum, recuperans gratiam & Juſtificationem coram Deo, eſt neceſſaria omnibus cupientibus exercere opera bona & accepta Deo, meritoria vitæ æternæ, & gratiæ novæ. Altera Praxis eſt, majori in omnibus uti moderatione; ut S. canit Eccleſia: *Utamur ergò parciùs, verbis, cibis, & potibus, ſomno, jocis, & arctiùs perſtemus in cuſtodiâ.* In Offert. de Temp. His inſinuatur: nos hoc ſancto tempore omnia noſtra peragere oportere, majori cum moderamine; ut: in potu, in cibo, in ſomno, & quiete, in recreationibus, & aliis oblectamentis aliâs licitis. Et hæc omnes univerſim concernunt: At Eccleſiaſtici in particulari ſpecialiùs ad hæc aſtringuntur. Inſuper orare frequentius, prolixiùs, & ferventiùs, quàm aliàs; Exactiùs jejunare, aliis adjunctis extraordinariis mortificationibus; Procurare etiam, quantum poſſunt, converſionem animarum, per prædicationes, per confeſſiones per reconciliationes, per inſtructiones, & Catecheſes; ſollicitantes Populos, ad bonas & ſalutares Confeſſiones accedere, & non expectare tempus Paſchale; ſuadentes efficaciter, hoſpitalia viſitare, carceres inviſere, raro inveniri in ſocietatibus, & converſationibus non neceſſariis, à conviviis, hoc tempore ſancto abſtinere; quotidiè, ſi quis hanc non habeat conſuetudinem, celebrare; Magnâ attentione ad ſenſum, & verba officii divini, illud perſolvere; ut ſeſe ſanctis reveſtiat & exornet moribus, intentioni Eccleſiæ conformet; quæ ita in illis manifeſtè apparet & clareſcit: Et renovet tandem omnes ſanctas & bonas reſolutiones, quas unquam formavit, illis ſe ut reddat & oſtendat fideliorem, quàm unquam; ſemper proficiens in meliùs. Hæ praxes & exercitationes ſuntné adeò difficiles? ô quot inveniuntur, qui multum

tum excedunt, animo Heroico difficiliora & majora tentantes? Et cur hos non imitareris? Fortè tua peccata minora? Vel, funtne illi magis obligati, quàm tu? Infernus, quē meruisti; Bonitas divina, quam offendisti; Anima, pro quibus mortuus est Christus, quas tibi ille commisit; nonne motiva sunt sufficientia, te ad hoc inducendi? Verùm, etiamsi nihil hîc intercurreret, quàm tui recordatio nihili, mortis inevitabilis memoria, quàm tibi Ecclesia hodiernâ die ob oculos ponit; Foretne adhuc aliud quærendum motivum? *Memento, homo; quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

SERMO XVIII.

PRO FESTO S. JOSEPHI, SPONSI B. M. V.

De Privilegiis S. Josephi.

I. Prærogativæ S. Josephi.
II. Quid illi debeamus, ob suos favores & gratias?
III. In quo Ecclesiastici illum specialiter imitari debeant?

Constituit eum Dominus principem Domûs suæ, Psalm. 104. vers. 21.

ITa verè constituit eum Dominum Domûs suæ, & Principem omnis possessionis suæ veriùs, quam olim alterum Josephum in Ægypto constituerat Dominum Domûs suæ Pharao Rex Ægypti, qui hujus fuit figura.
1. Cor. 10. v. 11. *Omnia enim illis in figurâ contingebant*, quæ in veritate nobis in lege gratiæ, & Christi adventu concessa dignoscuntur. Ita & in præsenti Josephus ille Patriarcha Dominus, & conservator Domûs Pharaonis & omnis possessionis ejus Princeps, fuit figura nostri S. Josephi, quem Rex cæli & terræ, Jesus Christus, elegit & constituit Dominum Domûs suæ, quam elegit, ut in illâ conciperetur, & novem inhabitaret mensibus, veniens ad generis humani reparationem. Per hoc porrò facta est Virgo domus Domini, quod Filius Dei humanam naturam ex illâ & in illâ assumere dignatus est. Nam, In 1. cap. lib. 1. Reg. S. Gregorii testimonio, *Domus Domini Virgo beatissima non fieret, si in ejus ventre, per assumptam humanitatē, verbi divinitas non jaceret.* Per hoc ergò, quòd, per assumptam humanitatem, verbi divinitas in ventre Virginis Mariæ

riæ jacere & requiescere dignoscitur, Virgo beatissima domus Domini facta est. *Circumdedit* enim *virum*, sicut Jeremias testatur, *& non aliunde accepit. Faciet*, inquit, *Dominus novum super terram, & mulier circumdabit virum. Verè novum*, inquit S. Hieronym. *& omnium novitatū præeminens novitas, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neq; videre aliquis, ut vivere possit) sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum nesciret. Sicq; gestatus est, ut totus Deus in eo esset.* Virgo ergo beatissima fuit verè domus Dei, &, dum S. Josepho desponsata est, constituit Dominus S. Josephum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. *Totum siquidem, quicquid in Mariâ fuit, possedit. Spiritus Sanctus*, inquit S. Ildefonsus: *Quoniam virtus altissimi ab omni æstu peccati eam obumbravit, in conceptu & in partu*, &c. Ita illa omninò fuit possessa à Spiritu Sancto, & Deo, ac ita verissimè possessio Dei.

Nulla porrò unquā creatura ita divinis correspondit gratiis & cooperata est, sicut Virgo Maria; nec ulli tot gratiarū divinarum charismata concessa, & donata sunt, sicut Mariæ. Cæteris enim creaturis datæ sunt gratiæ per partes: In hāc verò sese infudit ipsa omniū gratiarū plenitudo, ut de plenitudine ejus accipiant omnes. Ideò S. Iosephus singulari privilegio Dn. fuit cōstitutus domûs Domini, & Princeps omnis possessionis ejus: Cui & ipse Dominus subditus erat, & obediebat. Magna verè dignitas! & major, quam ulli unquam concessa est, aut concedi potuit: Ut ex subjectis clari⁹ elucescet.

1. cap. ...1. Reg.

PVNCTVM I.

COnsiderà primò hodiernà die, quâ Ecclesia festivè S. Iosepho Festum celebrat, magnas Sancti hujus magni prærogativas. Prima est, quod fuerit dignissimus virginis beatissimæ sponsus, & electus potissimè, ut foret testis fidelis & custos integerrimus castitatis ejus, & incorruptionis. *Ioseph virum Mariæ* appellat Evangelista. Altera Matth. 1. est, quòd sit Pater nuncupatus Domini nostri Jesu Christi, quem ille enutrivit, & educavit, curâ & sollicitudine incòmparabili, multis annorum revolutionibus, cum quo familiarissime conversatus est, & in tantâ vixit innocentiâ: *Ecce*, inquiebat beatissima Virgo Luc. 2. ad Filium suum, *Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te: Et erat subditus illis*; Ex hoc judica magnitudinem, excellentiam, & dignitatem virtutis, meriti, & sanctitatis S. Iosephi. Cùm ej⁹ omnes prærogativæ & virtutem excellentiæ nequeant æstimari, quàm per comparationem ad excellentiam virtutum Virginis beatissimæ.

PVNCTVM II.

COnsidera secundò: quantum S. Iosepho excellentiæ tantæ supposità magnitudine, debeamus? Primò illi summam debemus recognitionē, ob tot labores, pœnas susceptas, & servitia optima Christo Jesu, Domino & Salvatori nostro, ac Sanctissimæ matri ejus, Dominæ nostræ, tanta exhibita sedulitate, reverentiâ, & humilitate. Omnes porrò homines obligavit sibi summè, servando, & conser-

vando duas ſacratiſſimas Perſonas, quibus omnes debent homines deferre, & attribuere reparationem ſuam, in ſtatum gratiæ renovationem, & conſervationem vitæ æternæ. Ab his porrò duabus perſonis proceſſit omnium vita & ſalus, ſine quibus poſſibilis eſt nulla ſalus. Secundò illi exhibere debent univerſi honorem omninò ſpecialem, ob ejus ſumma merita, & excellentiſſimas virtutes ad illum. Tertiò, in ſuis maximè urgentibus neceſſitatibus recurrere omnes debent, ob ſummā illi à Deo factam potentiam. Qui, ſi omnes ſuos honorat amicos, Propheta teſtante, *nimis honorati ſunt amici tui, DEVS: nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Quantò honorabit illum, quem Pater æternus, ut in tutorem filii ſui, filius in nutritium corporis ſui, Spiritus Sanctus in Patrem illius, qui ſuâ obumbratione conceptus fuerat ex virgine, ſine viri ſemine, conſtituit, ut talis nuncuparetur eſt haberetur. Ita totius ſanctiſſimæ Trinitatis beneplacitum fuit, ita Sanct. Joſephum honorare; Voluit & ab omnibus honorari, illiusque patrocinio, eos adjuvari, qui ad illum ſuum habuerint recurſum, omnibus illud verbis ſubjunctis inſinuans: *Ite ad Joſeph.* Ad ipsũ ſecurè accedite; omniũ bonorum meorum ipſum diſpenſatorem conſtitui; omnis poſſeſſionis meæ principem feci. Feliciori profectò omine ad hunc Joſephum remittimur in noſtris neceſſitatibus ſublevandi, quàm olim Ægyptii ad Joſephum, filium Jacob: *Ite ad Joſeph: Quicquid ipſe vobis dixerit, facite.* Ite, ait Pater æternus, non Pharao, Rex Ægyptiacus, ad Ioſeph: & quicquid vobis dixerit, facite. Eum imitemini; ejus virtutes ſectemini; Vos illi in omnibus confirmantes, &c. Vis jam ſcire, quales virtutes poſſis imitari in Sancto Ioſepho? Rumina totam vitæ ejus conſtitutionem, virtutes tibi ſtatuiq; tuo conformes elige.

Geneſ. 41. v. 55.

PVNCTVM III.

DUo ſunt in quibus illum honorare potes; quæ tibi ſunt, maximè in qualitate Eccleſiaſtici, propria. Primũ eſt, cœca ejus obediẽtia, quæ fecit illũ relinquere Nazareth, & fugere in Ægyptum, mandato minimè diſcuſſo, difficultate itineris nõ examinatâ, ſine contradictione, ſine morâ, ſine oppoſitione ullius rationis in contrarium. Qui *conſurgens*, inquit Evangeliſta, *accepit puerum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.* Ecce! Quàm prompta obedientia? quàm accelerata? quàm exacta? non expectat diem; non moram facit; in momento obedit. O qualis judicii & voluntatis ſubmiſſio! O quæ, & qualis promptitudo in executione rei tam difficilis, & tædioſæ! In aggreſſu itineris tam ignoti, tam longinqui, & tot ſubjecti difficultatibus & periculis! Alterum eſt, ejus ſumma humilitas quæ tanta fuit, ait S. Bernardus; ut ille, videns, ſe Patrem Dei nuncupari & haberi, verum ſponſum matris Dei, caput familiæ illius, in quâ Deus ipſe ſubjectus obediebat, in tantum ſe deprimeret, judicans, ſe omnino

Matt.

omnino indignum, ut cogitaret, se occultè subtrahere; eo se magis humilians & dejiciens, quo magis æstimandus, honorandus, & exaltandus erat. Matth. 1. *Ioseph, cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Virtutes tuas parùm fac hujus magni Sancti virtutibus proximare. Tua obedientia similisne est obedientiæ S. Iosephi? Obedisne, ut ille, sine tergiversatione, sine murmuratione; sine cõtradictione, omnibus & in omnibus? vel nõ potiùs remissè, cũ procrastinatione, cum contradictionibus, ægrè, & cum judicio repugnante, & omnino contrario, & contradictorio? Ita ut executioni mandes, quæ tibi præcipiuntur, illa oportet ut sint facilia, bene ordinata, tuis accõmodata humoribus, terminis benevolis & suavibus præcepta, & magnâ circumspectione proposita, & tali, ut tuo potius relinquatur judicio, quàm mandantis sentimento. Hæcne est obedientia, quâ tuam potiùs facias, quàm præcipientis voluntatem? At, quoad humilitatem, quod de te ipso fere judicium? Honor, ad quem evectus es, estne tibi materia, te magis humiliandi? Doleas, quod toties hactenus deliqueris contra has duas virtutes; Et hac die in his te emendare incipias, magnâ, ad Exemplum S. Iosephi, fidelitate, illas practicare allabores; Qui testis esse poterit hujus duplicis virtutis, quam David, & filius ejus, ita in scripturis Sanctis dilaudant; quod *Homo obediens loquetur victorias, & humilis salvabitur. Vir obediens loquetur victorias;* Prov. 21. *Humiles spiritu* Psal. 33. *salvabit Dominus.*

SERMO XIX.

PRO TEMPORE PASSIONIS.

De Passione Christi sæpe meditandâ.

I. Quantum intersit Christianis, & maximè Ecclesiasticis sæpe meditari mortem & passionem Domini?

II. Quid Christus in sua Passione sit passus? & quomodo?

III. Comparemus nos cum illo.

Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, 1. Petr. 4. v. 1.

HÆc est exhortatio, quam nobis Ecclesia per os principis Apostolorum facit hoc tempore, quo nobis ob oculos ponit memoriam passionis Salvatoris nostri. Ut ergo ejus te conformes sentimento, &

intentioni, eadem oportet te cogitatione animari, & excitari, quâ Christus animatus & excitatus, pro te & omnibus passus est. Christo porrò tam generosè pro nobis passo & crucifixo cõformemus nos à vitiis & peccatis nos expedientes, omninò convenit, & necessarium est. Non enim communicabimus cum eo in gloriâ ejus, in gaudiis & consolationibus in Cœlo æternalibus, nisi & cum illo in patientiâ, in ignominiis, in passionibus, & tormentis communicemus in mundo transitoriis. Omnia, quæ in mundo sunt, transitoria sunt, & transeunt. Quæ in Cœlo sunt, sunt æterna. Si cum Christo velimus participare in Cœlo in permanentibus & æternis; participemus & in mundo cum illo in transitoriis, & præterlabentibus. At Christus in mundo, toto tempore incolatûs sui, passus est; nunquam fuit sine passionibus; Patientiâ omnia superavit. Hanc nobis reliquit imitandã, principe Apostolorũ testimoniũ perhibente: *Christus*, ait, *passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: Qui, cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur.* In eo nobis relinquens exemplum & passionis & patientiæ; Ut, si illum imitari velimus, oporteat nos & pati, & patienter pati: Quia passio sine patientiâ, nec Christiana, nec Christo grata, nec nobis utilis & proficua. *Patiens in pugnâ,* S. Bonav. in Diæt salutis Tit. 7. c. 5. ait S. Bonaventura, *habet nobilissimum Scutum*; *&* nota, quod *scutum patientiæ debet esse triangulum. In inferiori enim angulo debet esse timor supplicii; in dextro, amor proximi; in sinistro, passio Christi*, juxta illud: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Thren. 3. v. 65. Et juxta illud: *Christo* igitur *in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini. Et hoc scutum sistinet omnia tela, & specialiter tria: scilicet, damnum rerum, molestias corporum, & contumelias verborũ. Cum hoc scuto homo se conformat voluntanti Domini, correctiones ejus sustinendo; Vincit Diabolum, ejus tentationes evadendo; sanctificat semet ipsum, carnis afflictiones, & passiones corporis tolerando; Conformatur Christo patienti, cũ illo in passionibus communicando.* De strenuitate hujusmodi patientis dicit Apostolus: *Per patientiam curramus* Hebr. 12. v. 2. *ad propositum nobis certamen, aspicientes in Autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Et nos igitur eodem animati spiritu, & cogitatione armati, illi & compatiamur, & cum illo libenter patiamur, ut & cũ illo gloriemur.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: quantum referat, intersitq; Christianis, & maximè & super omnia Ecclesiasticis, meditari sæpe passionem & mortem Salvatoris nostri Christi Iesu. Primò, nihil est magis utile, est nihil potentius, ad avertendum nos ab omni malo, ad defendendum nos contra omnes salutis nostræ inimicos, & ad nos excitandum ad omne virtutum & bonorum operũ genus; quàm attenta hujus Mysterii meditatio. *Hæc meditari*, inquit Sanct. S. Bern. serm. 45. in Cant. Bern. *dixi sapientiam: In his justitiæ perfe-*

perfectionem mihi constitui: Hæc mea sublimior philosophia, scire Iesũ, & hunc Crucifixum. Secundò quia, ut ait S. August. in Psalm. 8. Christiani, cùm filii sint calvariæ, geniti à Domino Iesu Christo in cruce, quasi tot Benoni, hoc est, filii doloris, nulla est, aut esse debet cogitatio, quæ illis familiarior esse debeat, vel gratior, si filii sint, est esse velint, legitimi, quàm cogitatio hujus doloreferæ generationis & passionis Salvatoris nostri Dei.
1. Cor. 11. v. 23. *Quotiescunq; manducabitis; & annunciabitis mortem Domini, donec veniat, &c. Prædicamus Christum Crucifixum.*
1. Cor. 2. 3. *Non enim judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* Ecclesiastici autem, præ cæteris, huic se sancto exercitio, meditandi passionem Domini, applicare maximè debent, ad hoc speciali, præ cæteris omnibus, ratione obligati: Quotidie enim in Altari ejus renovant memoriam, sacrificium siquidem & Sacramenta omnem suam vim, virtutem, & efficaciam habent, ex meritis crucis, passionis, & mortis Christi, tantùm; quia illa applicant, quoad efficaciam, corpori Christi, quod est Ecclesia, merita passionis & mortis Christi, quam illi aliis prædicare debent; quæ liber esse debet, in quo Apostoli imitatores facti incessanter legere, meditari, & studere debent; Et nullam habere, vel profiteri scientiam, quàm Jesum Christum, & hunc crucifixum. Cùm ergò Ecclesia hodiè, & subsequenti Hebdomadâ, hanc sanctam & dolorosam passionem & mortem Domini Salvatoris nostri Jesu Christi proponat recolendam: Illius meditationi solito accuratiùs, ferventiùs & devotiùs insistendum est, omnibus quidem hominib9, maximè autẽ Ecclesiasticis.

PUNCTUM II.

Considera secundò paululùm; Quid sit passus? & quomodo sit passus? *passus est in suis bonis*; omnibus spoliatus est vestibus, totus, ut scis, nudatus, & nudus ad columnam alligatus, & ad crucem actus. *Passus est in suo honore*; injuriis affectus, lacessitus calumniis, cachinnis & irrisionibus vexatus, indignè tractatus, crudeliter cruciatus, & omni indignitati possibili ac vilipensioni expositus. *Passus est in suo corpore*, nullam in eo habens partem à cruciatibus & tormentis vehementibus liberum. *Passus est in suâ Anima*, quæ undis tristitiæ, tædii, & mœroris ita immersa erat, ut præ nimia anxietate, pressurâ, & tam immanum cruciatuum apprehensione sudorem sanguineum emiserit. Hæc sacris clarè exprimũtur eloquiis: *Expuentes in eum*, inquit Evangelista, *acceperunt arundinem, & percutiebant* Matth. 27. v. 30.
caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & duxerunt eum, ut crucifigerent. Et ipse suæ tristitiæ dat Testimonium. *Tristis est anima* Matth. 26. v. 38.
mea usque ad mortem. Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram. Luc. 22. v. 44.
Vidimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientẽ infirmitatum; Et quasi absconditus vultus ejus sanè quacunq; Esaiæ 53. v. 5.

H 3 parte

parte conſiderabitur, animadvertetur, verificari ſcripturam, quæ eum jure meritò vocat virum dolorum, & ſcientem infirmitatum. Quòd, omnes receperit licet pœnas, dolores, & Cruciatus, ſummâ patientiâ, ſumma charitate amplexatus, & animo forti, perfecto, & invincibili, omnia tulerit; recipiens pro bono malū à malignitate omnium Judæorum, illum odientium imò omnium hominum, illum perſequentium, quibus traditus erat, ut in
Luc. 23. v. 23. illo exercerent, quicquid placeret: *Jeſum tradidit Pilatus voluntati eorum.*

PVNCTVM III.

AT nos in malis nobis occurrentibus, in noſtris doloribus, in noſtris pœnis, & Cruciatibus, qui ſunt velut parvæ acicularum punctura, comparatione ad illos, quos Chriſtus pro nobis ſuſtinuit, quomodo illos ſuffetimus? quâ patientiâ? quo moderamine? & quâ reſignatione? Eheu; o quàm elongamur ab illa Salvatoris noſtri patientiâ: Cor noſtrum tremit & deficit ad ſolam imaginationem mali exilis & minimi; ad dolorem minimum evaneſcimus, afflictiones non recipimus, niſi cum inquietudinibus, turbationibus, & impatientiâ, quæ exteriùs ſeſe prodit in vultu, in verbis, & effectibus; Annon eſt intolerabilis præſumptio, velle Paradiſum poſſidere, ſine ulla in mundo tolerantiâ? Velle ſine labore mercedem? ſine certamine coronam? Audebimus de cœtero, in parvis, quæ nobis accidunt, pœnis conqueri? & doloribus? Et non magis eos inquiremus? Cùm, Chriſtus, ſalvator noſter, illas in ſuis purificaverit, ſanctificaverit, nobilitaverit, ditaverit, & precioſas reddiderit, ut nobis materia lætitiæ, gaudii, deſiderii, amoris, & exultationis eſſe debeant? Adhoc hortatur Apoſtolus: *Deponentes*, ait, *omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Jeſum.* Sed *gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur.* Aliter porrò Dei Filio non cōformamur, nec coadoptamur in fraternitatis communionē, ſi nō communicemus ejus paſſionibus: *Quos enim prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui; hoc & vocavit, hos & ſanctificavit*, hos & paſſionibus probavit, ut illi hîc conformati in paſſionibus, ibi in glorificationibus conformarentur. Hoc hâc die firmum fac propoſitum, reſolutionem ſuſcipe irrevocabilem, pactum cum Deo tuo, & Salvatore Jeſu Chriſto ineas perpetuum, te in omni, quod acciderit, exemplo ejus, non ſolum non velle murmurare, nec contra Deum, nec contra homines. Verùm voluntariè pati, & in tuis pœnis gaudere, gloriari & exultare; Illasq; ſemper reſpicere, velut certas & neceſſarias prædeſtinationis divinæ notas: *Si enim extra Diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: Ergò adulteri, non filii eſtis.*

Herb. 12. v. 1.
Rom. 3.
Rom. 8. v. 29.
Hebr. 12. 8.

SER-

SERMO XX.
PRO FERIA SECVNDA HEBDOMADIS SANCTÆ.

De modo illam Sanctè transigendi.

I. Rationes obligantes omnes Christianos, & maximè Ecclesiasticos ad Sanctè transigendam hanc hebdomadam Sanctam.
II. Praxes illam bene impendendi.

Commendat Deus Charitatem suam in nobis: Quoniam, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii sui, Rom. 5. v. 8.

Commendat Deus, ait Apostolus, *Charitatem suam in nobis: Quoniam, cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii sui.* Magna verè charitatis Dei in nobis commendatio. Siquidem Deus præter omnium morem commendat & exhibet suam in nobis Charitatem, omnibus retrò seculis inauditam, dum Christum, Filium suum dilectum pro nobis mori voluit; Cùm nec benefici, nec justi, nec amici, sed peccatores, inimici, & hostes essemus. Si, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: Multò magis reconciliati salvi erimus in vitâ ipsius.

Hic Apostolus procedit à majori ad minus. Qui enim majus facit, motivo charitatis: Multo magis minus faciet. *Primum* siquidem *signum extrinsecũ Charitatis perfectæ est*, *dum quis pro* S. Bonav. de 7. itin. æternitatis. *salute proximi mori paratus est*: Quia, sunt dicit *August. parva Charitas non sufficit ad implenda magna mandata*, ut sunt, mori pro Christo, pro fratribus, &c. quod fecerunt diversi, ut, Codrus, Decii, Samson, Leonidas, & alii; qui pro patriâ morti se exposuerunt. Et Origenes etiam exponit illud Canticorum: Ascendam ad palmã; *dicens: Voluntas patiendi probavit: quia veraciter amavit. Tantò erat amor altior; quantò patiendi pro Ecclesia voluntas erat paratior.* Et Dominus dicit: *Majorem hac dilectionem nemo habet.* Ioan. 15. Libr. de Grat. & lib. arbitr.

Alterum signum extrinsecum perfectæ Charitatis est inimicos diligere; illis propter Deum benefacere. Amor porrò transformat amantem in similitudinem amati, in quantum potest, ut dicit Hugo de Arrhâ. Anima *non solùm quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad operationes arduas & difficiles. In exhi-*

exhibitione pietatis probatur magnitudo amoris. Ideò *illud est verum signum amoris perfecti: Diligere inimicos propter Deum. Tertium perfectæ charitatis signum extrinsecum est: Omnia adversantia gaudenter suscipere & patienter sustinere.* Charitas enim mētē perfecta ab amore vitæ hujꝰ avertit. *Fortis est, ut mors, dilectio.* Quia docente S. Gregorio, *sicut mors corpus interimit, sic charitas vitæ æternæ ab amore temporalium mentem avertit, & occidit. Charitas enim omnia sustinet, &c. Signum quartum perfectæ charitatis est, omnibus, ut soli De placeat, renunciare.* Unde Apostolus omnia arbitratus est, ut stercora, ut Dilectum lucrifaceret: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Deo.* Unde S. Ioan. *Qui servat verbum Dei, verè in eo charitas Dei perfecta est. Quintum* tandem *signum perfectæ charitatis nihil est aliud, quàm si solum Deum timeamus timore filiali, perfecta* porrò *charitas forás mittit timorem*: quod exponens Gilbertus Porretanus, Serm. 18. *Charitas,* inquit, *proximi caret livore, sed charitas Dei & Christi caret timore.* Ergò in charitate Dei & Christi non est timor, nisi filialis. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

S. Greg. homil. 11. in Evang.

1. Cor. 13.

Coloss. 3. v. 3.

1. Ioan. 2. v. 5.

1. Petr. 4. v. 9.

Ob hoc ergò Deus charitatem suam commendat in nobis, cùm essemus adhuc inimici, reconciliati sumus DEO per mortem Filii sui; quod nobis summum fuit beneficium, quod dari potuit, ideo maximè recolendum, & hac potissimè septimanâ, ob rationes infrà dandas, & serio ponderandas.

PVNCTVM I.

COnsidera primo rationes nos obligantes ad hanc Hebdomadam sanctiùs est religiosiùs transigendam quàm totum Quadragesimæ tempus reliquum. Prima ratio est, quod hac Hebdomadâ consummatum sit omnium hominum redemptionis opus, omnium iniquitatum perfectissimè deletivum. In quo verificatum est dictum Prophetæ: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Haud dubiè illam ut omnino deleret. Altera ratio est ex eo, quod precium & meritum Filii Dei applicatur abundantiùs diebus illis, quibus sancta Ecclesia specialiorem ejus passionis & mortis memoriam recolit, & recolendam inducit; revocans ante omnium fidelium oculos totum, quod ille diebus istis pro nobis passus est. Illis vivam imprimens imaginem pœnarum ejus, passionis & mortis ignominiosissimæ. Eâ de causa SS. Patres diversa huic Hebdomadæ imposuerunt nomina. A quibusdam porro dicitur *Hebdomada major*; Ab aliis *Hebdomada pœnosa*; A cæteris communiter appellatur *Hebdomada Sancta.* A S. Chrysostomo vocatur *Hebdomada magna*; Ratione Magnorum Mysteriorum, quæ in illâ nobis repræsentantur & exhibentur.

Esaia 53. v. 6.

Magna porro misericordia Dei erga miseros peccatores demonstratur & exhibetur; Iustitia magna in peccati punitione & castigatione exercetur; Adorandum est incomparabile sacrificium crucis recolitur, & quod à modo

modo in cordibus & animis fidelium renovatur, speciales gratiæ & divini favoris inducens & producens effectus; Extraordinaria prodigia, & miracula, quæ in morte Filii Dei & Salvatoris nostri Christi Iesu acciderunt, rememorantur; Deus inde ut magis laudetur; Fructus admirabiles, quos nobis hæc producit, & causat, percipiuntur, quod verbis Prophetæ Inspirator Prophetarum jam dudum
Esaia, 54. v. 8. antè expressit: *In misericordiâ sempiternâ misertus sum tui*; quod & Apostolus non tacuit: *Iustificati*, inquit, *gratis, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu*; *Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est in vobis Crucifixus*; Utpote in vobis maximè Ecclesiasticis, crucifixus, qui crucifixi & meritum participatis in vobis; Gratiam ejus conservantes & augmentantes; & aliis communicatis, Ministerio vobis proprio: *Dedit vobis Ministerium reconciliationis.* Hunc nobis fructum Salvator ipse noster in Evangelio clarè insinuavit. *Ego, ait, pro eis sanctifico meipsum.* Ex quibus deducitur ratio particularis, Ecclesiasticorum & presbyterorum, maximè excitativa & inductiva, ad bene & fructuosè hanc transigendam Hebdomadam; Utpote munus & Ministerium reconciliationis, quo illi homines reconciliant Deo, qui eos obligat, totaliter sacrificare se servitio Proximi, ut Dominus & Redemtor Christus Jesus seipsum sacrificavit pro illorum & omnium salute; Et ob hoc considera praxes subjunctas.

Rom. 3. v. 24. Galat. 3. v. 1. 2. Cor. 5. v. 18. Ioan. 17. v. 19.

PUNCTUM II.

Considera secundò: Quòd praxes, bene, fructuosè, & sanctè transigendæ hujus Hebdomadæ, sint; Primò, sui magis continendi, moderandi & restringendi gratiâ, tempus certum quovis die sibi determinare, quo orationi extraordinariæ vacet, Lectioni, & meditationi præcipuorum sacratissimæ passionis Mysteriorum sese applicet, sibi illa per decursum totius anni recolenda accuratiùs, ac devotiùs ruminanda proponens. *Quis* porrò *tam irreligiosus, qui non compungatur his diebus? Quis tam insolens, ut non humilietur? Quis tam iracundus, ut non indulgeat? Quis tam deliciosus, ut non abstineat? Quis tam flagitiosus, ut non contineat? Quis tam malitiosus, ut non pœniteat? Universi Christiani sacrâ hâc septimanâ, aut præ solito, aut præter solitum, pietatem colunt, modestiamq; exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodammodo compati videantur.* Secundò retrahere se quis debet ab occupationibus, & societatibus, quæ nec utiles, nec necessariæ sunt; jejunare rigorosiùs, loqui parciùs, & aliis mortificationibus adhibitis, se excitare ferventiùs, ad imitandum Christum patientem, in omnibus se sui directoris judicio & determinationi accommodare. At Eccleasistici, quia totâ se septimanâ impĕdere Ecclesiæ ejusq; divinis officiis, ad hoc exactissimè to-

S. Bern. Serm. de Hebdom. pœnit.

tum divinum debent providere officium omnium dierum, ut in choro cantantes sint ædificationi Populo, qui magno assistit, & interest numero. Et, si sint Confessarii, suum removent zelum, magis assiduè illi tribunali deserviendi, se felices æstimantes, quod dispensatores sint Thesaurorum, gratiarum, & meritorum Salvatoris Dei nostri, quæ suâ sacratissimâ Passione acquisivit, & applicatores fructûs sacratissimi & preciossimi Sanguinis, quem copiosissimè illis diebus dedit & effudit. Possemusne bono modo refugere laborem hac sanctâ Hebdomadâ, qui fuit ita gravis; ita durus, & ita difficilis ac dolorosus Filio Dei? Et velle requiescere tempore messis, talis qualis est hæc, cujus collectio tanta est, & operarii tam pauci? Verè *messis multa; & operarii pauci.* Solumne relinques hoc tempore laborare Salvatorem? patierisne, tibi ut objiciat cum dignâ increpatione, quod in scripturis quibusdam fecisse legitur; *qui juxta me erant, de longè steterunt. Torcular calcavi solus. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; Et qui consolaretur, & non inveni.*

Matth. 9. *v.*37. *Psalm.* 37. *v.* 13. *Esaia.* 63. *v.* 3. *Psal.* 68. *v.*21.

SERMO XXI.

PRO DIE JOVIS SANCTO, SEU ABSOLUTO.

De institutione sacratissimæ Eucharistiæ.

I. Circumstantiæ hujus institutionis, & amor, quem in eâ Salvator noster clarescere fecit.
II. Hâc die ordinat Sacerdotes, & alios Ministros Ecclesiasticos.
III. Quid illi, in recognitionem illius, debeamus.

Sciens Iesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, Joann. 13.

CUm Christus dilexisset suos, in finem dilexit illos, illis relinquens medium, quo, si bene, ut sanctè, si, ut par est, &, ut ipse voluit uterentur, verè finem suum attingerent, ad quem creati & nati sunt, & ob quem Christus venit in mundum; ut ipse testatur: *Veni, ut vitam habeant, & ampliùs habeant.* Et agnovit discipulorum Princeps: *Domine, ad quem*

Ioh. 10. *v.* 10. *Ioan.* 6. *v.*68.

quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Quia, ut bene S. Bonav. *Rationalis Creatura ad hoc facta est, ut sit capax & particeps bonitatis Dei, ex quâ participatione vivere, & ad beatum esse pervenire debet; sine qua ex se ad nihilum tendit, & ad mortem sempiternam, nisi per cibum vivificantem, jugiter vegetetur ex participatione divinæ virtutis & gloriæ. Quam participationem ideò comestionem voco: Quia, sicut corpus animale per cibum vivificatur, calefit, & impinguatur, Sic anima Rationalis per Spiritum Christi, quo frui debet pleno affectu & intellectu, nutritur, & inflammatur. Et, sicut Angeli in patria pleno haustu bibunt de* Spiritu *perenni, & vivo fonte luminis, ac satiantur de ubertate domûs ejus: Sic sapientia antè prævidit, ut rationales animas hominum, quas tam carè redemit: & per gratiam magnificavit, ac effecit similes Angelis Dei, cibaret illo pane, quo Angeli nutriuntur, sine quo nec illi, nec isti vivere possent. Et hoc per aliquem modum convenientem nobis parvulis: Quia impossibile est nobis comedere cum isto mortali corpore, illum panem vitæ, in soliditate propriæ formæ, scilicet divinitatis. Ideò, ut nobis comestibilem cibum præbuit, sub forma convenienti, scilicet Panis & Vini corporalis, dandum propter convenientẽ similitudinem Panis ad Panem, & refectionis ad refectionem; ut, sicut Angelos, viventes spiritus verbo increato sic mortales homines cibaret verbo incarnato in sacramento suscepto. Unde dictum est: Panem Angelorum manducavit homo, &c. Ego sum Panis vivus, qui de Cœlo descendi.* Et summæ fuit dilectionis, curam gerere *de nutrimento nobilissimi sui corporis mystici, quod est Ecclesia; Cujus Christus Filius Dei est caput, nec aliunde debet vegetari & vivere, quàm à capite suo, ut omnia membra scilicet viri justi unita, & sibi cohærentia, in Christo capite, ipsius spiritu & amore nutriantur, per hoc sacramentum unitatis & Pacis.* Hoc enim Sacramentum *suscipiens incorporatur Christo, & transit in amorem & unitatem spiritûs Christi.* Ideò bene S. August. in personâ Christi: *Non ego mutabor in te: sed tu mutaberis in me.* Ac ita Christus in hoc Sacramento verè dilexit suos usque in finem, hoc est, charitate perpetuâ in vitam æternam.

De præparatione ad missam.

PVNCTVM I.

REpræsentes tibi Salvatorem nostrum, Dominum Jesum Christũ, in illâ magnâ aulâ, in medio discipulorum suorum, consummato legali convivio, & ceremoniâ agni Paschalis, qui volens hominibus ultimum sui in eos amoris pignus relinquere, hoc augustissimum, & summè adorandum instituit sacramentum Altaris, hoc est dicere, quod se totaliter, & quoad divinitatem suam, & quoad humanitatem, sacramento admirabili, & adinventione omninò novâ, & prorsus inauditâ, pauperibus & miserabilibus creaturis dedit, sub speciebus panis & vini. Illis ut esset sacramentum simul, & sacrificium. Illis ut esset Sacramentum; Dum venirent ad illum recipiendum, ut animæ cibum, ad suum spiritualem profectum, & gra-

tiæ ſanctificantis augmentum ſacrificium; Dum æterno patri offertur in altari pro vivis, & defunctis, ad reconciliationem peccatorum, & aliarum gratiarum impetrationem. *Salvator noſter*, inquit Trident; *Diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris, velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum.* Omnes hujus actionis ſacræ circumſtantias bene pondera & recogita: hoc eſt in vigilia ſuæ mortis ſacræ, tempore illo ipſo, quo Iudæi unanimi conſenſu in illum conjuraverant, ut illum morti traderent, in præſentiâ illius, qui illum traditurus erat; lotis manibus propriis & ſuorum diſcipulorum pedibus, prævidens omnes profanationes, quæ hujus divini ſacramenti futura erant. *Pridie quàm pateretur*; ſeu; *in quâ tradebatur nocte*; *Cùm Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas.* O Deus! quis bonitatis exceſſus, nullâ habitâ harum omnium conſiderationum ratione, ſe ut nobis daret, propter quos, & quos per ſe vivificari volebat. Annon hoc eſt diligere usque in finem, & usque ad ultimas extremitates exceſſivi amoris? Verè, ut S. loquitur Joannes, *in finem dilexit eos.* Verùm, quia Eccleſiaſtici partem hoc in ſacro convivio meliorē habent, & elegerunt, ut, quid illis ſit particulariùs in hoc die conſiderandum, ſciant.

Conc. Trid. Seſſ. 12. c. 6.

1. Cor. 11. v. 23. Ioan. 13. v. 2.

PVNCTVM II.

COnſidera ſecundò, ſummū hunc novæ legis Pontificem, qui, non, habens hoſtiam precioſiorem, quam Patri ſuo æterno offerat, quàm ſuum corpus ſacrum, & ſanguinem precioſum, ac ſeipſum, vitam ſuam, cum omnibus ſuis animæ & corporis potentiis; Et non potens inter nos manere, ut illa per ſeipſum offerat; Subſtituit Sacerdotes in locum ſuum, ad ejus repræſentandam perſonam, ad offerendum nomine ejus ſacrificium, & ad illud continuandum hoc medio usque ad finem & conſummationem ſeculi. Primo ſuis hanc poteſtatem dans Apoſtolis, in perſonis propriis, & omnibus, qui in eodem munere illis ſuccedent legitimè; Hiſce verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde Trident. *Vna eademque eſt hoſtia*, ait, *idemque nunc offerens Sacerdotum Miniſterio, qui ſeipſum in cruce obtulit. Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita*; *Quæ tunc in illâ Cœnâ præſtitit, ipſe nunc quoque operatur, nunc perficit*; *Nos Miniſtrorum locum tenemus*; *Qui verò ſanctificat, & immutat, ipſe eſt.* O qualis dignitas! Qualis magnitudo! Qualis excellentia! Qualis exaltatio! Videre ſe ex vili & abjectâ creaturâ ſubſtitui in locum filii Dei in hoc Mundo; loqui in nomine ejus; in Perſonâ ejus offerre; venireque cum illo in participationem Sacerdotii ejus!

Luc. 22. v. 19. Trid. Seſſ. 22. cap. 1. Chryſ. homil. 83. in Matth. vide Trid. Seſſ. 22. c. 1.

Divinam in te admirare bonitatem; Illi referas gratias, quas potes, maximas, quod te functioni tam nobili præfigendum ab æterno præordinaverit. Et ut tanti boni perfecta habeatur notitia, ſequentia pondera cum admiratione, & dic: *Domine, quid eſt homo? quia magnificas eum.*

Iob. 7. v. 17.

PUN-

PVNCTVM III.

COnſidera tertiò quid facere queas, huic ut correſpondeas ratione aliquali tantæ in te ejus bonitatis exceſſui, Ac primò hanc diem ſingulari peragere te oportet devotione; In quâ Eccleſia univerſalis in generali, & tu in ſingulari, tot eximias recepiſti gratias, & favores expertus es ita ſpeciales, horumque ſingulis totius anni diebus Jovis memoriam ſingulari renovare devotione. Hâc porrò die propriè incepta, formata, & ſtabilita eſt Eccleſiaſtica Hierarchia; omnesque Miniſtri Eccleſiaſtici ordinati, in re, vel in intentione, quâ voluit Chriſtus Salvator noſter perpetuari, & ſuum inſtitutum ſacrificium, & Sacramentum, & ejusdem Miniſtros. Porrò Chriſtus coram ſe non duntaxat ſuos Apoſtolos reipsâ præſentes, verùm etiam omnes perſonas, quæ illis ſuccedere deberent, & omnia ſacrificia, quæ offerri debebant usque ad finem Mundi, in intentione præſentiſſima habuit. Hâc die ſunt initiati Sacerdotes, pariterque omnes Diaconi, ſub-Diaconi, & omnes alii inferiores Miniſtri, velut Sacerdotii appendices & ſub-Miniſtri, vel in re, vel in intentione. Hodie tandem, in inſtitutione hujus Sacramenti ſanctiſſimi ſimul & ſacrificii, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Eccleſiæ Sponſus primus, nobis in exemplum, omnes Hierarchicas exercuit functiones. Epiſcopi functionẽ exercuit, ordinans Sacerdotes, his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, *Luc.* 22. *v.* 19. Functionem Sacerdotis, conſecrans panem & vinum; formâ hâc: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, Matth. 26. v. 27. Diaconi functione functus eſt, ſacrum calicem inter Apoſtolos diſtribuens; *Accipiens enim Calicem, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes*, Matth. 26. Sub-Diaconi Miniſterio lavit pedes Apoſtolorum ſuorum: Nam *miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum*; Joan. 13. v. 5. Et præparavit ipſemet materiam Sacrificii ſui.

Secundum eſt, ut nunquam Altari proximemus, ſive ut celebremus, ſive ut ſacrificio aſſiſtamus, quin conemur animare nos Spiritu charitatis, humilitatis, innocentiæ, & puritatis; Quæ ita nobis, illâ pedum lotione, accuratè denotantur & exprimuntur. At ſuper omnia illuc venire ad ſacrificandum Spiritu, quem ille tunc temporis habebat, & illis teſtabatur verbis: *Quod pro vobis tradetur*; quæ continuò & immediatè ad hæc adjungit, & ſubnectit: *Hoc eſt corpus meum*; ut oſtenderet: quod illi, qui pronunciaturi hęc ſacra verba erant, nomine & in perſonâ ejus, parati eſſe deberent, & ſuam dare vitam, & profundere ſanguinem, pro gloriâ Dei, & pro culpâ populi; non aliter ac Dominus & Salvator noſter, ſtatim poſt exhibitum hoc Myſterioſum convivium, ſuum dedit, & profudit ſanguinẽ. Itane,

dum ſacrum accedis Altare, agis? Suntne hæc tua ſenſa, diſpoſitiones tuæ, affectiones, & deſideria, quæ tecum adfers? Taline ſpiritu animatus accedis, tali dilectione, reſignatione tali? Hæc à Chriſto, ſemper aſſiſtente, & principaliter offerente, require & efflagita. In has hodie ſanctiſſimas praxes ingrediaris. Omnia ita exequaris, ut primo & ſummo Pontifici, à quo hunc obtines locum, hanc accipis poteſtatem, conformis in omnibus eſſe paſſis. *Sic* enim *decebat ut nobis eſſet Pontifex. Sanctus, innocens impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cœlis factus, &c.*

SERMO XXII.
PRO DIE VENERIS SANCTO.

De fructu quem ex Paſsione & morte Domini & Salvatoris Dei noſtri haurire & elicere debemus.

I. Miſerabiles Domini noſtri in cruce ſtatus.
II. Cur has omnes patitur pœnas?
III. Fructus à nobis ex hoc dolorifero myſterio hauriendi.

Chriſtus factus eſt pro nobis obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis, Philipp. 2. v. 8.

SUmmariè, & quaſi tranſeunter, rememoratis omnibus & ſingulis, quæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in ſuâ toleravit & paſſus eſt amariſſima paſſione; ſiſte pedem, accuratiùs & moroſiùs recogitaturus, tormentum ejus crudelius, ignominioſius, & magis doloroſum, imò ſupplicium omnium ejus ſuppliciorum doloroſſimum, hoc eſt, ſupplicium crucis; in cruce paſſum & indicibilibus doloribus cruciatum, perpende intimiùs, quid Chriſtus pro te & pro omnibus fecit, &, quod te pro teipſo, & omnes pro ſeipſis facere oporteat, docuit. *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Nobis verè dans regulam & exemplum. Obedientia* enim, S. Bonav. teſte, *eſt ſchola Salvatoris*; Unde nota, quòd *Salvator exemplo ſuo docuit obedientiam tripliciter*, ſcilicet, *ad mundum veniens, in mundo manens, & de mundo tranſiens. Ad mundum veniens, obedientiam* S. Bonav. in Dict. Salut. tit. 3. c. 2.

Ioan. 6. *tiam docuit*, ut dicitur in Joanne; *Descendi de Cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.* Philipp. 2. v. 8. *Obedientiam docuit in mundo manens*; ut dicit Paulus: *Factus obediens usque ad mortem. Obedientiam docuit de mundo transiens*: Nam in Passione dixit Patri: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Eaque de causâ nos Christus docuit perfectam obedientiam: Quia, *est*, ait S. Bonav; *Obedientia quoddam nobile genus Martyrii, & palma triumphalis, quia decollat hominem, & ambulat ei propriæ voluntatis caput.* De hoc Martyrio dicitur primo Regum: *Melior est obedientia, quàm victimæ. Est* etiam *obedientia scala paradisi*, cujus septem gradus assignat S. Bern. Serm. de Virt. Obedient. S. Bern. *Primus gradus obedientiæ* est, *obedire libenter sine recalcitratione*, exemplo Apostoli; qui dicit in Actis: Act. 9. Domine, *quid me vis facere?* Secundus grad9 est, obedire simpliciter; Ita obedivit David, ut dixit in Psal. Psalm. 72. v. 23. *Vt jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.* Tertius gradus est, obedire hilariter, sine murmuratione, non sicut Simon Cyrenæus, qui portavit in angaria crucem, id est, cum dolore. Matth. 27 Quartus gradus est, obedire velociter, velut Petrus & Andreas, qui, ad unam vocem domini, Matth. 4. v. 20. *relictis retibus secuti sunt eum.* Quintus est, obedire viriliter; ut Petrus, qui dixit: *Domine, paratus sum tecum & in carcerem, &* Luc. 22. *in mortem ire.* Sextus est, obedire humiliter, ut docuit Christus, suis dicens discipulis: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Quia servi inutiles sumus.* Septimus gradus est, obedire perseveranter, sine discontinuatione, exemplo Christi; qui *factus est obediens usque ad mortē*, Philipp. 2. ita ut Christus, quibuscunq; intercurrentibus, obedientiam perfectissimè servaverit, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus, ubi ejus obedientiæ perfectionem fideli prosecuti, & assecuti fuerimus indagine, ex subjectis punctis maturè consideratis.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: ad quē sit redactus & reductus statū hic homo; Deus & homo; Hic Cœli & terræ Dominus; Hic Rex gloriæ; Rex hic Regū, & Dominus dominantium? Hic, cui omnia subjiciuntur, & obediunt? à quo omnia procedunt, ut sint, & dependent, ut conserventur? affixus infami ligno & maledicto crucis, inter duos latrones, velut nequissimus & sceleratissimus omnium hominum? *Crucifixerunt eum, & cum eo, alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum.* Ioan. 19. 18. Hic videas ipsum immersum Pelago vastissimo omnium dolorum, infamiarum, corporis & spiritûs pœnarum acerbissimarum, & omnium malorum. Videas illum persecutionem pati à Cœlo, à terrâ, imò & ab ipso inferno, ac ab omnibus, quæ in eis sunt; ut meritò conquerens apud Patrem, dicat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. v. 46. Facies hæc, decora nimis & pulchra, omninò deformata, amisit gratiam omnem & pulchritudinem. Corpus illud, omni com-

compactum perfectione, omnibus numeris absolutum, ita est deturpatum, ut planè recognosci nequeat, habitum velut corpus leprosi, omni formâ & figurâ destituti. *Non est species ei, neque decor: Vidimus eum, & non erat aspectus; Et nos putavimus eum, quasi leprosum.*

PVNCTVM II.

COnsidero secundò: Cur has omnes suffert, & patitur pœnas? Quæ causa est ejus mortis? Quæ origo tot tormentorum? Quæ tot malorum scaturigo? Visne id scire? Amor ejus ardentissimus, zelus ejus & sitis insatiabilis, quam salutis hominum habebat intensissimam ipse & Pater ejus, qui illo medio omnes venire volebat ad fidem, ad agnitionem veritatis, & ad salutem: Propter hoc *pro nobis omnibus tradidit illum.* Id Apostolus, respectu sui, agnoscit: *Tradidit*, ait, *semetipsum pro me.* Propheta antè & præviderat, & prædixerat: *Vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Propter scelus populi mei percussi eum. Ipse* porrò *est Pax nostra.* Passus ergò est, ut salvaremur; ut sanctificaremur; ab inferno ut revocaremur, quem peccatis nostris meriti fueramus. Passus est, ut gratiam & gloriam nobis mereretur, & daret, quod fatetur Psalmista: *Gratiam* ait, *& gloriam dabit Dominus.* Castigationem, pœnam, & punitionem, quam subire nos debuissemus, Pacem ut cum Deo

Rom. 8. *Galat.* 2. *v.* 20. *Esaiæ*, 53. *v.* 5. *Ephes.* 2. *v.* 14. *Psalm.* 83. *v.* 12.

quâquâ ratione inire possemus, reconciliationem ut inveniremus & gratiam apud eum; omnes in ipsum derivatam claré innotescit, ac onus, à nullo portari possibile, dorso ejus impositum, meritò apud Regum Prophetam conqueritur: *Supra dorsum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem suam.* Et nos, livore ejus, à nostris gravissimis vulneribus *sanati sumus. Verè peccata nostra portavit in corpore suo super lignum?* quæ forma hæc judicii? quæ directio extraordinaria & inaudita? Exclamat S. Aug. *Peccat iniquus & punitur Iustus: Delinquit reus, & vapulat innocens; quod committit homo, sustinet Deus!* Teipsum confundas, &c. si potes, annihiles, ac in nihilum redigas, quod unum Deum videas tantæ Majestatis; Deum, præter quem non est alius Deus, pati tam horribile, ac crudele supplicium, amore planè prodigioso, ac indicibili, pro nobis miserrimis creaturis, terræ vermiculis, ac rebellibus mancipiis, infernalibus aliâs & æternis puniendis ignibus, & pœnis. Verū, quia omnes animi & cordis motiones & cōmotiones sunt puræ deceptiones, nō ex firmis & efficacibus provenientes Resolutionibus, fructus, quos ex hisce nos oportet elicere Misteriis, considerandi senò veniunt.

Psalm. 128. *v.* 3.

PVNCTVM III.

COnsidera tertiò fructus, quos ex hoc doloroso Mysterio nos elicere oportet. Primus est, propositum firmum & efficax, vitæ absolutè in melius

liùs

liùs mutandæ, renunciandi peccatis absolutè, hujus castigationis severæ adeò, & crudelis à Deo factæ apprehensione & intuitu. *Si enim in viridi ligno hæc fiunt: In arido quid fiet?* ait ipsemet Dominus noster; ac si diceret vellet: Si divina justitia tali tormentorum & dolorum excessu punit peccata aliena, imposita humeris Filii Dei innocentissimi: Quomodo puniet illa humeris criminosi, voluntariè & malitiosè assumpta ab eodem, & perpetrata, non ab aliis imposita? *Hunc proposuit Deus*, inquit Apostolus, *propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ. Hoc scientes: Quia vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Alter fructus, ex passione & morte Christi eliciendus, est, magnus zelus pro animarum salute, cùm tanti steterint Filio Dei, ut vitam pro illis dederit, illas considerando, ut bonum illius, omnes æqualiter in illo æstimando, divinam illarum in Deo & in Christo Ideam efformando, non illas in seipsis duntaxat considerando. Tertius est, nullam negligere occasionē, salutem nostram operandi, & aliorum sedulò procurandi, labori non parcere, sudori, aut tempori, pro tanti momenti negotio. *Christus* enim in eo suis satisfecit partibus: *Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo.* Nostrum est, ne nostris desimus partibus, nihil omittentes ex iis, quæ nos adhuc exequi oportet, aliâs nobis nihil Christi passio aut mors proderit. Hoc apprehendens Apostolus: *Optabam ego ipse*, ait, *Anathema esse à Christo, pro fratribus meis.* Illo eodem zelo salutis alienæ: *Quis mihi*, ajebat, David; *tribuat, ut ego moriar pro te Absolon, fili mi?* Hanc ergò Apostoli Petri sume resolutionem: *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens Exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et pro, in Ecclesiâ hodiernâ die occupatione tuâ, & in omni loco, audi reprehensiones justas Salvatoris nostri in cruce pendētis, *Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? Responde mihi.*

Rom. 3. Rom. 6. v. 6. Ephes. 5. v. 2. Rom. 9. v. 3. 2. Reg. 18. v. 33. Mich. 6. v. 3.

SERMO XXIII.
PRO SANCTO SABBATHO.
De Victoriâ Salvatoris & Domini nostri reportatâ, & quam decet secum referre.

I. Dominus noster suâ morte de morte ipsa triūphat, de Diabolo, & de inferno.
II. Quomodo nos nostros oporteat superare inimicos? & quibus armis utendū?

Christus exspolians Principatus, & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso, Colofs. 2. v. 15.

C*Um fortis armatus custodit atriū suum; In pace sunt omnia, quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens, vicerit eum, universa arma ejus*

auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet. Diabolus ante Passionem Christi erat fortis armatus, custodiens atrium suum. *Atrium Diaboli est castrum corporis immundi. Tunc in pace sunt omnia, quæ possidet, habens scilicet turres superbiæ, fossatum avaritiæ, rudes invidiæ, habens pro muro defensionem culpæ propriæ, habens etiam portas conversationis indisciplinatæ, habens pacem perversam intrinsecùs delectationis immundæ;* Hunc quantumcunque fortem & munitum Christus fortior superveniens vicit gloriosè, universa arma ejus auferens, in quibus confidebat, turres superbas evertit humilitatis virtute, fossatum avaritiæ dissipavit paupertatis munimine, & rupes invidiæ Charitatis dissolvit robore; portas indisciplinatæ & perversæ conversationis confregit zelo disciplinæ, & conversationis Sanctæ irreprehensibilitate, & pacem perversam intrinsecùs immundæ delectationis, introductâ verâ pace puræ conscientiæ & innocentiæ internæ, omninò perturbavit, & totum Diaboli regnũ evertit, & Dominium sustulit. *Exspolians Principatus & Potestates*, inquit Apostolus, id est, dæmones, quantumvis potentissimos supprimens, & omni privans potestate & dominio in homines, sibi chirographo peccati & decreti, ad pœnam æternã justè, Dei justo judicio, cõdemnantis, obnoxios. Hoc decretum & obligationem tulit, seu sustulit è medio Christus, id est, cassavit omninò & abolevit suâ cruce, & morte relinquens schedam; quasi jam cassam & abolitam crúci, velut unio, affixam. Ita Theodoretus, S. August. & alij hîc, apud Tirin. in comment. in Epist. ad Coloss. c. 2. Deinde prædam, tot milliones animarum, quas in limbo, quasi in carcere, conclusas tenebant Dæmones traduxit confidenter, id est, ostentavit, Deo scilicet & Angelis, ut verè Victor & Triumphator gloriosus circumvehens secum prædam, & hostes in triumphum, inquit Theophylactus, reseratis inferni portis, ac perfractis vectibus, & repagulis, omnes Antiqui Testamenti Patriarcharum, Prophetarum, & omnium Justorum animas liberavit, captivam ducens captivitatẽ, dedit dona hominibus, utpote gratiæ & gloriæ, ut omnis inventor gratiæ & gloriæ, ut verus Rex gloriæ, in quo qui verè gloriari volunt, gloriari est necesse: *Qui*, ait Apostolus, *gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum cõmendat, ille probatus est, sed quẽ Deus commendat.* Quia, ut in nullo, nisi in Christo & à Christo, vera virtus & victoria invenitur: Ita in nullo, nisi in Christo, vera gloria & commendatio expectanda est; Ut ex dicendis innotescet. 2. Cor. 10. v. 18.

PUNCTUM I.

Considera primò, in hisce S. Pauli verbis, mortis & passionis, Filij Dei efficaciã, quâ gloriosè de suis triumphat inimicis, redditurq; hodiernâ die, de morte, de Diabolo, & de inferno, Victor glorios⁹, & magnific⁹ Triũphator illud Prophetæ ipso facto verificat: *Ego mors tua, ô mors! Morsus tuus ero, inferne!* Ex quo sequitur & evidenter concluditur dictum Apostoli: Osee, 13. v. 14.

1. Cor. 15. v. 4. stoli: *Absorpta est mors in victoriâ*; Verè mors prorsus superata nihil suæ in rem ullam potestatis retinens ulteriùs, tota absorpta ac immersa in victoriâ. Ac S. Paulus, ulteriùs procedens, non duntaxat, ait, mors destructa est, sed & ipse Diabolus, qui ejus Princeps author & inventor erat superatus est, & in triumphum ductus, omninò subjugatus.
Hebr. 2. *Per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, quod apertiùs* expressit
Ioan. 12. v. 31. ipse Christus ore suo sacro: *Nunc*, ait, *Princeps hujus mundi ejicietur foràs.* ô quæ furia! Quis furor, & confusio Principi tenebrarum: Animadvertenti, se ita spoliatum, nudatum, dejectum prorsus, & condemnatum ab eo, quem putabat ille jam à se superatum. Quod admirans S. Leo exclamat: *ô ineffabilis*, inquit, *gloria Passionis! in quâ & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas & Crucifixi.* Verùm; Quale prodigium hoc est, videre hunc divinum Salvatorem ad profundum usque terræ penetrare, & lumen gloriæ ipsis umbris mortis inferentem ac eripientem ex inferni faucibus, hoc est, à teterrimis carceribus subterraneis, animas illorum felicium captivorum, qui, tam longis temporum & annorum curriculis,
Ephes. 4. v. 9. ibi detinebantur? *Descendit primùm in*
1. Petr. 3. v. 19. *inferiores partes terræ. Spiritibus, qui in carcere erant, veniens prædicavit; Et reduxit eos de tenebris & umbrâ mor-*
Psalm. 106 v. 14. & 16. *tis, & vincula eorum disrupit: Quia contrivit portas æneas, & vectes ferreas confregit.* Tu quoque *in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos, de Lacu, in quo non est Aqua* Præfigures Zach. 9. v. 11.
tibi, imagineris, & clarè tibi ob oculos ponas indicibile harum felicium animarum gaudium, quo illas eodem momento, quo infernus totus contremuit, & dæmones omnes, cum reprobis, terrifico affecit tremore, perfudit; incomprehensibili eas replens lætitiâ & exultatione, utpote æternali donans beatudine. Harum gaudii te participationi inserere allabores; Huicque tuo Salvatori divino, & verè misericordi dignas persolvas gratiarum actiones, quod se ita humiliare & deprimere voluerit; usque ad descensum in locū tam parùm sui tantæ Majestati convenientem; Et pro fructu hujus sermonis, disce, quæ sequenti tibi puncto addiscenda proponuntur.

PVNCTVM II.

Disce hodie omnes tuos inimicos, exemplo Christi, superare. Et si scire velis media, vade, & montem ascende calvariæ, corpus ejus preciosum & sacrum bene considera, & intuere; Quod Nicodemus & Joseph de cruce deponunt, sacratissimo sanguine ejus omninò coopertum. Omnia arma Passionis lustra, & seriò pondera. Hos apprehende clavos, spinas attrecta; hanc contrecta, & manibus tene lanceam, ac omnia alia hujus ej⁹ crudelissimi supplicii instrumenta perscrutare, & meditatione prosequere piâ simul & affectuosâ. Humilitatē ejus bene adverte; Considera patientiā; charitatē agnosce; penetra obedientiā, quâ

 paruit

paruit usque ad mortem, & usque ad mortem crucis: *Humiliavit semetipsũ, factus obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltavit illum*, &c. Ecce arma, quibus prostravit omnem potentiam infernalem! Suntque arma illa, quibus te uti oportet, & quæ tibi dedit ac reliquit in hæreditatem. Hoc erit, & fiet, per signum Crucis, hoc est, per exercitia mortificationis, quod omnes inimicos & hostes prosternes, subjugabis, & omninò delebis. *In hoc signo Vinces.*

Philipp. 2. v. 8.

Quomodo hisce armis usus es sacro hoc tempore Quadragesimali? Jejunia, Orationes, Vigiliæ, Instructiones, & Sacramenta, quæ recepisti, quid in te operata? Quos experiris effectus? Te ne tuis malis moribus, tuis concupiscentiis & tibi ipsi mori fecerunt? In hoc tibi intende bene, & attende. Potesne dicere cum Apostolo: *Consepulti sumus cum illo. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Hæc ne in te verificantur? Esne consepultus cum Christo? Estne vita tua abscondita cum Christo in Deo? Vivisne totaliter illi, qui pro te mortuus est? Esne tibi in omnibus omninò mortuus? Attende bene: nihil dissimules. Si adhuc quidpiam veteris hominis resideat; si supersint adhuc reliquiæ veteris fermenti & fermenti malitiæ in te: His pleno corde renuncia; è corde tuo eradica, quicquid puritati adversatur, aut adversari potest; priusquàm accedas cras ad sacram communionem, ubi manducare debes carnem sacratissimam Filii Dei, & agni immaculati, qui seipsum pro te, & propter te obtulit super Altare sanctæ crucis. Unde cum devotis dominabus visites sepulchrum. Memineris sub benedictione fontis, quòd per baptismũ fueris aliâs cõsepultus cũ Christo, Salvatore nostro; Quòdq; sis omnibus mundi rebus & transitoriis mortuus, ut de cætero illi soli, & pro illo solo vivas. Renoves omnes Protestationes factas in susceptione Sacramenti hujus, primi omnium Sacramentorum, quod aliâs non dabatur, aut administrabatur, nisi in vigiliis Paschæ & Pentecostes; Ubi tui susceptores pro te responderunt; Pro te Satanæ, & omnibus Pompis, actibus, ejusque cuivis commercio renunciaverunt; Fidelitatem Deo pro te repromiserunt; Christoq; uniformitatem in vitâ & moribus à te servandam pro te spopõderãt. Hiscene semper stetisti promissionibus? Fidelitatemne semper Deo servâsti? Christo ne semper in vitâ & moribus conformis fuisti? At, quas resolutionis huc usq; fecisti? Quas modò, & pro nunc facis & habes resolutiones? Quàm hæ firmæ & efficaces sunt? Quamdiu hæc servabis? Quâ severitate in illis perseverabis? & quâ virtute? Hæc, O anima mea! & omnis anima Christiana! cõsidera, animadvertis tuum in eo defectum, imperfectum tuum, has tuas Resolutiones debilissimas, divinis non innixas adjutoriis, divinaq; non roboratas gratiâ? Totâ recurre devotione ad divinam assistentiam. Instanter à Domino nostro Jesu Christo hoc die, vel maximè

Rom. 6. v. 4. Coloss. 3. v. 3. 2. Cor 5. 15.

ximè ejus triumpho consecrato, super omnia require; Et efflagita, roborari inprimis in Sanctis resolutionibus, ut, mortificatis omnibus naturæ corruptæ inordinatis motibus, inveniaris dignus, resurrectione crastinâ à Domino in omnibus desideratâ. *Traditus* Rom. 4. v. 25. *siquidem est propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram. Si enim complantati facti sumus,* Rom. 6. v. 5. *similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus.*

SERMO XXIV.
PRO SANCTO DIE PASCHATIS.

De Spirituali Resurrectione.

I. Cur Festum Paschatis sit maximum omnium inter Christianos?
II. Quomodo sit resurgendum cum Salvatore.
III. Notæ, ex quibus omnibus verè innotescit, an in re resurrexerit.

Hæc dies, quam fecit Dominus: Exultemus & lætemur in eâ Psalm. 117. v. 24.

HÆc est dies verè, quam fecit Dominus; Quo mihi salutem dedit; Quo illuminans à montibus æternis, omnes dissipans errorum tenebras, & vitiorum universorũ nebulas repellens, fecit illucescere in cordibus nostris lucidissimum fidei & veritatis sidus; diffundens suarum gratiarum radios, ad omnem virtutum exercitationem excitat, & ducatum præbet. Ideò rogat & humilimè supplicat Propheta: *O Domine! salvum me fac: ô Domine! bene prosperare.*

Bis idem petit; ac si diceret: o Domine! qui venisti nobis in salutem, ut salvares nos; qui jam salutem nostram operatus es in medio terræ; qui tua morte & passione mortem superasti, mundum vicisti, & de Diabolo gloriosè triumphasti; Qui solus salvare potes, ita ut non sit in alio aliquo salus; salvum me fac; Fac ut salver; quia sine te pereo. Ad quem ibo? Verba salutis habes, verba vitæ æternæ; omnia divini auxilii nobis ad salutem necessarii subsidia possides; Salvum me fac, o Domine! bene prosperare mihi in salutem, in profectum, in omnem gratiam & justificationem, ut, in novitate vitæ ambulans, nunquam ampliùs communicem operibus mortis in mortem: Verùm magis operibus vitæ in vitam. *Traditus ei propter delicta nostra*, ut non regnet amplius pecca-

peccatum in corpore nostro mortali; *& resurrexisti propter justificationem nostram*, ut mortui peccatis justitiæ vivamus, tibi adhærentes continuè, & tuæ cooperantes gratiæ, in nullo deficiamus. Bene ergò, o Domine! prospe-rare mihi in bonum, ut justitiæ vivens, mortuus peccatis, possim semper cantare cum gaudio, & labia mea continuo exultent, cùm cantavero tibi: *Hic dies est, quem fecit Dominus; exultemus & lætemur in eo.* A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. A Domino verè est: quia à nullo alio esse potuit. Dominus enim fecit virtutem, & liberavit nos de inimicis nostris, illi ut soli serviamus in sanctitate & justitiâ coram omnibus nostris, ut decursus dicendorum ostendet manifestiùs.

PVNCTVM I.

COnsidera primo: Cur festum Paschatis æstimetur & sit maximum, sanctissimum, & solennissimum inter Christianos? Primo est ex eo, quod sit complementum omnium Mysteriorũ hac die suum terminum habentium: Secundò, quod hic per excellentiam sit dies Domini, & quem fecit Dominus: Quia dies hic videtur, non, more aliorum, simplici lumine Solis ortus & effectus: Verum splendore gloriæ illius magis, qui illum clarescere fecit, radiis, & vivacioribus, & splendidioribus omne lumen Solis, & omniũ siderũ longè excedentibus. Tertio ex eo, quod resurrectio Domini nostri sit fundamentum omnium verè speranti-um. Unde verè S. Paulus: *Si Christus,* 1.Cor.15.

ait, *non resurrexit, vana est fides nostra. Si in hâc vitâ tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium;* 1.Cor. 15. v.19.
quoniam *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorũ.* Hæc porro unica veritas monet verè potenter ad Christi imitationem in hac vitâ, in quâ illi conformari debemus, illi si in aliâ vitâ, quam mediâ resurrectione speramus, congloriari velimus: Ut, *quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam: Ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. v. 4.
Et ex eo tandem, quod ultra illum gloriosum transitum, quo Dominus & Redemptor noster transivit à morte ad vitam, à mortalitate ad immortalitatem, ab ignominiâ sibi injustè illatâ ad gloriam jure sibi debitã, solennizamus & hâc die solennissimè felicem illum transitum, quo Christiani, transeunt à peccato ad gratiam, de vitâ mortali ad vitam immortalem, de miseriâ ad felicitatem, & de vili statu ad statum gloriæ & honoris. *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Rom. 15. v. 5.6.
Et, *fidelis reverà sermo;* 2.Tim. 2.
teste Apostolo; Nam *si commortui sumus, & convivemus: Si sustinebimus, & conregnabimus:* 1.Cor. 15. v.53.
Oportet siquidem, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

PUNCTUM II.

COnsidera secundo: Quem fructũ nos oporteat ex hoc Festo elicere? Omnis fructus, quem prætendit S. Mater Ecclesia, & requirit à suis filiis, hoc sancto die, est, ut ambulẽt in novi-tate

tate vitæ, veteri in vitiis transactâ prorsus relictâ, & anathematizatâ, novam assumant vitam, vel potiùs resumant, virtutibus excolendam & exornandam, resuscitati spiritualiter ad gratiam; quemadmodū Christus resurrexit ad gloriā. Ut autē innotescat. An quis veraciter resurrexerit cū Christo? tres nobis S. Paulus dat & determinat notas. Prima est, ut quis hac novâ & spirituali resurrectione mortuus sit vitę sensuali, & carnali, secundùm carnem & sensualitatem. *Si enim mortui sumus cum Christo; credimus, quia simul etiam vivemus cum illo.* Ut porrò Dominus & Redemptor noster, Jesus Christus, non ingressus est vitam gloriosam, nisi vitæ naturali mortuus: Ita vitam ingredietur spiritualē nemo, nisi priùs mortuus fuerit vitę sensuali. *Caro* enim *concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Ita ut oporteat nos mori carni, & spiritui vivere, si cum Christo verè velimus resurgere. Et hæc est secunda veræ Resurrectionis Spiritualis nota, quærere & desiderare cœlestia: *Si consurrexistis cum Christo; quæ sursum sunt, quærite; ubi Christus est in dextrâ Dei sedens.* Hoc est dicere. Qui verè cum Christo resurrexit, omnem suam spem, suos Thesauros universos, omnes suas divitias ponit & reponit in Cœlo, in Christo, in Deo solo; nihil requirens in mundo, unicè laborat pro æternitate; Res omnes hujus inferioris habitationis & incolatûs Miseriæ cotemnit, non ampliùs in mundo, sed in Cœlo cor fixum habens. *Ubi* enim *Thesaurus tuus* (Christus loquitur) *ibi & cor tuum erit.* Ita, qui *utuntur hoc mundo*, loquente Apostolo, *tanquam non utantur*, omnia dirigentes ad cœlestia, ad cœlum, & ad Deum.

Rom. 6.

Coloss. 3.

Matth. 6, v. 21.

Itane tu hoc uteris mundo, purâ coactus necessitate, non allectus ejus delectabilitate fluxibili, & illusus vanitate labili? Itane illo, in conspectu Dei, uteris, ut nunquam auxilio Dei, & ad Deum continuò tendendi desiderio destituaris? Itane operaris? Itane laboras? Itane curris & comprehendas? Ut *ex abundantiâ cordis os loquitur:* Ita & ex abundantia desiderii manus operatur; Quæ est teatia veræ Resurrectionis notę continuò desiderare & aspirare affectu & effectu ad cœlestia. *Quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram*; Hoc est; De illis libenter loqui, audire de illis cum gaudio, sæpe de illis cogitare, Sacramenta in eum finem, omnibus ad eorum affectum perfectissimum positis dispositionibus ac requisitis, frequentare, Lecturas illorum desiderii in nobis conservativas, & inflammativas quærere & frequentare, sibi in exercitiis pietatis, & religiosæ vitæ complacere, illa æstimare, laudare, diligere, & promovere: societates è cōverso mundanas, discursus vanos, occupationes & labores universos ad terrenas accumulandas divitias, ad vanos aucupandos honores, & ad voluptates transitorias destinatos, fugere, odisse, & abominari. Hæc porrò avertunt à Deo, illa ad Deum excitant. Hujus verum reddunt duo discipuli, in Societate Christi euntes in Emaus, testimonium: *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis*, inquiunt, *dum loqueretur in via?* Non ergò satis est ad Festum hoc Paschatis

Matth.

Luc. 24. v. 31.

debitè

debitè celebrandum, confiteri, & sacra refici Synaxi, ut potissimi sibi imaginantur; Verùm nos oportet esse peccato mortuos primò: secundò, cœlestia sola quærere, ac tandem illis ita trahi & affici, ut illis solis delectemur.
Rom. 6. v. 11. *Mortuos quidem peccato: Viventes autem Deo in Christo Iesu.* Ecce! quàm pulchrè exprimit, & concinnè complectitur requisita ad Festum hoc celebrandum Apostolus? Et ad Philippenses pleniùs declarare cupiens,
Philipp. 3. v. 10. *Configuratus morti ejus*, ait, *si quomodo occurram ad resurrectionem*; Et ad quid
1. Cor. 5. v. 4. occurrere desideret, subjungit alibi, *ut absorbeatur, quod mortale est, à vitâ:* nihil in nobis inveniatur, nisi vita, & vera vita, non ampliùs degenerans in mortem. Recogita, quot jam vixeris annos, sine eo, quod adhuc vel unicum Festum Paschatis debitè celebraveris: Cùm propria ita facilè traharis cupiditate, quæ omnium tuorum peccatorum fons est & origo? Ita parùm recogitas cœlestia & futura, præsentibus & terrenis planè affixus. Ideo ita parvum impendis pro salute assequendâ laborem, ut vix pro illa pedem moveas, aut minimã subeas difficultatem. Cum ergo Deus tibi adhuc annum hunc concesserit: Illum noli negligere. Consilium sequere Apostoli, & exequere: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem Cœlestis*, id
est, *Christi*; Et suum prosequens Discursum consummat: *Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* 1. Cor. 15. v. 49.

SERMO XXV.

PRO FERIA SECUNDA PASCHATIS.

De notis Resurrectionis veræ.

I. Vita gloriosa quatuor specialibus qualitatibus exornatur.
II. Hæ qualitates suo modo communicantur animabus.
III. Examen sui.

Christus, resurgens ex mortuis, jam non moritur: Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: Quòd autem vivit, Deo vivit, Rom. 6. v. 9.

CHristo si desideremus conformari, Christi resurrectione gaudere, fructum sacratissimæ passionis & mortis participare, illius gratia frui, oportet nos peccato semel mortuos, vivere Deo. *Scientes*, inquit

Rom. 6. v. 6. quit Apostolus, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato*: sed novâ vitâ spirituali vivamus Deo cum Christo: *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: Quod vivit, vivit, Deo*; Ut nempe, sicut Christus tantùm semel mortuus est, idq; brevissimo tempore, jam verò à Resurrectione vivit Deo, id est, ad Dei extollendam gloriam durat, durabitque in æternum: Ita & nos, mortui semel peccato, Deo vivamus in Christo Jesu; Domino nostro, id est, suâ virtute & gratiâ Dominante in nobis. *Non ergò*, sub hujus Dominio, inquit Apostolus, *regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis, peccato*, id est, fœdo illi tyranno, ut serviant: sed legitimo Domino & Regi vestro Deo; ut facere decet eos, qui ex mortuis redivivi, jam novam vivunt vitam spiritualem, vitam Sanctam, vitam Deo placentem, nunquam ulteriùs immutandam, sed constantem & proficientem continuò in meliùs; *Liberati* autem *à peccato servi facti estis justitiæ*, ab eâ nunquam recessuri: Exhibituri membra vestra *servire*, ut servi fideles *justitiæ in sanctificationem: Et servi facti Deo habeatis fructum vestrum in sanctificationem: Finem verò vitam æternam.* Eò nos, est Christianos omnes tendere decet, & necesse est, si Christiano nomine Jure & verè gaudere velimus; Ut in corpore viventes, Spiritu Christi continuo animati, elongati, à malo, ab omni peccato, opere mortis, & Diaboli commercio, communicantes passionibus Christi, *adimpleamus ea, quæ desunt, passionum Christi, in carne nostrâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia*; *Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Ad hoc enim Christus mortuus est, & resurtexit semper vivens, & vivens Deo; Cui, ut & cum illo vivamus subjectis punctis paulò accuratiùs intendere conabimur.

Cor. 15. v. 49.

PUNCTUM I.

CONsidera primò continuans materiam hesterni sermonis, ut videas & animadvertas maturè, novis propositis notis & certis indiciis, an reverà resurrexeris? Et quomodo vita gloriosa ad quã disponit magnum Paschale Festum, cujus est figura, quatuor specialibus perficiatur & exornetur qualitatibus? Prima est, impassibilitas corpus nostrum extrahens, extra sphæram omnis patibilitatis, nulli ampliùs compossibile infirmitati, dolori, morti, aut cuicunq; ad corruptionem dispositioni, manens ita illa qualitate perfectum, ut nullam ullius mutationis subeat, aut subire possit, vicissitudinem. Hanc Apostolus expressit. *Qui* Rom. 8. *suscitavit*, ait, *Iesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritũ ejus in vobis.* v. 11. Altera est, claritas; qua corpora beatorum illustrabuntur clariùs ipso Sole meridiano, in omnem æternitatem fulgentia.

Agilitas est tertia, qua in momento, in ictu oculi, transibunt è Cœlo in Terram, ab una orbis extremitate in aliam. Quarta tandem est subtilitas:

quâ poterunt, non aliter ac ipsi spiritus beati, penetrare res quas vis solidissimas & durissimas, nullâ illorum interveniente divisione, aperturâ, aut corruptione. Hæ qualitates in Christo Jesu resuscitato perfectissimè reperiuntur beatis. Pariter & in omnibus reperientur beatis in die generalis resurrectionis, & in omne ævum ac æternitatem. *Non erit ampliùs, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra.* Apocalypſ. 21. 4. *Seminatur,* inquit Apostolus, *in corruptione, surgit in gloria!* Ecce impassibilitas! *Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ;* Ecce charitas! *Seminatur in infirmitate: Surget in virtute;* Ecce agilitas! *Seminatur corpus animale: Surget corpus spirituale;* Ecce subtilitas! O quæ materia consolationis iis, qui hic, hic in mundo, afflictionibus premuntur, corpore infirmi & animo, infinitis subjecti morbis; Videre se tunc liberatos ab omni eo, quod illos hic, hac in valle plorationis, affligebat; Videre se exoneratos gravi illo pōdere naturę incultæ & deprimentis, perfectaq; frui sanitate, quiete inviolabili, ac gaudio, nullâ unquam afflictione perturbando, aut immutando vel in minimo. Sap. 3. v. 1. *Non tanget illos tormentum mortis, neq; flagellum appropinquabit tabernaculo eorum,* Psalm. 90. v. 10. *non esurient, neq; sitient, neq; cadet super illos Sol, neq; ullus æstus.* Apocalypſ. 7. 16. Teste Apostolo. *Sicut regnavit peccatum in mortē: Ita & gratia regnet per justitiā in virtute per IesūChristū, Dominū nostrū.* Rom. 5. v. 21.

PVNCTVM II.

CONsidera secundò: Etsi qualitates hæ sint corporibus gloriosis propriæ; sint & particulares. Illæ nihilominùs, gratiâ Domini nostri Jesu Christi, qui resurrexit à mortuis, animabus quodammodo cōmunicantur. *Lex Spiritûs vitæ in Christo, liberavit, inquit* Rom. 8. v. 2. Apostolus, *me à Lege peccati, & mortis.* Lege porrò Spiritûs vitæ in Christo liberante planè & plenè, anima dici potest, & dicitur aliquo modo impassibilis, & immortalis, dum non ampliùs, vel carissimè cadit in peccatum; Vel, si casu infelici & infortunato, fortè ceciderit, speciali resurgit promptitudine & alacritate. Ejus verò immortalitas in eo sita est, quod sit in sensibilibus nullis objectis naturalibus moveatur, nullis sensuum trahatur oblectamentis, nullis inordinatis (quibus alterari solebat) tangatur passionibus: Subtilitas ejus est, quâ omnes in viâ virtutis & salutis difficultates occurrentes, magnas & parvas, heroicè contemnit, & vilipendit, cum Propheta dicens audacter & hilariter: *In Deo meo transgrediar murum.* Psalm. 17. v. 30. De his alibi loquens scriptura: *Convaluerunt animis,* 2. Maccab. 11. v. 9. ait, *non solùm in homines, sed & in bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare.* Agilitate suâ tendit anima hilariter, & promptè, quocunq; Deus illas vocaverit; juxta illud Prophetæ: *Assument pennas, sicut aquila; volabunt, & non deficient:* Esaiæ, 40. v. 30. Suadet idipsum Sapiens: *In omnibus operibus tuis esto velox.* Eccleſ. 31. v. 29. Claritate suâ non duntaxat veritatis salutis intelligit perfectè & penetrat: verùm illas approbat, amat, assumit, & executioni mandat, ac ipsâ praxi opere ac veritatate exprimit, illis immobiliter inhærens; Juxta illud: *Omnis, qui in eo manet, non peccat.* 1. Ioan. 3. v. 6. *Spiritus omnia scrutatur; etiam profunda Dei.* 1. Cor. 2. v. 10. *Spiritualis* autem *dijudicat omnia.* Ephes. 5. v. 8. Suadet

det & hoc Apostolus: *Ut Filii lucis ambulate.*

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò: An jam veraciter & reipsâ resurrexeris? Eumne habes & sentis peccati horrorem, quem ejus meretur natura, & deformitas exigit? Animadvertis ad occurrentias voluptatum, & deliciarum occasiones minùs te trahi aut moveri? Esne in omni occasione resolutus, omnes perfringere & disrumpere difficultates obviantes tibi, in magnis rebus æquè ac in parvis? Eone, quò te Deus vocat, tã citò ac promptè, mac ille vult, tendis? Sed & tandem; Cognoscisne, & bene penetras veritates Christianas, quod, exempli causâ, non sit nisi unum in mundo necessarium; Deum scilicet esse omnia in omnibus, operari omnia in omnibus; Et nos duntaxat esse creatos ad illũ, & propter illũ; quod in illo solo simus & operemur? &c. Nunc cõfundaris, & in veritate cõfundaris, & corã Deo confundaris, quòd hucusque vixeris vitâ carnali, sensuali; Tuis solùm sensualitatibus indulgens & satisfaciens. His corde pleno, animo propto, hodie, hac hora, instanti hoc, renuncies, vitã ut incipias spiritualem, vitam veram, vitam omninò divinam; Ut non vivas ampliùs de cætero nisi cum Christo, in Christo, & propter Christum, qui resurrexit, ampliùs non moriturus. Hanc pete, require, efflagita gratiam, pro te & pro omni populo; *Ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* 2. Cor. 5. v. 15.

SERMO XXVI.

PRO FERIA TERTIA PASCHATIS.

De Pace, quam nos decet habere cum Deo, nobiscum, & cum proximo.

I. Dominus ingrediens Cœnaculam, dat Pacem suis Apostolis.
II. Triplex Pacis genus.
III. Media Pacem acquirendi.

Stetit Iesus in medio discipulorum, & ait: Pax vobis; Luc. 24.

CHristus Salvator mundi, verus Princeps Pacis, & Pater futuri seculi, qui ad dandam Pacem mundo & omnibus hominibus venerat, hodierna die suis apparens discipulis, & stans in medio illorum, illis illud apprecatur, quo eos voluit ab aliis discerni, & quo secum illos habere voluit communicationem, dicens: *Pax vobis*; acsi dicere vellet: Cum ego sim Deus Pacis, vobis nihil melius, quo mei sitis discipuli, apprecari & optare possum, quàm pacem. In pace enim sola vestra sita est beatidudo, vestra salus, & vestrum summum bonum, & in tempore, & in æternitate. *Pax*, ait S. Bonaventura, *est status virtutum, in quo est delectatio in Deo, sine contradictione carnis, mundi, & Diaboli*; *Vel, si est aliqua, inefficax est.* Ergò vera Pax *In Compend. Theolog. veritatis. c. 54.*

involvit omnium virtutum aggregationem: Quia, si aliqua est, ut ait S. Bonaventura, inefficax est; utpote non perfectè uniens summo bono omnimodè. *Vnde patet*, subjungit S. Bonaventura; *Quod Pax est status animi purgatissimi. Pacificis enim magis attribuitur: Esse Filios Dei, quàm aliis:* Quia, *licet misericordia maximè, assimilet hominem Deo, quantum ad opera exteriora: Tamen quantum ad interiora, magis assimilat Pax.* Pace porro perfecta habitâ, homo redditur omnino in se quietatus ex omni parte: *Qui* nimirum *mundi mala odit velipendendo & contemnendo, Hierusalem ascendit mundum fugiendo, & ab eo se elongando in Templo cordis; Spiritum Sanctum quærit fideliter orando; Sedet unanimis in domo cordis humiliter quiescendo, & Paracletum desiderando. Præstolatur adventum Spiritus Sancti, inspirationes ejus studiosè observando. His est capax Spiritus Sancti, Spiritus Pacis, Spiritus Sanctificationis & Salutis.* Nam, sicut dicit Bernardus, *bonum, quod in nobis Spiritus bonus operatur ad faciendum; profectò monet memoriam, docet rationem, movet voluntatẽ. In his* enim *tribus tota consistit Anima nostra, ut in imagine Dei. Memoria suggerit bonũ in cogitationibus*, atque ignaviam nostrã & torporem repellit. Intellectum de faciendis bonis, & evitandis malis docet, & voluntatem movet ad efficaciter faciendum, quod ratio recta lumine ex alto illustrata, præscripserit. Ex quo oritur gloriatio ex testimonio bonæ conscientiæ, mens conscia recti exoritur, & abundantia pacis in animo justo, recto, & quieto; quæ est pax hujus incolatus perfecta; quam Christus suis Apostolis, & omnibus hominibus apprecatur; Et quam Angeli in ejus Nativitate annunciarunt hominibus bonæ voluntatis, ut ex decursu dictionis innotescet.

S. Bonav. de 7. Donis Spiritus Sancti, cap. 5.

Matt. v.

PVNCTVM I.

COnstitutus in oratione, Apostolis in unum congregatis in Cœnaculo associatus, Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum tibi imagineris, & repræsentes, qui januis clausis ingreditur cœnaculum, & qui apparet in medio discipulorum suorum, velut centrum cordium eorum, caput totius corporis Mystici Ecclesiæ militantis, illud vivificans, animans, & suâ gubernans præsentiâ, suo spiritu, & suâ gratia perficiens, O quæ materia consolationis Apostolis hanc videre divinã Majestatẽ, (quæ illorum erat occupatio diebus istis unica, ut non liceret loqui nisi de illa, cogitare nisi de illa, nisi de illa gaudere & refici) in persona propria venientem, veritatem suæ resurrectionis illis inculcantem & confirmantem, illos gratioso vultu & facie serena salutantem, illaque desiderabili Pacis diutissimè desideratæ recreantẽ gaudiosa voce: *Pax vobis: Ego sum: nolite timere!* O quam bonum est, de Deo cogitare, de Deo loqui, de Deo se unicè occupare! Et sermo tuus, o Salvator

Ioa.

vator & Magister bone! verus est, quod ubi duo, vel tres fuerint cōgregati in no-
Matt. 18. v. 20. mine tuo, in medio eorum sis: *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* O quale & quantum gaudium fuit huic toti societati sanctæ hæc sacratissima videre vulnera! Audire hanc vocē tam desiderabilē: *Videte manus & pedes!* At, quid Apostolis invideamus, cùm illum in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento recipiamus, possideamus, ac illum videamus in medio nostrum, velut Solem suo animas illuminantem lumine, & igne sui amoris corda accendentem? Ut verè verificetur verbum Domini, quo ait: *Ego sum lux mundi.* Illi ergo ob hoc gratias, quascunq; potes, referas, quod se tibi tam sæpè det & communicet: At confundaris, quod parvum inde referas fructum.

PUNCTUM II.

Salvator & Dominus noster cœnaculum ingrediens, ipso momento suæ præsentiæ effectus præsentire facit, dicens: *Pax vobis!* Hæc est prima salutatio, quā illis exhibet, velut summum, quod illis in hoc mundo evenire potest, bonum. Pax vobis! pacem habeatis! Pacem recipite & acceptate: Non pacem carnis, seu carnalem, sed pacem animæ & Spiritus, pacem spiritualem, pacem, quam è Cœlo ad terram attuli.

Recipite pacē, quā acquisivi meis laboribus, passione mea, mea morte. Habete pacem, quæ exsuperat omnem sensum, & naturæ capacitatem
Joan. 13. v. 27. *Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat: Ego de vobis.* Pax Dei, Philipp. 4 v. 7.
quæ *exsuperat omnem sensum.* O preciosum & inæstimabile donum, panis donum! O Thesaurus desiderabilis! At, quàm pauci reperiuntur illius capaces? o quàm rari illam perfectè recipiunt, quærunt, & conservant. Quidam, ut pacem secum habeant, Deo inferunt bellum; Alii proximo; continuis alii agitantur, inquietantur, perturbationibus & perpetuis motibus; In quibus S. Aug. dictum verificatur: *Qui pacem cum Deo habere noluit, ipse secū pugnat infelix.* Ut quis pacē veram habeat, illam habere debet cum Deo, secum, & cum proximo. At, ut pauci sunt in mundo, qui adhibere velint media ad hanc pacem acquirendam: Paucissimi etiam illam obtinent. His suadet bene S. Aug. *Quærite, quod quæritis; sed non est ubi quæritis.* Quæ autem illa sint media, ex sequentibus eruenda erunt.

PUNCTUM. III.

Medium, pacem acquirendi cum Deo, est humilitas; Fidelitas ejus gratiis correspondens, obsequia, vota, & servitia, quæ ejus reddimus Majestati, & amor, quo illum prosequimur. Medium pacis cum proximo inveniendæ & conservandæ est: injurias contemnere, defectus ejus sufferre, illi benefacere, bonum pro malo reddere, & malum in bono vincere, medium tandem pacem secum acquirendi & perpetuandi est renunciatio totalis, perfecta depressio, & annihilatio sui ipsius, quæ fit per perfectā & integram patientiam: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Ecce status, in quo hodiernâ die erant Apostoli, dum Salvator noster illis pacem suam largiebatur! De quâ Psalmista: *Pax multa*, inquit, *diligentibus legem tuam.* Ex quo alius Propheta cōcludit evidenter: *Non est pax impiis, dicit Dominus. Iustitia* porrò *& pax osculatæ sunt.* Ita, ut ibi justitia defuit, deficiat & pax. Siquidem & *Pax est electio Dei.* Vide nunc, & considera: An in eâ sis dispositione? Quo affectu Deo servias, Deum ames, Deo adhæreas, Qua moderatione proximum, & à proximo patiaris? & quomodo tibi ipsi renuncies? Quoties fortè dixisti: *Pax, pax: & non est pax*; cum Propheta, sive mundo & tibi blandiens in vitiis, sive in tribunalis malum dignissimus sive tibi falsè suadens, quòd vitam degens tepidam & acedosam sis securus, & quòd Deus à te plus non requirat? Hanc hodie pacem triplicem pete à Domino, require, & exora, pro te, pro Ecclesia, & pro universo statu in quo vivis, ab eo solo, qui eam potest dare: *Da pacem, Domine in diebus nostris: Quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.*

Psalm. 118. Esaia, 46. Psalm. 84. Sap. 3. Luc. Esaia v.

SERMO XXVII.

PRO FESTO ANNVNCIATIONIS.

De incarnatione & humilitate Filii Dei.

I. Miserabilis mundi status ante incarnationem verbi.
II. Humilitas specialiter elucet hoc in Mysterio.
III. Quomodo nos decet humiliare, exemplo Filii Dei.

Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, Joan. 1. v. 14.

VErbum *Caro factum est, & habitavit in nobis.* Verbum, quòd erat in principio apud Deum; Principium per quod omnia principiata & facta sunt: nunc, ut in nobis, & nobiscum pacem haberet, caro factū est, ut in nobis habitaret, & per gratiam suam nos sanctificaret, & nobiscū, similis nobis, ut nos doceret Sermone, & instrueret opere, habitavit in nobis. Magnum Sacramentum, & summum Mysterium, *quod aliis generationibus: non est agnitum filiis hominum, sed revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in spiritu?* *Hoc est Mysterium, quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus. Voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus, quod Christus in vobis spes gloriæ. Verbum factum est caro. Synecdoche, id est homo*, ait Tirin. *substantialiter unitâ sibi naturâ humanâ, seu animâ, & corpore humano. Quare non dicit: Factum hominem, vel saltem animā, vel animale?* Respondeo: Quia voluit insinuare, factum miseriis plenum hominem, mortalem, fragilem, ærumnosum, nostri similem. Nam ratione carnis hæc nobis conveniunt. Novissima

Ephes. 3, v. 5. Colo. v. 1. Pe. v. Ioan. v. In Ioan. cap. 1. Serm. 12.

sima carnis nostrę sunt quinq;, materia vilis actus humilis, ingressus flebilis, status difficilis, egressus horribilis, ut *ait Blesens.* De vilitate ejus Philosophũ, tyranno interroganti: Quid fui? quid sum? quid ero? sufficienter singulis respondentem, audi: Vide sperma, vas stercorum, esca vermium. Quàm humilis sit de tali materia operatio? attende, quia S. Zacharias, cùm S. Joannem de S. Elisabetha gigneret, noluit videri. Caro à Propheta, ob ejus vilitatem, comparatur fœno. *Vox dicentis: Clama. Et dixi: quid clamabo? Omnia caro fœnnm, & omnis gloria ejus, quasi flos agri.* Carne vilius nihil invenitur. Et tamen verbum Patris, illam ut dignificaret, factum est caro, Et *verbum caro factum est: Et habitavit in nobis*; taberna culum fixit, quasi peregrinus & hospes (nam patria illi Cœlum) & ad modicum tempus vixit in nobis, id est, inter homines, tanquam unus nostrûm. Erat verbum hoc incarnatum plenum gratiæ & veritatis. Etiam secundùm humanam naturam, à primo instanti conceptionis, plenissimum erat omni gratiarum & virtutum genere; Veritate irrefragabili atque infallibili, absq; ullis ignorantiæ tenebris. *In illo quippe reconditi erant omnes sapientiæ ac scientiæ Thesauri. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*; quod S. Evangelista, evidentissimis inductus argumentis, pronunciavit evidentiùs: *Et vidimus gloriam ejus; velut gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ideo *de plenitudine ejus accepimus omnes.* Ille siquidem est fons inexhauribilis omnium bonorum & gratiarum, quas abundanter diffudit in omnes, omnes invitans: *Si quis est parvulus, veniat ad me: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Parvula una biberat, & repleta electa est & salutata ab Angelo: Gratia plena; Hujus sacri mysterii ministra facta est.

Luc. 1. *Esaia, 40. v. 6.* *Coloss. 2. v. 3.* *1. Petr. 2. v. 22.* *Ioan. 1. v. 14.* *Sap. 9. v. 4.*

PUNCTUM I.

COnsidera primo statum miserabilem, in quo mundus, ante verbi divini incarnationem, jacebat. Nulla erat tunc Religio, nisi in Judæa; Quæ tamen adhuc erat non nisi ceremonia, nisi apparentia exterior, nullo veræ Religionis Spiritu interno animata, nisi superstitio, corruptio morum, libertinitas, & peccatum. Creaturæ viliores, deteriores, & magis infames adorabantur, velut dii, & divinitates Creator universalis rerum omnium erat in vilipensione, ac contemnebatur, ac si nemo ab eo dependisset. O Deus, verè bonus, verè piùs, verè misericors! Quem tibi ego habeo obligationem, quod me nasci illo infelici & maledicto seculo nolueris? *Ita ergò res,* ait S. Aug. *Se habebant; jacebat in malis, vel etiam volvebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata.* Ita tunc verè dicebatur: *Non est, qui faciat bonum: non est usque ad unum, mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, &c.* Hæc ipsa extrema desolatio movit & permovit verbum æternum, ut ex passione in mundum veniret, ad illum reparandum & renovandum, se eum in finem personaliter uniens humanitati, faci-

S. Aug. in Enchirid. *Psalm. 13. v. 2.* *Rom. 1. v. 22, 23.*

ensq; , ut Deus fieret homo, & homo fieret Deus, haberetq; Christus divinā naturam, quâ æqualis est patri, & naturam humanam, quâ minor est Patre, in unitate Personæ Divinæ, participans admirabili ac plenè Divinâ Unione intercurrente. *ô Admirabile commerium!* Ita porrò Deo placuit: *instaurari omnia in Christo, quæ in Cœlis, & quæ in terrâ sunt.*

Ephes. 1, v. 10.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò: quāvisve, hoc in summè adorando Incarnationis mysterio, faciat Flius omnigenas clarescere virtutes: in cæteras tamen ejus humilitas clariùs elucet; Ob hoc ait, Apostolus, quod exinaniverit semetipsum, formam servi accipiens. *Cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Exinanitio hæc primò in eo elucebat, quòd suam absconderet Divinitatem, sub velamine humanitatis suæ; eâ ratione, quod, licet esset Deus, est homo, non apparebat tamen nisi homo, acsi Deus non fuisset. Secundo in eo hæc exinanitio apparebia, quod, licet esset ex seipso Magister omnia sciens, Dei Filius, Patri per omnia ęqualis, ita nihilomin⁹ exactè Patris placitum adimplebat, & ordinationes ejus observabat, ut dixisses, illum non fuisse nisi servum & mancipium Patris. Ipse hoc ipsum palàm fatebatur: *Ego ex meipso non sum locutus, sed qui,* inquit, *misit me Pater.* Et apud Psalmistam: *Ego servus tuus, & Filius ancillæ tuæ. Aures perfecisti*, vel, juxta versionem S. Hieron. *perfodisti*; vel, ut Chaldæus, *perforâsti*, utpote ut audirē te, & obedirē. *Tunc, dixi:* Ecce venio! Jussioni tuæ plene satisfacturus. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatē tuam, Deus meus, volui & legē tuā in medio cordis mei.* Ita leges Paternas observabat Christus, ut haberet continuo in medio cordis sui, id est, observabat illas exactissimè & perfectissimè. In eo iñotescebat tertio hæc ejus exinanitio, quod, etsi esset fons & origo omnis puritatis, justitiæ & sanctitatis in cœlo & in terrâ, personam tamen omnium peccatorum totius mundi sustinebat, & repræsentabat, passusq; est, & mortem sustinuit in illâ qualitate. *In similitudinem carnis peccati; & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis.* Unde apud Psalmistam merito agnoscens susceptum munus, quo satisfacit pro toto humano genere, ingemiscens, *longè,* ait, *à salute mea, verba delictorum meorum. Factus pro nobis maledictum.* o anima mea! Vidisti Salvatorem tuum humiliatū? Verùm, potuistine eum videre, & non te humiliare & deprimere, usque ad centrum terræ? o quàm superbia nostra est culpabilis, criminosa, & detestabilis, tali viso in tali humilitatis exemplo.

Philipp. 2. v. 6.

Ioan. 12. v. 49.

Psalm. 115. v. 6.

Psalm. 39. v. 7. 8. 9.

Rom. 8. v. 3.

Psalm. 21. v. 2.

Galat. 3. v. 14.

PUNCTVM III.

COnsidera tertio: Cur hanc, nos redimendi & salvandi, viā elegerit; potens, si voluisset, minori difficultate, precio minori, & minori labore nos redimere? Quæ ergo fuit hujus viæ tam difficilis ingrediendæ ratio? Quæ causa, & occasio? Non alia profecto fuit, quam ut necessitatem ostenderet, quam habemus, nos humiliandi; Et ut nos instrueret, primum

nostræ interioris Reformationis passum & profectus spiritualis gradum esse exinanitionem nostri omnimodã. Eâ de causâ S. Joannes missus fidelibus viam Domini præparaturus in illis, illosque dispositurus, ad suũ Messiam recipiendũ, vult illos, velt primam dispositionem, primò mori spiritui superbiæ, elationis & jactantiæ: *Omnis mons & collis humiliabitur.* Et ipse Deus Salvator & Redemptor noster inter omnes fœminas in matrem elegit humilimã; Ancillam humilem respexit Deus. *Vide*, inquit S. Ambros. *Humilitatem! Ancillam se dicit, quæ Mater eligitur; Decebat humilitatem præferre, quæ humilem erat paritura.* In quo, quoad hoc, tu stata es? quomodo tecũ est? Quæ est tui interioris dispositio? quid sentis de teipso? quanti te facis? quâ ratione laudes humanas requiris, vel recipis? Annon te humiliandi causam habes sufficientem? Nihilum tuum, peccata tua, tuus statusEcclesiasticus, in quo degis, tuæ salutis incertitudo, negligentia tua, tua tepiditas, incerta mortis hora, strictum Dei judicium, annon sunt potentissima motiva, & plus quàm sufficientia, te humiliandi, deprimendi, & te exinaniendi? Verùm, si solum esset Domini & Salvatoris exemplum, foret motivum plusquàm sufficientissimum. *Verbum caro factum est.* Ad hujus exemplum humiliavit se beatissima Virgo, & Mater Dei facta est. Quia, *cùm essem parvula*, ait, *placui altissimo, & de meis visceribus genui Deum & hominem.* Hæc tibi sit cordi: hanc acquirere allabora: resolvas de cœtero huic humilitatis virtuti omni studere diligentiâ, illam tibi ut reddas familiarem & domesticam; præcipuum in Regno animæ tuæ locum obtineat; ac primatum teneat: Cùm illa sit unicum medium, omnia bona, gratias, & charismata, quæ Filius Dei attulit in mundum, participandi. Et hoc non duntaxat tibi in particulari imprimere coneris. Verùm & aliis inculcare, suadere, & persuadere hâc die Festivitatis dignissimæ, & humilimæ omnium creaturarum. Dicas cum illâ crebrò in vero humilitatis spiritu, quo animata hæc profundissimæ humilitatis pronunciavit verba. *Ecce! ancilla Domini: Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ad illud hortatur Apostolus: *Hoc sentite in vobis, quòd & in Christo Iesu: Qui parvulus factus parvos quærit*, ait S. August. hoc est *humiles congregat.*

Matth. 3.

S. Ambros. in Luc.

Luc. 2.

Philipp. 2. *v.* 5.

cum devotione, affectu & humilitate: Cùm ira Dei, quæ nostris cervicibus imminet, illo sit avertenda medio. *Coimus in cœlum, & congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Verùm Ecclesiastici ad hoc eo magis præ cæteris obligantur, quo Dei servitio jure potiori sunt consecrati; quibus arma reconciliationis data sunt, ut loquitur S. Paulus: Et quibus imputabuntur, secundum communem sanctorum Patrum mentem, flagella, castigationes, & pœnæ, quas Deus de hominibus, populis, & nationibus sumit, nisi suis orationibus, sacrificiis, & deprecationibus conentur hujusmodi avertere, suis instructionibus, exemplis & doctrinis populos convertere, & suis Ministeriis, ut veri Mysteriorum Dei dispensatores, Deo reconciliare. *Quando mundus gladio feriatur, aspicitis; quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis. Cujus hoc præcipuè peccato agitur? Ecce populatæ urbes, eversa sunt castra, Ecclesiæ, Monasteria destructa, in solitudinē agri facti sunt! Sed nos pereunti populo, authores mortis, an esse debuimus duces ad vitam? Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est; quia faciente nostra negligentiâ erudita non est.* Ut ergo Ecclesia sensui, placito, & intentioni quis se conformet, sequentia maturiùs ponderanda sunt.

Tertull. Apologetici cap. 19.

S. Gregor. De cur. pastor.

PUCNTUM III.

Considera tertio: Quid hoc potissimum tempore Ecclesiasticos facere deceat, & oporteat? Utpote primo, ut abstinentiam ab Ecclesia præscriptam servent exactiùs, quàm reliquus populus Christianus, memores, quod alias priscis temporibus fuerit jejunium impositum. Secundo, sacris assistant Processionibus, in spiritu veræ humilitatis & pœnitentiæ, se considerantes, ut victimas oneratas onere propriorum peccatorum, & populi totius delictorum; se coram Majestate divina omnium peccatorum, criminum, & delictorum, quæ in mundo fiunt, reos agnoscentes, omnique pœnâ imaginabili se dignos confitentes, sese eum in finem in sacrificium offerant ad expiationem perfectam omnium & suarum & populi totius iniquitatum faciendam Christo Salvatori, honorifico sacrificio & victima satisfacientes. Hæc est dispositio præcipua, quam à suis Ecclesia mater requirit Filiis, hac in processione, quæ cum processionibus rogationū, vocantur processiones lugubres; ex eo potissimū, quòd quilibet in iis comparere debeat vero spiritu & habitu pœnitentiæ, suum peccatum & imperfectum agnoscens & confitens, cùm Daniele: *peccavimus: iniquitatem fecimus: Impiè egimus, &c. Tibi, Domine, justitia: nobis autem confusio faciei.* Et cum fratribus Josephi: *Meritò hæc patimur; quia peccavimus in fratrem nostrum, &c. Et idcircò venit super nos ista tribulatio. In spiritu humilitatis, & in animo contrito processiones nigræ servandæ sunt.* Idcircò maxima, tertiò, corporis modestia servanda in processionibus, & maximè oculorum, ne ex eorum incustodiâ, oriantur distractiones mentis, & devotionis extinctiones. Incessu gravi proce-

Daniel. 9.

Genes. 41.

procedendum, non se invicem comprimentes, verum habito respectu ad illum, qui unà procedit, non nimiè tardantes, aut accelerantes; composito vultu, luminibus ante se directis, non hinc inde vagantibus, ut suo ædificent exemplo & excitent ad parem populos devotionem, atque hunc pœnitentiæ Spiritum inducant, qui in tam paucis reperitur personis. *Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta; & jura sollicita; & processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia.* *Tertull. lib. de præscript. cap. 43.* Ad idem hortatur Apostolus: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* *Philipp. 4.* Quartò tandem orandū est corde & ore, ac affectuosissimè imploranda suffragia Sanctorum, dum sacræ decantantur Litaniæ, in eo Apostoli consilium sequendum est: *Fieri debent observationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam & quietam vitam agamus, in omni pietate & castitate.* *1. Timot. 2.* Hæc sint tibi cordi; Hæc intendas, & adhæc te resolvas: Cùm illa sint, quæ Deus à te requirit, quæ populus expectat, & ad quæ, via tuæ vocationis & status, obligaris. *Ut in omnibus honorificetur Ministerium nostrum, & præbeamus nos exemplum bonorum operum;* *Rom. 11.* *Tit. 2.* *& luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in Cœlis est.* *Matth. 5.*

SERMO XXIX.

PRO FESTO SS. JACOBI ET PHILIPPI APOSTOLORUM.

De amabili notitiâ Domini nostri JEsu Christi.

I. Quàm justè posset illâ uti Salvator noster reprehensione erga maximam mundi partem, qua usus est hodie; Tanto tempore, &c?

II. Quid sit: Christum JEsum cognoscere? & in quo hæc sita sit notitia?

III. Prærogativæ hujus notitiæ præ aliis omnibus.

Tanto tempore vobiscum sum: Et non cognovistis me: Joan. 14. vers. 9.

Filius Dei jam in Scripturis Sanctis multifariam multisq; modis prænunciatus, per Angelos & Prophetas suos, descenderat à Patre missus, quando carnem ex Mariâ Virgine propter Redemptionem nostram susceperat, & homo verus factus, non mutando, quod erat, sed assumendo, quod non erat. De cujus descensione, id est, incarnatione in Psalmo scriptum est: *Inclinavit cœlos, & descendit; Et caligo sub pedibus ejus.* *Psalm. 17.* Jam prædicaverat tanto tempore: Tot jam miracula patraverat. Tot mortuos suscitaverat: Tot curaverat morbos: Tot ejecerat dæmones: Tot vitæ & salutis tradiderat præcepta & doctrinas: Toties se Dei Filium dixerat;

Et non poteſt ſolvi ſcriptura; & merito in Evangelio reſpondens Jeſus Judæis, juſtè eos redarguit. *Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtrâ: Quia ego dixi: Dii*
Ioan. 10. v. 35. *eſtis. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt; & non poteſt ſolvi Scriptura: Vos dicitis; quia blaſphemas: quia dixi; Filius Dei ſum? quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum?*

Toties ſpecialiori modo cum ſuis diſcipulis communicaverat: Tot ſecreta illis revelaverat; Ut juſte, ſi illum non agnoſcerent Patrem ejus, illis improperare potuerit: *Loquor vobis, & non creditis: Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, teſtimonium perhibent de me.* Ecce! opera facio in nomine Patris mei, quæ nemo poteſt facere, niſi ſit Deus, & Deus cum eo; ut verè agnovit cœcus ille à Christo illumina-
Ioan. 9. v. 31. tus mẽte & corpore: *Niſi eſſet hic à Deo: non poterat facere quicquã.* Ideo optimè Salvator, quaſi admirabundus de tarditate Philippi, in credendo & agnoſcendo Patrem, reſpondet Philippo petenti, ut illis oſtenderet Patrem:
Ioan. 14. v. 9. *Tanto tempore vobiſcum ſum; Et non cognoviſtis me.* O Philippe! non habuiſti tu, & alii mei Apoſtoli, quos elegi & Apoſtolos nominavi, mei usq; nunc notitiam? Cur me ergo, relictis omnibus, ſecuti eſtis? poteratis venire in mei notitiam, per notitiam creaturarum ſenſibilium, & mirabilium, quæ feci, quaſi per ſpeculum: Quia ipſi Philoſophi, nullo lumine fidei illuſtrati, *per ea, quæ facta ſunt, cùm cognoviſ-*
Rom. 1. v. 21. *ſent Deum, eum non glorificantes & gratias agentes, inexcuſabiles facti ſunt*; Vel per immiſſionem ſpiritualium radiorũ & divinarum inſpirationum, docentẽ cauſam per effectum cognoſcere; vel per adhuc excellentiorem amori unitivo conjunctam notitiam, in mea ſchola duntaxat reperibilem, quæ eſt fidei firmæ per charitatem operantis cognitio, veritati & Deo firmiſſimè adhærens. Quid à me requiris? Viſne videre Patrem, ut ſe non manifeſtavit, clarè, Philippe? Viſio illa non eſt hujus vitæ, non eſt mortalitatis hujus; qui videt me; videt & Patrem meum, fidei, non clarę viſionis oculo. Vel, non creditis: quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Si id creditis: ſufficit vobis modò; quia non eſt alia, temporis hujus, mei aut Patris mei notitia. Ioan.

PVNCTVM I.

CONſidera primò: Quàm multi Chriſtiani inveniantur, quã multi Eccleſiaſtici & Religioſi ſint, hodiernâ die, erga quos Salvator noſter poſſet juſtiſſimè uti hac reprehenſione: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me.* Tanto tempore jam ſe dedit mundo, ut cognoſceretur, per ſuam incarnationem ſacratiſſimam, per vitam ſuam, per ſua miracula, per converſationem ſuam, per ſuam prædicationem, per exemplum ſuum, & per infinita bona, in illum finem mundo & hominibus conceſſa: At, quàm parvus inde profectus in ejus cognitione & recognitione fructus! *In* Baruch, 3. *terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus:* Verùm, quis inde in hominibus, ex ejus vitæ exemplo, & ex ejus doctrinâ, profectus? Ipſemet judices, & in veritate judices, & dicas: Si à tempore uſus rationis in te; à tempore, quo

Ecclesiasticus factus es; à tempore, quo religioni consecratus es; à tempore, quo tot vicibus ejus sacratissima carne refectus, & sanguine ejus preciosissimo recreatus ac roboratus, in sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumptione, quo tot vicibus tibi locutus est suis internis inspirationibus, & externis suorum Ministrorum exhortationibus possis dicere, quòd illum cognoveris? quòd ejus notitiam perfectam adeptus sis? Annon ergò jure hanc incurris
Ioan. 14. reprehensionem. *Tanto tempore vobiscum sum; Et non cognovistis me?*

PVNCTVM II.

COgnoscere Jesum Christum non est solùm scire, quòd verus sit Dei Filius, à Patre æterno genitus in sinu ejus ab æterno; quod homo sit in tempore factus; quòd, ut nobis vitam donaret, mortuus sit; Non est duntaxat Mysteriorum Religionis nostræ habere intelligentiam: Verùm ad Christum Jesum cognoscendum oportet, ut cognitio, quam de illo habemus, inducat nos ad illum amandum, honorandum, laudandum, & ad nos illi cōformandos & assimilandos. Quid porrò conduceret nobis illum cognoscentibus, & non amantibus? *Etenim*, inquit Apostolus. *Quando haberem omnem, ut Propheta, intelligentiam, & perfectam omnium Mysteriorum notitiam, omnemq; possibilem scientiam, charitatem autem non habeam; Nihil sum.*
ruch, 1. Hæc differentia est inter notitiam Angelorum & Dæmonum. In his notitia est simul sterilis, & inefficax: In aliis divinâ impinguata gratiâ, fœcunda & efficax; hoc est, illorum intellectum illuminans, affectum inflammans & potenter inclinans ad illum amandū, totoque corde illi serviendum, & placendum. Hæc ipsa notitia est quæ S. Philippum nostro reddidit conformē Salvatori; Et quæ effecit, ut magnus hic Sanctus, multis in vitâ suâ laboribus, pœnis, & cruciatibus toleratis, ob amorem Dei & Christi Jesu, tandem ad exemplum Magistri sui, Deo super Altare sanctæ crucis, sese obtulerit in perfectum holocaustum. Hæc ipsa est conformitas, quæ effecit, & S. Jacobus tanti æstimaretur, ut passim haberetur pro ipsomet Christo Jesu, & Messia. Ita hac amorosa ac divina verè notitia sese exercuerat, & profecerat in imitatione Magistri sui. Omnes fimbriam vestimenti ejus ex reverentia & devotione exosculari volebant. Cùm autem, brevi post ipsius Martyrium tempore, civitas Hierosolymitana fuisset capta, vastata, & prorsus eversa. Creditum ab omnibus est, id contigisse, in punitionem & vindictam passionis & mortis ejus. In tali habebatur reputatione magnus hic Sanctus? Nunc Vide, & animadverte diligenter, si notitia, quam de Christo Jesu habes, illius sit naturæ? Si te ad bona opera inducat? Si ad amorem ejus excitet? Et, si, illa inducente, motiva optes, quæras, & acceptes, quæ te ad hunc inflamment amorem, ad quem illa notitia inducit ex natura, & à quo specificatur, & dignoscitur?

PVNCTVM III.

COnsidera tertio: Tres qualitates, ac tres prærogativas, quas præ omnib⁹ aliis notitiis, cognitionib⁹ & scientiis,

entiis, amorosa Salvatoris nostri Christi Jesu habet notitia, & cognitio perfecta. Prima est: Quia est de objecto nobilissimo sine contradictione, quod habere super terram, nihil in pulchritudine, bonitate, sapientiâ, potestate, aut in ullâ aliâ perfectione & prærogativâ venit cum illo in comparationem. *Electus ex millibus; quid quæris, quod in illo non invenias? si ægrotus es: Medicus est; si exulas: dux est; si desolatus: Rex est; si impugnaris: Pugil est; Si sitis: potus est: Si alges: vestimentum est: si tristaris: gaudium est: si obtenebraris: Lux est: Si orphanus es: Pater est.* Idcircò hæc Salvatoris notitia non duntaxat est nobilissima, dignissima, & perfectissima: Sed & acceptabilior, amabilior, suavior, & animum magis confortans & recreans, quàm ulla alia mundi occupatio. Tandem, tertiò est super omnia utilissima, maximè necessaria, & unicè in Evangelio recommendata, velut sola necessaria; quæ efficit solos sanctos & beatos in Cœlo ac in terrâ. Hæc est pars optima, quam elegit Ma-

S. Bern. de pass. Dom. 14.

ria. Porrò, inquit Christus in Evangelio; *Unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solũ Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum.* Idẽ Sapiens prænunciaverat: *Nosse te, consummata justitia est; Et scire justitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Verùm; Cùm hæc notitia donum sit Dei, à solo Deo dandum & requirendum: Illam ab eo, debitâ animi demissione, & cordis humilitate require, pete, & efflagita, supplicans cum S. Augustino: Tibi ut perfectam det tui nihili notitiam ex parte unâ & omnimodam ex alterâ suæ magnitudinis, gloriæ, & Majestatis cognitionem, tribuere dignetur, ne incurras hodiernam redargutionem & reprehensionem, meritò à Domino suis factam Apostolis? *Tanto tempore vobiscum, &c.* Ea de causa illud S. August. sæpè reiterabat: *Domine Iesu noverim me: noverim te, nec aliquid cupiam, nisi hoc, ut te noverim, & me, te, ut amem; & me, ut odiam.*

Luc. 10. 42. Ioan. 17. Sap. 15.

SERMO XXX.

PRO FERIA SECVNDA ROGATIONUM.

I. Cur institutæ Rogationes? & quæ adhuc hodie serventur?
II. Quid Ecclesiasticos deceat illo tempore? Et quomodo se habere debeant in hisce Procesionibus?

Petite; & accipietis: &c. Omnis enim, qui petit, accipit: Luc. 11. v. 9.

INvitamur à Christo ad petendum, cum asseveratione infallibili, omne illud impetrandi, quod petierimus. Magnum verè beneficium Dei! Magna

Magna gratia! Indulgentia eximia! At tantæ recipiendæ gratiæ quæ putas exigitur dispositio? In hac eadem quæstione anima pia, hæsitans apud S. Bonaventuram interrogat in soliloquiis, *ô Homo*: inquit: *Dic, rogo: Qualis debet esse Dispotio, quâ ordinari debet ad impetrandum orantis affectio?* Homo, huic se non libenter implicans quæstioni, quærit effugium. *De hac*, inquit, *materiâ multum posset dici ab expertis: sed quia inexpertum me esse recognosco, etiam, pauca me dicere, erubesco. Vnde timeo, ne dicatur contra me: Quare tu enarras, quod non degustas? Quare, tanquam indignus, laudas, quod ignoras?* Anima, ulteriùs animans & excitans: *ô Homo*! ait: *Noli timere, cum reverentia & humilitate, quæ audisti, & legisti, devotè proponere: Multi enim de rebus magnis & arduis aliis utiliter proposuerunt, quod non de propria experientia, sed aliorum scientiâ didicerunt.* Hac excitatus exhortatione homo: *jam cum aliqua*, ait, *audacia loquar. Nam, vires, quas imperitia denegat, charitas subministrat*: Unde, *sicut sentio, sic refero: puto, salvo meliori judicio, si vis te ad hanc Cœlestem dulcedinem degustandam præparare; Debes esse depurata, exercita, & elevata. In primo, hæc Cœlestis dulcedo odoratur, in secundo, degustatur: & in tertio aliquando, usque ad ebrietatem, sumitur & potatur.* Primò dico, quod *debes esse depurata à peccatis, ab affectionibus inordinatis, à temporali cōsolatione, & à creaturarū inordinatâ dilectione. Secundò: Debet* (S. Bonav. in Soliloquiis.) *mens esse exercitata in bonorum operum perpetratione, & malorum perpessione*: Quia, *quos amor veritatis afficit, refectio consolationis pascit. Tertiò: Anima inebriatur mortis dulcedine: dum animus elevatur à terrenis, & miro modo, supra seipsum, supra mundum, imò supra omnem Creaturam elevatur*, non reperiens in illis creaturis, à quo possit plenè consolari, ab his ad ipsum usque divinæ Majestatis thronum erigitur. Ita humiliter & discretè, instanter & piè oravit Abraham Dominum, ut parceret Sodomis. (Genes. 18.) Per orationem ita impetravit Moyses populo veniam pro eo peccato commisso in adoratione vituli: *Reversusque ad Dominum*, ait, *Obsecro: peccavit populus iste peccatum maximum, &c. Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* (Exod. 32. v. 31.) Ita, cùm esset amaro animo Anna, oravit Dominum flens largiter, & votum vovit. (1. Reg. 1.) Ita Petrus & Joannes oraverunt pro illis de Samaria, ut acciperent Spiritum Sanctum. (Actor. 8.) Ita Apostolus Jacobus, orationem dicit, valere pro obtinenda corporali salute: *Oratio*, ait, *fidei salvabit infirmum.* (Iacob. 5.) Ita vult Christus ut petamus. *Omnis*, inquit, *qui petit, accipit*, si nimirum petat, ut oportet.

PVNCTVM I.

CONsidera primò. Etsi prima rogationum institutio S. Mamerto, Episcopo Viennensi proveniat; qui preces

preces publicas, litanias, processiones, & abstinentiã, quę tribus illis dieb⁹ observabatur, instituit, ad irãDei avertendam, & ad evitanda flagella, quæ suæ provinciæ impendere videbantur, ut refertur. *Mamertus, aliàs Mamercus, sanctissimæ vitæ, & beatissimi obitus, Viennensis Episcopus, qui usum sacrarum Litaniarum in Galliis tempore Valentiniani tertii Imperatoris, introduxit: Rogationes,* ait Gregor. Tur; *quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto, viennensi Episcopo, institutæ, dum urbs illa multis terreretur prodigiis.* Ecclesia proinde harum usum retinuit, aliis etiã mota rationibus & motivis; quæ & nos movere debent, ut hoc tẽpus sumè æstimemus, & maximè nobis recom̃endatũ velimus. Prima ratio est: Quia solenniter protestamur, quòd peccatores simus; & virtute ac merito lacrymarũ nostrarum, precum, ac supplicationũ, junctarũ intercessionibus Sanctorũ, quorum imploramus auxilium, ad obtinendam à Deo nostrorũ remissionem peccatorũ, quoad culpam, & quoad pœnam, petimus nostrorum veniam peccatorũ, & omnimodã reconciliationẽ cum Deo, &, ut illi complaceat, avertere flagella pestis, belli, famis, & aliarum miseriarum ob peccata nostra immissarum. *In multis offendimus omnis.* Egemus ideò misericordiâ Dei peccato dimittente, & gratiâ corde purificante. Altera ratio est; illum ut oremus, & humilibus deprecationib⁹ flectere conemur, imbribus suarum benedictionum fructus terræ adhuc teneros ut foveat, augmentet, & millenis subjectos accidẽtibus conservet, ac conservatos multiplicet. Tertia ratio est; Ut onere peccatorum nostrorum verâ depositio pœnitentiâ, & passionum nostrarum mortificatione possimus, alis precum & desideriorum in altum sublati, liberiùs sequi Salvatorem nostrum, proximo die suæ triumphantis Ascensionis in Cœlum tendentem; confidẽtiaque majori nobis hoc tempore necessaria petere ejus obtemperantes placitis, ubi dicit: *Petite, & accipietis: Quærite, & invenietis. Rogationes & litanias ante ascensionem Domini placuit celebrari ita, ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ ascensionis solennitate solvatur; per quod triduum servi & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat: Quo triduo omnes abstineant, & cibus quadragesimalibus utantur. Quòd Processiones per agros & campos peragantur, rationem quidem habet, nempe, quòd populus oret, ut segetes ac fruges terræ à Domino conserventur.* Ex quibus conclude, quam habeant Ecclesiastici obligationem, hosce dies bene, utiliter, & sanctè transigendi? Cùm, prætérquam quòd de propriis peccatis & reatibus eos oporteat dignam agere pœnitentiam, ulteriùs astringantur orare pro populo, ut iram Dei, castigationes, pœnas, & punitiones; quas Deus illis minatur, avertant, illi arma è manibus, ut alii Moyses, eripientes, cujus locum tenent, & munere funguntur; Dicantque cum illo, & corde humili, ac contrito dicant: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitiâ populi tui.* Dicant, & eodem Spiritu ac fervore dicant. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de Libro*

An. Christ. 452. Restituit. Sigib. An. 461. Gregor. Tur. l. 2. cap. 34.

Iacob. 3. v. 2.

Matth. 9.

Concil. Ant. 1. cap. 29. Anno 107.

Concil. Colon. 1539. p. 9. cap. 8.

Exod. 32. v. 12.

Ibid. v. 32.


S. Chrysost. homil. 10. op. imp. *Libro tuo.* Ideo *Sacerdos*, ait S. Chrys. *debet semper esse suspirans, & lugens, sive sua, sive aliena peccata, ut cõfundat eos, qui nec peccare dubitant, priusquàm peccent, nec, postquam peccaverunt, resipiscunt. Ideo suspiret & plangat, ut per hoc ostendat, quia gravis & periculosus est mundus iste fidelibus.* Quæ ut fructuosius & sanctiùs peragantur, &, ut oportet.

PVNCTVM II.

COnsidera secundo: Quid Ecclesiastici hisce Rogationum diebus facere debeant? Quæq; eorum occupatio esse debeat potissima? Primo: exactiùs, quàm cœteri Christiani, abstinentiam ab Ecclesiâ præscriptam servare debemus; Quod alias fuerit jejunium illis tribus diebus impositũ & præceptũ. *In his supplicationibus jejunatur, oratur, psallitur, fletur.* Sydon. Ap. l. 5. c. 14. Secundo: Processionibus fiendis assistere in spiritu humilitatis & veræ pœnitentiæ debemus, nos, ut victimas considerantes, propriorum, & totius populi peccatorum oneratas pondere, culpabiles coram sua divina Majestate, & omnium, quæ in mundo fiunt, criminum ac delictorum reos nos agnoscentes, dignosque omni pœna & castigatione imaginabili; Nos ea de causa in sacrificium offeramus ad omnium perfectam faciendam expiationem, constituentes nos ipsos honorificam Christo Salvatori nostro mulctam. Ita, juxta Apostoli consilium, I. Cor. 14. v. 40. *Omnia honestè & secundum ordinem fiunt.* Hæc est dispositio præcipua & specialis, quam Ecclesia in suis, hisce in Processionibus requirit Filiis. Ideo appellantur Processiones nigræ; quia spiritu & habitu pœnitentiæ, mœroris, & tristitiæ celebrandæ. Ex quo provenit, quod ipsamet Ecclesia vilibus induitur, violaceo habitu incedens. Tertio: Hæ Processiones magna sunt servandæ modestia corporis, & omnium ejus membrorum, maxime vero oculorum, ita ut nulla in incessu interveniat compressio, æquali simul incedentium servato gradu, tali compositione, quæ sit ædificatio populi secularis, exemplum & exhortatio ad pœnitentiam, devotionem & pietatem, vero interiori spiritu pœnitentiæ ad hoc adacti, qui rarus inter homines reperitur. Quarto: fiat oratio, deprecatio, & obsecratio, corde pariter & ore, in spiritu & veritate, sanctorumque suffragia fervido affectu in decantatione, vel auditione sacrarum Litaniarũ requirantur.

Hisce serio ponderatis, resolvas te ad id, quod à te Deus requirit; Quod expectat populus, quod tua exigit cõditio: & ad quod strictissima obligaris lege, voluntariè assumpta, non tibi invito imposita. Vide ergo, quo tendas? & quo tendere debeas? quis sis? & quis esse debeas? Et inde conclude, quis futurus sis? Vide, *ut in omnibus honorificetur Ministerium nostrum*, & Rom. 11. v. 13. sis acceptus Deo & hominibus: Illi mentis & intentionis puritate: His compositionis hominis exterioris honestate.

SER-



SERMO XXXI.

PRO FESTO ASCENSIONIS.

De desiderio à nobis habendo, Christum in cœlum ascendentem sequendi.

I. Cur Christus, Dominus noster, ascenderit in Cœlum?
II. Quod ardenter debeamus desiderare sequi Christum, & quæ sint hujus desiderii notæ?
III. Quid sit Cœlum.

Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, Actor. 1. v. 9.

Tibi ob oculos ponas & repræsentes Dominum nostrum Jesum Christum, Cœlum ascendentem, sanctissima Matre ejus, & discipulis spectantibus summâ cum admiratione & gaudio; Ubi ab æterno Patre, ab Angelis & omnibus Cœlicolis magnifico triumpho, suis meritis digno, recipitur & excipitur, ut stabiliat ibi mansionem suam, & regnum suum, cujus non erit finis. Hunc triumphum Salvatoris tibi ob oculos ponas, & cogita, quid te oporteat facere, ut illius triumphi suo tempore particeps esse queas?

PVNCTVM I.

Considera primo, cur divinus ille Salvator, ita adhuc necessarius hominibus in terrâ, illam nihilominus, Cœlos ut ascendat & repetat, deserit? Verum quidem est, & nulla ratione in dubium revocandum, id contigisse, partim ut iret parare nobis locũ, quem nobis, effusione sui sacratissimi sanguinis, promeruit; juxta promissum ab ipsomet factum: *Vado, vobis parare locum*; *Ascendit*, loquitur Propheta, *pandens iter ante nos.* Christus ergo ascendit, ut pararet nobis locum, viam nobis panderet, iter ostenderet; &, quo nostra tendere deberent desideria, doceret. Ascendit & ex aliâ parte, ratione & causa, noster ut esset apud Patrem Advocatus, causam nostram ageret, *ut appareat vultus, Dei pro nobis.* Hanc agnovit veritatem Aquila Evangelica, *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* Hoc

Ioan. 14.
Mich. 2. v, 13.
Hebr. 6. v. 24.
1. Ioan. 2. v. 1.

Ioan. 16. Hoc ipse Salvator repromisit. *Ego rogabo Patrem pro vobis.* His non obstantibus fuit & alia ratio, eaq; principalis & maximè intenta, ut corde à terra & à terrenis abstracta ad Cœlestia elevarentur, ardenti Cœlum desiderio concupiscerent. Desiderio; quod, ut loquitur Apostolus; ingemiscere facit Sanctos, in expectatione tantæ hujus felicitatis.

Rom. 8. v. 23. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem Filiorum Dei expectantes Redemptionē corporis nostri: Spe enim salvi facti sumus.* Nam, *& , qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus, gravati.* Desiderio; quod inter omnes miserias, quæ hac in vita affligunt & cruciant, illos reddit jam felices in spe.

Deut. 22. v. 1. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas:* Ita Christus sua Ascensione omium suorū excitat corda, animosq; ad Ascensiones disponendas in valle lacrymarum in loco, quem posuit. Ut *ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Ut cum Apostolo dicere & verè dicere queant: Phil. 1. 21. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et alibi. Philipp. 3. v. 8. *Omnia arbitratus sum, ut stercora ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est; sed illam, quæ ex fide est, Christi Iesu;* in quo renasci oportet, operari, crescere proficere, perseverare & consummare, ac tandem glorificari Unde sapiens: *Initium,* inquit, *Sapientiæ est verissima disciplinæ concupiscentia.* Gaudeas ergò, cum illo, de suo pariter & tuo triumpho, illique, quas potes, maximas persolve gratias. Requiras ab eo, te ut custodiat, ne, illum amittas. Supplices, & tuus sit apud Patrem Advocatus, tuumque cor abstrahat ab omnibus mundanis, inferioribus, & terrenis, mansionem in Cœlis ut invenias. Hoc enim desiderium totus fructus est, quem ex hoc sanctissimo Ascensionis Domini Festo haurire debemus.

PVNCTVM II.

CONsidera secundo: Quæ illæ sint notæ, ex quibus innotescat veraciter, an illud præmemoratum habeatur desiderium? Prima est, qua vilipenduntur omnia hujus mundi bona; qua res omnes inferiores habentur, ut indifferentes; Divitiæ, voluptates, honores terreni, & hujus mansionis, comparatione illorum, quæ in Cœlo expectantur, nihiii æstimantur; *Sicut dicitur: nisi credideritis, non intelliget* e *Sic, si non desideraveritis, non perfectè amabitis.* Altera est: desiderare ardenter, crescere in virtutibus, & in via perfectionis progressus facere, ac currere, brabeum ut comprehendatur. S. Bern. Epist. 18. Tertia est, qua quis de die in diem laborat, omnes occurrentes & obviantes difficultates viriliter superans, pœnas omnes in via reperibiles magnanimiter patiens, ea persuasione, quod bona æterna non acquirantur, nisi magnis laboribus, magnis superatis difficultatibus; Apostolo Sancto propriis id verbis asserente: *Oportet nos per multas tribulationes intrare in Regnum Cœlorum;* Actor. 14. Quod

jam

jam olim per Psalmistam prænuntiatum fuit: *Qui seminat in lacrymis, in exultatione metet.* Si Christum pati oportuit, & ita intrare in gloriam suam: Illi, qui cupiunt ei conformari in glorificatione, oportet ut & illi conformentur in passione; quod Princeps Apostolorum expressit egregiè: *Communicantes*, inquit, *Christi passionibus*, *gaudete*; *Ut in revelatione gloria ejus gaudeatis exultantes.* Eo tendit exhortatio Sanctæ illius matris. *Nate, nate, Cœlum suspice, memento æternæ vitæ, & ibi regnantem intuere: Tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* Recognosce nunc; quomodo te tuumque erga mundana affectum experiris? Quanti illa facias? Si non ardenter illa quæris & desideras, quomodo ergo non pateris contrarietates tibi in via virtutis obvenientes? Si sæpe hanc recogites æternam gloriam tibi præparatam? Si æquè, quamvis recogites rem aliam, quis dicere poterit, quid desideres? & quod Cœlum speres? Et si adhuc excitantia motiva ad hoc desiderium requiras, rumina subjuncto.

Psal. 125. v. 5.

1. Petr. 4. v. 13.

S. Synra. 2. Macc. c. 1. v. 28.

PUNCTUM. III.

Considera tertiò: quod cœlum Regnum sit Dei, quod nobis promissum est, ut in eo regnemus, Reges ipso facto constituti: In eo enim omnes, qui vivunt, Reges sunt, hæredes & possessores regni. Ibi invenimus omnium desideriorum complementum. Locus est, in quo omne nostrum residet bonum; In quo totus noster est Thesaurus; & omnis spes nostra evacuabitur; Dum in re totum erit in possessione, quod fuit & esse potuit in spe & expectatione. De illo loquens Psalmista; *Pro nihilo*, inquit, *habuerunt terram desiderabilem*; Et in Apocalypsi: *Redemisti nos, & fecisti nos Deo nostro regnum*; quod confirmat Sapiens. *Accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini*; Cui subscribens S. Petrus: *Percipietis*, ait, *immarcessibilem æternæ gloriæ coronam.* Si pro hujus vitæ bonis, etsi minimis, caducis, & transvolabilibus, tantus labor impenditur, tales adhibentur conatus: Quis non labor impendendus est? Qui conatus adhibendi sunt, pro bonis vitæ alterius acquirendis, quæ immensa, inæstimabilia, & æterna sunt? Et si homines laborent, se fatigent, & inquietent ad illud, quod intra paucos annos, dies paucos, aut paucas horas, vel intra momentũ amittent, vel amittere debent: Paradisum pro nihilo acquirere, aut habere posse putamus? *Si tanto labore, tantis impendiis, tanta cura agitur, ut aliquantò plus vivatur: Quomodo agendum est, ut semper vivatur? Si quotidie*, idem loquitur, *oporteret nos tormenta perferre, si gehennam ipsam parvo temporo tolerare, ut Christum videre digni essemus, venientem in gloria, &c. Nonne erat dignum, pati omne, quod triste est, ut tanti boni participes haberemur?* In quem sensum exclamat optime Salvator, stultitiam hominum ostendens admirandam simul fugiendam: *ô stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne, hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

Psalm. 105. v. 24.
Apoc. 5. v. 9.
Sap. 5. v. 17
1. Petr. 8. v. 8.

S. Aug. Serm. 64. De vero Dom.
Idem Serm. 2. 37. 44. de Sanctis.

Luc. 24. v. 25.

SER-

SERMO XXXII.

PRO OCTAVA ASCENSIONIS.

De Dispositionibus ad Festum Pentecostes, ad Exemplum Apostolorum.

I. Quàm sit necessarium, se bene disponere ad Spiritum Sanctum recipiendũ?
II. Quam Apostoli hunc in finem fecerint Dispositionem?
III. Quales nostræ Dispositiones esse debeant?

Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, &c. Act. 2. v. 1.

APostoli dignè ad Spiritus Sancti receptionem se dispposituri, scientes, illum Spiritum esse Spiritum pacis, veritatis, & concordiæ, remanent pariter, hoc est, unâ intentione, uno desiderio, unâ animi dispositione, in eodem loco, non duntaxat incolatûs corporalis, sed & mentalis, & perfecta ad unum intentionis, congregati in eodem loco; quorum conversatio jam erat in Cœlis, cum Christo jam regnante in dexterâ Patris. In illo enim omnem suam reposuerant fiduciam, ab eo admoniti de hoc & edocti; Luc. 12. v. 32. *Nolite timere, pusillus grex. Quia complacuit Patri vestro, dare vobis Regnum. Dominus* enim *Sabaoth venit, non in multitudine: sed in paucis*; Et vos quidem crescere, ò Apostoli Christi, & amici Dei! oportet, & illos, qui vos persequuntur, & persequentur, minui: Qui etiam declinant manifestissimè in defectum. 1. Cor. 1. v. 28. *Ille, qui vocat illa, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt; Ille, qui infirma eligit, ut confundat fortia*; Ipse, ut reprimeret superbiam Moab, vos in suo nomine Benedicto congregavit. Verbum autem ejus est; *Ubi duo, vel tres congregati sunt in nomine meo: Ibi ego sum in medio eorum*; Matth. 18. v. 2. Testimonio Prophetæ: Psalm. 132. v. 1. *Bonum est, & jucundum, habitare fratres in unum.* Sed non est in unum habitare; nisi sit in vobis. O Apostoli Sancti! Unio voluntatem, quæ vos unâ vocatione vocavit, unâ societate univit, unâ habitatione congregavit, uno voto Deo astrinxit, constantia una in oratione perseverare facit. Vos, quibus unicum & præcipuum votum est, initiandæ & fundandæ Ecclesiæ, & jam in vobis, velut fundamentis, assurgentis, videre profectum; certissimè noveritis, quòd non nisi per unitatem habitura est incrementum: In unitate habebit ortum, in unitate progressum reperiet & fructum: In unitate etiam complebitur. Nam in cubito uno consummata est arca: Unus Spiritus, una fides, unum Baptisma. Hæc tria Ecclesiã fundant. In eo nempe, de quo scriptum est: Deut. 6. v. 4. *Audi Israel: Deus tuus unus est:* Diliges Dominum Deum

Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ. Hujus beneficio unitatis proficit Ecclesia in melius, & consummat feliciſſimè. Ab eo enim incipit; In eo proficit, & ad eum tendit, & finaliter redit, in illo conſummanda æternaliter permanſura in omnibus, ſolius unitatis privilegio. Legitur enim, quòd *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; Et erant eis omnia communia.* Hanc unitatis gratiam S. Paulus in ſe, & in aliis nutriebat: *Omnibus*, inquit, *omnia factus ſum, ut omnes Chriſto lucrifaciam.* Hanc in alios derivare cupiens: *Rogo vos, fratres, ait, ut idipſum ſentiatis; & non ſint in vobis ſchiſmata.* Petrus Apoſtolus eadẽ ductus affectione, & ſollicitudine: *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobis charitatem habeatis.* Hac unitate congregati Apoſtoli erant pariter in eodem loco, expectantes Spiritum Sanctum.

Act. 4. — 1. Cor. 9. v. 19. — 1. Cor. 1. v. 10. — 1. Petr. 4. v. 8.

PVNCTVM I.

COnſidera primò: Quòd neceſſarium ſit, ſe bene diſponere, ad Spiritum Sanctum recipiendum hoc proximo Feſto Pentecoſtes. Primo ex eo, quod, hujus defectu præparationis, privatur quis gratiis Dei, quæ hoc die communicantur abundantiùs, quàm in ullo alio. In quo illud Propheticum verificatur: *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Secundo: Quod illo die homines facti ſunt Filii Dei adoptivi, gratiâ & charitate media, quæ per Spiritum Sanctum diffuſa in cordibus noſtris; Quæ dignitas tanta eſt, quam S. Joannes exprimere non potens, nimiâ quadam captus admiratione, contentus eſt dicere: *Videte! qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus? Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet Filium, & homo Deum nuncupet Patrem.* Tertio ex eo, quod Feſtũ hoc ſit quaſi anniverſarium naſcentis Eccleſiæ, cujus membra ſumus: Quo lex Chriſtiana promulgari incepit, & obligare eos, quibus annunciata fuit ac promulgata. *Quid*, ait S. Ambroſ: *honorificentius Imperatori, quàm ut Eccleſiæ Filius dicatur? Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eam. Appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* Et alio in loco loquitur eadem ſcriptura: *Multi eorum, qui audiebant verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorũ quinque millia.* Tandem magna ex eo capite ad hanc Feſtivitatem requiritur diſpoſitio. Quod is, quem nos recipere oportet, ſit Deus. *Deo præparatur habitaculum: non hominibus.*

Ioel. 2. v. 28. — S. Leo, Serm. 6. de Paſch. — S. Ambroſ. orat. in obitu Theod. — Ierem. 31. Hebr. 10. v. 16. — Act. 2. v. 41 — Act. 4. v. 4 — 1. Paral. 29

PVNCTVM II.

COnſidera ſecundo: Quales SS. Apoſtolorum fuerint præparationes, ut Spiritum Sanctum reciperent? Hoc S. Lucas nos decet in actis Apoſtolorum: Quod omnes Apoſtoli in unum congregati in Cœnaculo perſeverabant in oratione continuâ, unâ cum virgine ſanctiſſima Matre Dei. *Et cùm*, inquit, *introiſſent in Cœnaculum, aſcenderunt, ubi manebant Petrus & Ioannes, &c. Hi erant perſeverantes in oratione, cum Mariâ Matre Ieſu, & Fratribus ejus.*

Act. 1.

Tres hiſce verbis excellentes notantur diſpoſitiones, quas adferebant Apoſtoli. Prima fuit: Receſſus, quo retrahuntur à deambulationibus, & diſcur-

discursibus per vicos, per plateas, per civitatē universam, & à visitationibus inutilib⁹, reclusi in domo & habitatione sua. Quo etiā ab omni abstinebant in ipsa domo non necessario hinc inde discursu, permanentes quiete possibili in unâ camerâ unanimiter cōgregati in uno Spiritu, & orationis fervore. Intendebant enim, ad interiora, & spiritualia pervenire: ideò à turba cum
Lib. 1. de imit. c.20. Jesu declinabant: Nam, *qui intendit*, inquit devotus Thomas à Kempis, *ad interiora & spiritualia pervenire: Oportet eum cum Iesu à turba declinare*: Illo denique Recessu retrahebantur ab omni cogitatione vanâ ac inutili, ab omni affectione carnali, & omnium rerum creatarum desiderio, in cubiculo cordis orabant Patrem in abscondito, omnes suas cogitationes ad Deum dirigebant; Illi adhærere soli cubiebant; se & ipsum solum, S. August. exemplo, cognoscere optabant; Divino per Psalmistam promulgato consilio obedie-
Psalm. 45. bant; *Vacate*, inquit, *& videte: quoniam ego sum Deus: Exaltabor in gentibus, exaltabor in terrâ*; Voci Domini & Magistri sui obtemperabant, qui illos, post labores, invitaverat in desertum
Marc. 6. v. 31. locum, ut requiescerent: *Venite*, ait, *seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum*. Illi intendebant soli, qui
Psalm. 67. v. 7. *habitare facit unius moris in domo*. Altera Apostolorum præparatio & dispositio ad Spiritum Sanctum recipiendum fuit: Fraterna unio, & unitas eos affectu, corde, & animo ita uniens, ac constringens, ac si habitatione unâ, unâ domo, ac cubiculo uno forent uniti ac constricti, ita ut modò queat dici de primis his Christianis & Christianorum primitiis; quod post dictum est de multitudine omnium conversorum: *Multitudinis credentium* Act. 4. v. 32.
erat cor unum, & anima una. In eo perfectè adimplentes desideriū Christi Domini ipsis alias in Evangelio expressi: *Vt omnes unum sint; sicut tu* Ioan. 17. v. 21.
Pater, in me, &. Ego in te, ut ipsi in nobis unum sint. Invenit eos concordes in charitate. Ex quibus sequebatur tertia dispositio, quæ fervida est oratio, continua, non intermissa; in Cœlum ad Deum directa. Dubitarent licet minimè ex promissione sibi facta à Christo, de mittendo Spiritu Sancto. Hujus desiderio Propheta excitatus. *Os meum*, ait, *aperui, & attraxi Spiritum*. Quia *mandata tua quæsivi*: quia *mandata tua desiderabam*. Et alibi: *Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis ejus cupit nimis*.

PVNCTVM III.

CONsidera tertiò: Hoc imitantes Prototypon, ad recipiendum Spiritum Sanctum, has præmemoratas oportet nos adferre tres dispositiones, & præparationes, quas Apostoli habuerunt, & practicarunt. Prima est: Recessus. Nemo porro capax esse potest familiaritatis divinæ, qui non fuerit abstractus omninò à negociis mundanis & affectib⁹ terrenis. Ad hūc anhelans Psalmista. *Quis*, inquit, *dabit mihi* Psalm. 54. v. 5.
pennas, sicut columbæ: & volabo, & requiescam? Ecce! elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Altera est: Unanimitas, unio & charitas, qua nulli nocere quærimus, verùm magis prosse, omnibus favere, & præstare bona, quantum possumus. Dei & Christi Domini ac Salvatoris mandatis obse-

Ioan. 13. v. 34. obsequentes: *Mandatum novum*, ait, *do vobis, ut diligatis invicem; Sicut dilexi vos, & ut vos diligatis invicem. Vt à carnali dilectione distingueret; addidit*, inquit S. Aug. *sicut dilexi vos*. Tertia est: Oratio: Etsi enim Deus verè pius, verè misericors, ita bonus sit, nobis ut det, & dare possit Spiritum Sanctum, sine eo, quod illum petamus, aut nostris efflagitemus precibus; & quod omni nostro conatu, prece & supplicationibus illum nulla ratione mereri possimus: Vult nihilominùs speciali dispensatione, ut illum magnis precib⁹ instantia magna, & constanti perseverantia petamus & efflagitemus, mane, vesperi, & meridie, in initio omnis actionis, in progressu ejusdem & in termino. *Dabit spiritum bonum petentibus se.* Ideo *erant perseverantes in oratione. Oportet orare semper.* Videas modo: Qua ratione hunc recessum practicare queas, quo reipsa diebus quibusdam septimanæ retractus & abstractus ab omnibus externis rebus, & negociis, tibi ipsi redditus, queas seriori indagine te tuumque hominem interiorem examinare, rescissis minus necessariis conversationibus, solito silentiosior, minùs quam aliâs, tradens te exteriori conversationi, ubi tandem, & si semper agere oporteat, coneris, semper, minori agere anxietate, & naturali, seu sensuali ad id, quod agis, adhæsione, *Vbi zelus* enim, *& contentio: Ibi inconstantia, & omne opus pravū*. Ex quibus consequenter animadvertes facilè, an hanc habeas charitatis unionem cum omnibus, excluso nemine? Si invidia, æmulatione, aut adversus quempiam aversione labores? Si monito Principis Apostolorum obediens, fraternitatem diligas? Fraternitatem, dico, diligas fundatam in charitate? *Sicut servi Dei omnes honorate: Fraternitatem diligite: Deum timete. In hoc cognovimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit: Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et tandem: Quas preces fundere intendis? Meliores, pulchriores, aut efficaciores non invenies, aut invenire poteris; quam illas, quibus Sancta nostra mater Ecclesia utetur hoc sanctissimo tempore: ut: Veni creator: Vel veni Sancte Spiritus. Hisce, & similibus utaris, vocē crebro & mentem in his excites & exerceas. Lumina & vota in cœlum eleves, & dirigas frequentibus jaculatoriis precibus ac brevibus aspirationibus; Regium Prophetam imitans, dicas, corde & ore, verbo, & animo: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Spiritum Rectum tuum innova in visceribus meis: Spiritu Principali confirma me. Insiliat in me Spiritus tuus, ut muter in virum alterum.*

Margin notes: S. Aug. Tract. 6. 65 in Ioan. — Luc. 11. — Act. 1. v. 14. — Luc. 18. v. 1. — Iacob. 3. v. 16. — 1. Petr. 2. v. 17. — 1. Ioan. 3. v. 16. — Psalm. 103. v. 30. — Psalm. 50. v. 12. & v. 14. — 1. Reg.

SER-

SERMO XXXIII.

PRO DIE S. PENTECOSTES.

De proprietatibus Spiritus Sancti per ventum, & per ignem figuratis.

Actor. 2. v. 2.

I. Apostolis dispositis ad Spiritum Sanctum recipiendum.
II. Spiritus Sanctus descendit, quasi ventus, & ignis: Et cur?
III. Notæ cognoscendi: An Spiritum Sanctum hoc festo receperimus?

Dum essent in unum discipuli congregati, factus est repentè de Cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, Actor, 2. vers. 2.

DUm essent in unum congregati uno spiritu devotionis: una orationis intentione, unâ animi humilitate, unâ divinarum sibi collatarum gratiarũ excitati recognitione, suæ indigentiæ ulterioris moti perfectâ agnitione, firmâ à divinâ beneficentiâ impetrandi fiduciâ firmati, perseverantes unanimiter in hujusmodi virtutum exercitiis, perfectam orationem, & animorum unionem perficientibus; *Factus est repentè sonus tanquam Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Deus enim non procrastinat dare, quod ab eo petitur debitè, & perseveranter. Ideo Apostolis, debitè & perseveranter petentibus, repentè, sine morâ, sine dilatione, in momento, factus est sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, quam requirebant Apostoli, pro quo rogabant & supplicabant. *Actor. 2. v. 2.*

Debet oratio esse devota, ut non remisse petatis. Quicquid petieritis piè & perseveranter pro vobis: Dabitur vobis statim, vel post, inquit Blesens. Oratio porrò ex charitate perfectâ, debita animi submissione concomitata procedens, non fraudatur à desiderio suo, similis odoribus in phialis aureis, thuri & sacrificio vespertino. Ita Propheta orabat: *Dirigatur,* inquit, *oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo: Elevatio manuum mearum, ut sacrificium vespertinum. Dirigatur, sicut incensum,* ait: Quia oratio sursum it, & cœlestia quærit, & Deo suavissimi odoris sacrificium est. *In phialis Aureis:* quibus significatur, non solùm gratas esse orationes, & suaves, sed etiam maximè precii apud Deum. Significatur *Serm. 44.* *Apocal. 5.* *Psal. 140. v. 2.*

etiam,

etiam orationes ex charitate, quæ in auro intelligi solet, debere procedere. *Dirigatur*, id est, quemadmodum gratissimum tibi est thymiama super Altare aureũ intra sancta tibi incensũ: Ita & oratio mea, quæ, incẽsi instar, ex corde meo evaporat, tibi placeat, ut, quod peto, impetrem. *Elevatio manuum mearum ut sacrificium vespertinum, tibi acceptissimũ & efficacissimũ ad impetrandum. Illud sacrificium vespertinum*, ait S. Aug. est: *Passio Christi, Crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo, oratio purè directa de corde fideli tanquam de arâ sancta surgit incensum. Nihil* est ergò *delectabilius odore Domini: Sic oleant omnes, qui credunt.* Ita certè Apostoli in unum congregati, oratione purè directa, de corde fideli & charitate inflammato, tanquam de ara sancta incenso surgente, delectabilissimo Domini odore, impetrarunt à Domino infallibilissimè & citissimè, quod fidelissimè petebant & instantissimè. Ut ipso sacro textu exprimitur, & clariùs deducetur ex subjectis.

S. Aug. in Psalm. 140.

PVNCTVM I.

PRæfigures, imagineris, & tibi objicias; Quasi fores, in illâ magna aulâ, in societate sanctissima beatissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ & Apostolorum, qui unanimiter, uno desiderio, affectione unâ, & uno voto, à decẽ jam diebus, adventum Spiritus Sancti præstolantur, & vehementer expectant, se omni possibili diligentiâ & sollicitudine disponentes, ad illum dignè recipiendum, orationibus, jejuniis, recollectionibus, suspiriis, & continuis precationibus. Et transiens siste gradum paululùm, & considera: Quales tu præparationes, quales recessus, & elõgationes à tumultu mundano, & à mundo elegeris? Quales preces fuderis eum in finem? Spiritus porrò Sanctus, nõ se dat, aut communicat, nisi puro cordi, ad illum recipiendum parato. *Invenit corda discipulorum, receptacula munda, & tribuit eis charismatum dona.*

PUNCTUM II.

COnsidera secũdo: Ut hora prævisa à Deo & determinata, suum mittendi Spiritum, & effundendi illum in fideles universos advenit: Ecce! sine dilatione, omni ruptâ morâ, in momento, descendit, quasi ventus vehementissimus & apparuit, velut dispertitæ linguæ, tanquam ignis, & linguæ ignitæ singulorum capitib⁹ insidentes, testante Scriptura. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum, qui tunc aderant præsentes.* Has omnes circumstantias bene pondera, & accuratè cõsidera. *Factus est repentè de Cœlo sonus:* Ea de causa, quod Spiritus Sancti visitationes horis, diebus, aut tempori non sunt alligatæ; fiunt, quando vult: nos ut obliget, semper esse paratos. *Spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis: sed nescis, unde veniat, aut quò vadat?*

Actor. 2. v. 5.

Ioh. 3. v. 8.

Venit tanquam sonus advenientis Spiritus vehementis. Qua ventus refrigerat, & separat triticum à paleis. Spiritus Sanctus ardores concupiscentiæ mortificat, & animam à minimis suis emundat maculis & sordibus. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & emundabit aream suam. Venit quasi dispertitæ linguæ.* Et enim lingua facit discernere inter

Matth. 5.

inter dulce & amarum: Ita Spiritus Sanctus discernere facit inter bonum & malum; Cœlestia nobis dulcescere faciens, & terrena amarescere. Illud
Ezech. 36. v. 24. nobis per Prophetam innuens: *Effundam*, ait, *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* At linguæ hæ sunt ignitæ; ut ostendat; sicut ignis, ultra hoc, quòd illuminat, & inflammat, lucet, & ardet, maximæque sit inter omnia elementa activitatis & efficacitatis: Ita anima, Spiritu Sancto adveniente, non duntaxat illuminatur, & inflammatur, verùm, ne momento quidem, ociari potest à bono necessario; sicut ignis abscondi nequit: Ita anima sancto animata spiritu, in occulto abscondi non potest: sed se continuò manifestat & ostendit in opere bono. *Nescit* porrò, teste S. Ambr. *tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Ita hodiernâ die Apostoli, cœlesti illo repleti igne, & illo inebriati musto, quod per Prophetã promiserat: *Et erit in novissimis diebus* (*dicit Dominus*) *effundã de Spiritu meo super omnem terrã. Et prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: Et juvenes vestri visiones videbunt, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Illo porro Apostoli igne accensi se continere non poterant, ne ad momentum quidem; Verùm continuò inceperunt prædicare, veritatem audacter annunciare, promulgare fidẽ Jesu Christi, coram illis, qui illum condemnaverunt, crucifixerant, & morti tradiderant, imperterriti, velut *Boanerges, id est, filii tonitru.* Siquidem, quasi fulmen emittens, omnes perterruit,

Ioel. 2. v. 28. Esaia. 44. v. 8. Act. 2. v. 17. Act. 2. v. 4. Marc. 3. v. 17.

Petrus, dum in hæc verba ore imperterrito prorupit: *Viri Israelitæ, audite verba hac: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis. Hunc, definito Consilio, præscientiâ Dei, traditum, per manus iniquorum, affligentes, interemistis.* Ita illa animositate loquebantur Apostoli, regnum Diaboli subjugantes, de inferno triumphantes, mundum vincebant, confundebant, & convertebant: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Quis non obstupesceret, illos, qui paulò antè, nimio terrore percussi, se continebant in abscondito, in Angulis particularium domuum, modo, Spiritu Sancto recepto, accensos fervore ejus & zelo, Evangelium in omnes terræ partes deferre, fidem & notitiam, ut ad salutem necessariam, hominis & Dei simul crucifixi, annunciare omnibus, & legem gratiæ promulgare?

Act. 2. v. 23. Psalm. 19. v. 18.

PVNCTVM III.

CONsidera nunc tertio: Si habeas, nõ dico plenitudinem cum Apostolis Spiritus S. & divini hujus fervoris? Verùm, si habeas portionem vel minimam. Effectus ejus notæ sunt illius: *Vbi Spiritus est, operatur magna; Vbi renuit operari, non est*; ait S. Gregor. Eheu! quomodo ires tu, & annunciares veritatem, prædicares, ut Apostoli, hominibus, qui te irriderent? Populus, qui te persequerentur? Gentibus, qui te morti traderent? Cùm vel minimum non possis pati verbum tibi adversativum, aut contrarium? Quomodo fungi munere velles Apostolico; cùm nondum audeas, palàm nomine

intitulari, Christiano? Molestum tibi est, tuis in conversationibus, in hominum societatibus, vel unum proferre pietatis verbum, unum ædificationis dare signum, unam reprimere blasphemiam, redarguere unũ palàm peccantem: ita & vel minimam pati irrisionem. Ita, adhuc ante adventum Spiritus Sancti, clausis foribus, congregati erant Apostoli, *propter metum Judæorum.* Et *Ioseph ab Arimathia, discipulus Iesu, erat occultus, propter metum Iudæorum.* At jam accepto Spiritu S. dum videmus, quòd viri, numero duodecim, in naturæ donis ita malè provisi, omnibus destituti commodis temporalibus, nullis Regum, Principum, aut potestatum hujus seculi suffulti favoribus, imò omnibus sibi adversantibus, soli Dei adjutorio fidentes, totum ad Christum convertere & attrahere mundum? Nunquid nota hæc evidens est, nos Spiritum Sanctum non recipisset? parùm nos de Spiritu Dei participare, cùm numerus jam Ecclesiasticorum & Prædicatorum penè innumerabilis non sufficit, vel reliquum, quod parùm restat, populorum convertere, & ad Christum attrahere, qui sufficere deberet ad mille, imò innumerabiles mundos covertendos? Longè jam absumus à fervore Apostolico: non, ut Apostoli, solo Dei agimur Spiritu. *Si omnes essemus hujusmodi: Quot terrarum orbes attrahere & ipsi possemus?* Nempe *in reliquis artibus centum simul pueros unus docere sufficeret: Hic autem cum plurimi Magistri sunt, atque ideò discipuli longe plures esse deberent: Nullus tamen accedit, nullus attrahitur, quippe discipuli semper Doctorum vitam intuentur.* Verùm: Quid mirum? Cùm adferantur formales oppositiones huic divino contrariantes Spiritui; per secretas & nimias adhæsiones ad commoditates proprias, ad voluptates carnales, ad delicias transitorias, animos mentesque pervertentes, per inordinatam ad bona terrena, ad vanos honores, & ad dignitates mundanas cupiditatem, ac per continuam Spiritus dissipationem, & animi perpetuam divagationem, quæ omnes dispositiones ad recipiendas gratias & Charismata divini hujus Spiritus, qui sibi complacet, solùm in silentio, ac secreto cubiculo cordis, impediunt. *Perversæ* siquidem *cogitationes separant à Deo:* quoniam *in malevolam animam, non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate.*

Ioan. 20. v. 19.

Ioan. 19. v. 38.

S. Chrysost. hom. 10. in 1. Timoth.

Sap. 1. v. 4.

Purifices ergò animam tuam, cor tuum, & affectionem à Spiritu mundano malo, & omnibus inordinatis ejus appetitibus & desideriis. Mundus enim, testimonio Veritatis Spiritum Sanctum nequit recipere: *Mundus non potest eum accipere quia non novit eum, nec scit eum.* *Ioan. 14. v. 17.*

SER-

SERMO XXXIV.
PRO FERIA SECUNDA PENTECOSTES.
De charitate à Spiritu Sancto infusâ, in suo in animam adventu.

I. Cur Ecclesiâ nobis hodiernâ die hoc proponit Evangelium?
II. Quinq; veri amoris notæ.
III. Media ad illum comparandum.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: Joan. 3. v. 16.

SIc Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. At quomodo daret? Ut filium suum unigenitum daret, in Redemptionem & salutem mundi; Ut, ejus in mortem damnatione, mundus ad vitam revocaretur & ad salutem. Dedit se Pater in mundi creatione, dum hominem fecit, ad imaginem & similitudinem suam: Dedit filium in redemtione generis humani. Dum homo factus mortem subiit, ut hominem vivificaret. Dedit & Spiritum Sanctum, in ejusdem sanctificatione. Dum illum misit in mundum, ut illum sanctificaret. Ita Deus, & tota sanctissima Trinitas dilexit mundum. *Deus, qui dives est*, inquit Apostolus, *in Misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & convivificavit nos in Christo*; qui eramus mortui per peccatum primi Adami, per meritum secundi Adami convivificati sumus: Quoniam quidem *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. Omnis* enim, *qui credit in eum*, & ut fides docet, amat eum, e q; servit, *non perit, sed habet vitam æternam.* Non porrò sola *fides* salvat, quæ *sine operibus mortua est. Non misit Deus Filium suum* in primo adventu suo, *ut judicet mundum, sed, ut salvetur mundus per ipsum.* Si autem mundus tantam salutem non receperit, sibi in primo Christi adventu oblatam, inveniet in secundo adventu, qui eum judicabit & condemnabit. Hoc innuit Apostolus ad Hebr. *Quomodo nos, inquit, effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* ac si dicere vellet: nullo modo effugere poterimus. De hac salute loquens Dominus per Prophetam. *Orietur*, inquit, *vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*, id est, justus, seu verus, nempe Christus, non ad eos excœcandos, & affligendos, (ut impiis continget) sed ad eos vivificandos, illuminandos, recreandos, ac plene sanandos & salvandos. *Sanitas* enim, salus, & perfecta felicitas est in pennis

Genes. 1.
.1. v. 4.
2. 14.
.3 7.
1 Cor. 15. v. 22.
Hebr. 2. v. 3.

ejus, seu aliis, id est, in radiis ejus. Nam; ut horum claritate fugantur tenebræ; calore verò plantæ & animalia vegetantur, sanantur, recreantur, reviviscunt: Ita odoribus gloriosis, & gloriâ beatificâ, quasi radiis solaribus, à Christo Judice in omnes justos emittendis, perfectè sanabuntur, tum corpora, tum animæ illorum; inquit S. Hieronym. Cyrillus, Theodoretus, Lyranus, & alii, citati apud Tirinũ. Ita planè Deus dilexit mundum, & salutem ejus; Ut in Decursu clariùs innotescet.

PVNCTVM I.

COnsidera primò: Quòd Sancta Mater Ecclesia, nobis hodiernâ die hoc proponens Evangelium, docere nos cupit, quòd illi, qui Spiritum Sanctum receperunt in Festo Pentecostes, & qui divino hoc regenerati sunt igne, singulari exardescere debent amore in illũ, qui tanto in eos exarsit amore: Amor quippe compensari dignè non potest, nisi amore.

Vis ergo cognoscere & experiri, hoc magnæ solennitatis Festo, si Spiritum Sanctum receperis? Vide, & maturè considera, si spiritu vivas charitatis? Si spiritu ducaris amoris? si, illo impulsus, agis? si illo feraris? *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. Ioannes quidem*, inquit Christus, *baptizavit aquâ: Vos autem Baptizabimini Spiritu Sancto.* Illo Spiritu baptizatus es, si illo vivas. Aliàs vide, ne sis de eorum numero, discipulorũ, qui ne quidẽ audiverant. An esset Spiritus Sanctus? *Dum interrogarentur, si accepissent Spiritum Sanctum credentes?* At illi *responderunt, dicentes: Sed neq; si sit Spiritus Sanctus? audivimus.* Et tu, quid tali interrogationi responderes?

Rom. 8. v. 14.

Act. 1. v. 5.

Act. 19. v. 2.

Quid de Spiritu Sancto percepisti? Quid experiris? Credas, & firmissimè teneas, nullâ ratione dubitans; *Solum est charitatis donum, quod dividit Filios salutis & civitatis Ierusalem, à Filiis perditionis æternæ. Hoc donum autem ut agnoscas, pondera sequentia.*

S. Aug. 15. de Trinit. cap. 18.

PVNCTVM II.

COnsidera secundo notas veri amoris, quem in nobis Spiritus Sanctus causat, producit, & conservat, quæ sunt: Primo: Nihil facere, sive magnũ, sive parvum, quod Deo displiceat; nihil in mundo malum æstimando, nisi peccatum. *Omnis* enim, *qui natus est ex Deo, non facit peccatum:* Quia, *qui timet Deum, nihil negligit.* Secundo: Omne illud solum exequi, quod illi placere putatur, purè ob ejus amorẽ & respectum illi debitum. *Non ex tristitiâ, aut ex necessitate: Hilarem* enim *datorem diligit Deus:* Tertio: Omnimodam habere ad Deum dependentiam, totalem resignationem, ac conformitatem plenam ad Sanctas ejus voluntates; illas semper, & in omnibus, adimplendo; omnia in illo, cum illo, & propter illum operando. Quarto: Libenter, & affectu toto, propter ejus amorem, omne illud pati, acceptare, & ulnis ambabus amplecti, quod occurrit quocunq; eventu animæ difficile, corpori onerosum, honori contrarium, aut fortunæ bonis damnosum, præceptum charitatis ipso effectu modo adimplere perfectissimo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*; id est, intellectu; ut nullum, in Confessione divinitatis, relinquas errori locum. *Ex totâ anima tua*; id est, voluntate; ut nihil ei contrarium velis. *Ex totâ mente tua*; id est; memoria; nihil remi-

1. Ioan. 3. v. 18.

Eccles. 7. v. 19.

2. Cor. 9. v. 7.

Matth. 22. v. 36.

Deut. 6. v. 5. Luc. 10. 1. Cor. 13. v. 7. S. August. 1. de mor. Eccles. c. 11. Eccles. 2. v. 3.

niſcens, quo minùs de eo ſentias. *Interlin. charitas omnia ſuffert; Argumento nobis eſt: Quàm ſint omnia perferenda, ne deſeramus Deum; tanta illi, ne deſerant, perferunt.* Illud ipſum ſuadet Sapiens: *Suſtine*, ait, *ſuſtentationes Dei: conjungere Deo, & ſuſtine.* Et tandem; Ex zelo divini honoris, vivaciter injurias divinæ ejus Majeſtati, tam per te, quàm per alios illatas, ſentire, vindicare, & , quantum in te eſt, reſarcire. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Si jam facta tui ipſius, ſine diſſimulatione, diligenti diſcuſſione, inveneris, vel omnes, vel aliquas ex his in te notis, recognoſce humiliter, & fatere ingenuè, eſſe hujus divini Spiritus effectus, divinæ Majeſtati, quas potes, perſolvens gratiarum actiones. At, ſi hiſce te omnino deſtitutum, aut illas non in eâ perfectione, qua velles, habere ſentias: Ne deſperes ob hoc, verùm magis media, illas tibi comparandi, inquire, inventa addiſce, retine, &, ut par eſt, adhibe.

1. Cor. 12. v. 11.

PVNCTVM III.

MEdia, hos in ſe divini Spiritus effectus acquirendi, conſervandi, & perficiendi, ſi requiras: Primum eſt, & præſtantiſſimum; Illos crebro petere. Si porro Salvatori noſtro neceſſarium fuit, illos ut nobis mereretur, mitteret, & donaret, magnis inſtare precibus, & ferventiſſimè ſæpiùs ſupplicare: Annon juſtiſſimum erit, ut & nos ipſi precemur pro nobis, rogemus, & ſupplicemus? *Ego*, inquit, *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Ecce! rogaturum ſe pro nobis repromittit: Noſne ſine oratione


Ioh. 14. v. 16.

ejus, gratiam & conſolationem impetrabimus? Alterum medium eſt: ſeſe exercere frequenter in iterandis actibus amoris divini. Ut porro cantando quis diſcit canere: ita amando amare diſcitur. Tertium medium eſt: Cor & animū evacuare ab omni amore mundi, illudq; purificare, & omnino liberare ab omni, vel minimâ, adhæſione; quàm poſſemus habere ad ullā quamcumq; creaturam. Deum ſiquidem & mundum unà amare non poſſumus: *Amicitia enim hujus mundi inimica eſt Dei: Quicunq;* ergo *voluerit amicus eſſe ſeculi hujus: Inimicus Dei conſtituitur.* Hoc tibi difficile ſi appareat, conſidera: Quod quis, ſine labore, nihil acquirat, aut habeat. Dii laboribus omnia vendunt: antiquum proverbium eſt. At unctio Spiritus Sancti dulceſcere facit & amara: & difficultates faciles reddit, & gratas. *Iugum meum*, inquit Chriſtus, *ſuave, & onus meum leve. Chriſti ſarcina ſublevat: Chriſti ſarcina pennas habet.* Hodierna die, hac hora, hoc momento illi cor & animum tuum præſenta, & offer totaliter, illud ut purificet ab omnibus inordinatis affectionibus: Igne ſui divini amoris illud accendat, & conflagrare faciat. Eaq; de cauſa bene animadverte, quæ in te prędominetur affectio, quæ paſſio primatum teneat? An ſit vanitas? An avaritia? An ambitio? vel alia ſimilis? Illi ut ſacrifices, & in holocauſtum offeras, cum tota Eccleſia, animo humiliori, qua hodierna die, & per totā octavam potes, decanta devotum hunc tertiæ Hymnum: *Veni creator Spiritus, &c.* Vel proſā ſibjunctā, in miſſa decantari ſolitā. VeniS, Spirit⁹, & emitte cœlit⁹, &c.

Iacob. 4. v. 4.

Matth. 11 v. 30. S. Aug. in Pſalm.

SER-



SERMO XXXV.

PRO FERIA TERTIA PENTECOSTES.

De bono Communitatum Ecclesiasticarum.

I. Spiritus Sanctus ut se det, requirit, ut sit in uno loco congregatio se quærentiū.
II. Quàm magna bona proveniant Ecclesiasticis Communitatibus.
III. Media, sibi complacendi, & utilitatem afferendi in Communitate.

Erant omnes pariter in eodem loco Act. 2.

IN eodem loco pariter remanebant congregati, quos ejusdem conversionis ex totis medullis animæ congregaverat affectio unanimis; quos cõversationis ejusdē irreprehensibilitas commendabat; quos amicitiæ veræ, non fucatæ ad faciem, & ad quæstū, sed pro virtutibus in Domino. Virtutum possessio, beneficium conjunxerat; unanimitas propositi melioris illos vinculo indissolubili conciliaverat, ad veram amicitiam, & omnino indissolubilem: salva Tullii sententiâ, qui libro de amicitia scribit: vix à pluribus seculis, quatuor amicorum paria extitisse. Hodie verò amici multiplicati sunt super numerum: Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, & in cordibus omnium Christo adhærentium, quæ sola est veræ amicitiæ condimentū. *A diebus* itaq; *nascentis Ecclesiæ cœpit dilectio multiplices affectionum propagines in unitatem,* ait Blesens *mentium dilatare, ut jam tunc multitudinis credentium esset cor unum, & anima una.* Ita pariter in eodem loco erant Apostoli congregati. Jam bonus & celebertimus odor Christi futuri in omni loco, *Deo, in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt: Aliis quidē odor mortis ad mortem: Aliis autem odor vitæ ad vitam.* Gratias ergò Deo, qui hos de medio pravæ ac perversæ nationis eduxit, ut odio haberent Ecclesiam malignantium, annunciatores efficerentur veritatis in Ecclesiæ Sanctorū & Dominū benedicentiū, felices Christi Ecclesiæ futuri columnæ & fundamenta. Hujusmodi elegit Christus, quos suæ Ecclesiæ posuit Fundatores, Magistros, & Rectores: qui inanem seculi honorē laudemq; hominum, & vanam mundi lætitiam exspuentes inter innocentes laverunt manus suas, quæ de fœditate seculi multiplices maculas cõtraxerant, ad lætandum in lætitia gentis, quam Christus hæreditavit: ut laudetur cum hæreditate suâ. *Ibant gaudentes à conspectu concilii: Quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ad quod hortatur beatus Jacobus. *Omne gaudium existimate,* inquit, *Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes, quod probatio fidei vestræ patientiā operatur. Patientia autē opus perfectum habet ut sitis perfecti & integri, in nullo deficiētes.* Illo ergo sensu erant Apostoli pariter in eodē loco, usq; ad temp⁹ prędefinitū à Patre: quo Spiritu in illos descendente, cõfirmati & roborati in universū mundū mitterentur, prædicaturi Evang. omni creaturæ, & congregaturi omnes electos à IV. ventis, qui manus suas mittēt ad fortia, ut regno cœlorū

Margin notes: Petr. Blesens. Epist. 137. — 2. Cor. 2. v. 14. — Actor. 5. v. 40. — Jacob. 1. v. 2.

vim inferant, & in hæreditatem sanctorum violenter se intrudant. *Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Hâc intentione, hoc proposito, hac animi unanimitate, erant Apostoli congregati in eodem loco; ex decursu dictionis latius deducetur.

Matth. 11. v. 12.

PVNCTVM I.

COnsidera in hisce verbis directionem admirabilem Spiritus Sancti, in Ecclesiâ fundandâ & stabilienda: Vult se unicuique fideli in particulari dare libenter & communicare. Non quærit nisi illuminare, inflammare, & accendere totum corpus mysticum Christi Jesu; qui illum misit hunc in finem. Verùm etiam requirit, & vehementer desiderat, ad hunc conservandum ignem, quo hodiernâ die omnes ardere cupit, ut omnes congregentur in eodem loco, ut sunt uniti habitatione, moribus, corde, & Spiritu. *Erant omnes pariter in eodem loco.* Ex hoc concludas necessitatem: quâ Ecclesiastici, præ cæteris omnibus, adstringuntur, summè affici vitâ communi, veritati studere, & pacem inquirere, uno in loco, in unâ habitatione, & in uno vitæ degendæ modo, sub unius directione, & regimine: Cùm ibi Spiritus Sanctus sibi suas cõplaceat diffundere gratias, suos ostendere favores, & se in omni plenitudine communicare. Hæc enim Apostolorum, quorum locũ obtinent, vita est: Vita est *primorum Christianorum*, quorum *cor unum erat, & anima una.* Hæc tandem vita est, quam Deus omni tempore suis inspiravit amicis, & sanctis; & quã adhuc quotidie tot animabus sanctis in mundo inspirat. *Communis vita, fratres, omnibus necessaria est, maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitã Apostolorũ, eorumq; discipulorũ imitari volunt, &c. Unde consilium dantes vestram prudentiam hortamur, ut ab Apostolicis regulis non recedatis; sed, communem vitam ducentes, & scripturas ritè intelligentes, &c. Quæ Deo vovistis, adimplete.* Deo gratias omni tempore referre non desistas, si ad hanc sis vocatus vitam. Et ut illam æstimes magis, subjuncta bene pondera.

Cor. 5. v. 40.

ob. 1. v. 2.

S. Vrb. 31. Epist. Vnic. ante mediũ & infra.

PVNCTVM II.

COnsidera secundo: Quam magna bona communitatibus accidant Ecclesiasticis? De quibus dici potest, & verificari, quod S. Bernardus quondam dicebat de monasteriis; Quod casus sint rariores, gratiæ frequentiores ubi exempla bonorum feliciùs excitant & impellunt ad bonum operandum. Ubi fervor perseverat, & accrescit, perfectio major reperitur & quæritur, vita sanctiùs transigitur, & mors securiùs expectatur. *Scimus, vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc, gratiâ Dei, viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, Clericos; In eâ vivit homo puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs; quiescit securiùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs.* Ulterius: Spiritus Ecclesiasticus fovetur, nutritur, & vegetatur. Conversatio omninò sancta est: particulare commodum & interesse exulat: *Meum & tuum, frigidum illud Verbum.* Deo & Proxi-

S. Bernard. homil. in Evangel.

proximo libertate servitur majori; ubi ubi exclusum est meum & tuum spiritus divisivum, charitatis refrigerativum, & invidiæ omnis exclusivum. Communitas hæc, si in aliquâ reperiatur Parochia, omnes ædificantur, Pastor sublevatur, Parochiani in suis juvantur necessitatibus, juventus instruitur, desolati consolantur, debiles firmantur, languidi excitantur, mali convertuntur, boni roborantur in bono, ignorantes docentur; Et hujusmodi infinita bona eveniunt. Non duntaxat vita est Apostolica vita hæc communis, verum S. Basilio testante, vita Angelica est; & spectaculum in oculis Dei & hominum gratius & acceptius, quàm imaginari possit; *Qui se colendæ pietati dederunt, si in societate cum aliis degunt, in quâ inter se vicissim alter alterius suum propositum exacuunt ad virtutem, seq; inter se, rectè factorum æmulatione, ad majores quotidie in studiis rerum honestarū faciendos progressus impellunt, hi, vitâ diligenter communitate retentâ, Angelorum vivendi ritum æmulantur.* Hoc faciebat Prophetam ex admiratione dicere, & exclamare: *Ecce! quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum?*

S. Basil. in Const.

Felices verè illi sunt, qui in communitatibus sunt, & vivunt, si suam sciant æstimare felicitatem: Verùm, væ illis! qui illas habent, & abominantur, velut carceres! Nihil acceptius illis, quibus placent; & nihil illis magis pœnosum, & intolerabilius, quibus displicent. Sunt scaturigines omnium bonorum, & malorum omnium fontes. Bonorum scaturigines sunt illis, qui in illis sciunt fructum facere, sibi in bono sanctæ unitatis complacentes: Malorum verò fontes illis, qui unitatis inimici, Schismatum amatores, non colligari queunt funiculo communi charitatis, proprii commodi affectione seducti. *Clericus duas res professus est; & sanctitatē, & clericatum. Clericatum exteriùs; interiùs sanctitatem.* Nam *clericatum propter populum, quem Deus imposuit cervicibus ipsorum,* &c. Ergò *professus est communem vivendi sanctitatem; professus est; quàm bonum, & quàm jucundum sit, habitare fratres in unum?* Si *ab hoc proposito ceciderit, & extrà manens Clericus: Dimidius cecidit; & ipse, &c. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit. Si intùs habuerit simulationem, totus cecidit.* Vis hoc ultimum vitare, & experiri bona ex bene ordinatis communitatibus provenientia. Media; Ecce! assume ex sequentibus.

S. August. Serm. 52. in Aquisgr. Conc. 10. n2.

PVNCTVM III.

PRimum medium, sibi in una communitate complacendi, seseque illi reddendi utilem, est: Amare vehementer hoc vitæ genus, illudque magni æstimare, singulariter illo affici ex evidentiâ tot inde provenientium bonorum & utilitatum, *Fraternitatem diligite,* inquit Apostolus.

Alterum medium est: omnem abhorrere, fugere, & detestari singularitatem; exactum sese exhibere omnium, vel minimarum observationum communis regiminis executorem & assiduitate speciali in communibus obser-

observationibus exactâ, ad hujusmodi vitæ genus commendabile reddendum, omni allaborare conatu & diligentia. Tertium est: Exercitia communitatis; cujusmodi sunt: Preces communes, & publicæ, breviarii recitationes, conferentiæ, aut similes exercitationes communes, totam communitatem concernentes, præferre particularibus exercitationibus non-necessariis, quas quis exercere posset. Quartum medium est, sese invicem honore, observantiâ, & amore prævenire, compati sibi in malis sufferendis, auxiliari in necessitatibus, in afflictionibus consolari, deferre in sententiis, opinionib', & judiciis; &, si disputationibus opus sit, totum sine acerbitate rancore, & tumultuositate exequi, & facere in charitate, monitum Apostoli observando: *Omnia ve-*
1. Cor. 16. *stra in charitate fiant.* Ita primi vive-
v. 14. bant, & conversabantur Christiani, quorum *erat cor unum & anima una.*

Si Deus te vocaverit ad aliquam communitatem, in eâ ut vivas, ejus sis subjectus legibus, regulis, & observantiis. Vide, & considera, in ea quomodo te geras? Ut bono præeas exemplo; obedientiam promptè tuis præstes præpositis, & superioribus; Ut cum omni animi submissione communibus domus regulis & ordinationibus subjaceas; Ut non pro tuo particulari bono magis sollicitus sis, quàm pro communi; In medio communitatis propria & particularia magis non quæras, quàm, quæ sunt communitatis; Utens singularitatibus specialibus; Ut non uni magis, tantùm ob tuum speciale bonum & sensualitatem, afficiaris & faveas, quàm alteri; Unicuique indifferenter ut sis servire paratus. Deum hac die ora pro omnibus communitatibus Ecclesiasticis & regularibus; Illos ut, hac in Festivitate, placeat illi unire in uno invicem charitatis Spiritu; Et non sit contradictio aut divisio inter membra ejusdem corporis, & Filios Patris ejusdem, Et ut vestis Ecclesiæ factionibus diversis nõ discindatur: Verùm magis, idem ut Rom. 12.
omnes sapiamus, *Idipsum dicamus o-* 1. Cor. 1.
mnes & unanimes: idipsum sentientes; Philipp. 1.
Et non sint inter nos Schismata.

Sermo



SERMO XXXVI.

PRO DOMINICA SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

De Sanctitate, quam imitari debemus in Deo.

I. Deus particulariter Sanctus dicitur, illum ut imitemur in Sanctitate.
II. In quo ſita ſit hæc imitatio Sanctitatis Dei?
III. Examen ſui ipſius.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Iſaiæ, *6. v.* 3.

HOc ſacrum triſagium, quod inceſſanter, ad majorem gloriam Dei ſanctiſſimi, Seraphini decantant; Quo, primò, nos docent: Divinæ unitatem eſſentiæ, hoc nomine: *Sanctus*; in ſingulari expreſſo. Secundò: Trinitatem Perſonarũ, eodem vocabulo: *Sanctus*; ter repetito. Ac tertiò: Sanctitatem divinam, has omnes complectentem perfectiones. Hanc eandem cum illis adora, fidei vivæ actus elice, & frequenta.

Sic porrò Iſaias Propheta, quem recipis, ſe audiſſe teſtatur, Seraphio clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Quare tertiò, replicat, inquit Bleſens: *Sanctus*; niſi ut in Domino Deo exercituum Trinitatem inſinuet perſonarum? Et itaque in ſummâ ac beatiſſimâ Trinitate Pater, qui Filium genuit, Filius genitus à Patre; Spiritus Sanctus, qui progreditur ab utroq;. Nec in illâ geniturâ vel proceſſione damnum reſectionis, vel imminutionis paſſa eſt, in Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto, divina ſubſtãtia. Sicut enim lumen à lumine ſumitur, ſine imminutione luminis à quo ſumitur: Sic æqualis à Patre filius, & utriq; coæqualis procedit ab utroque Spiritus Sanctus. Modum tamen genituræ aut proceſſionis hujus humana ratio non attingit; Unde, cùm Iſaiæ de filii generatione conſtaret, modum tamen generationis inenarrabilem eſſe ſciens: *Generationem,* inquit; *ejus quis enarrabit?* (Eſaia, 53. v. 8.) In hujus ſiquidem perfectâ viſione & fruitione ſita erit noſtra in æternitate beatitudo. Sicut in tẽpore, in perfectâ animæ noſtræ ad illam reformatione, & conformatione, ſita eſt omnimoda ſanctitudo. Hinc S. Bonaventura, in ſoliloquio, cordiali affectu beatorum felicitatem recogitans: *O anima* ait, *hic devotâ mente pertracta, quantum gaudium tunc illi boni Spiritus concipiant? Omnes Sanctos & Electos Dei conſidera, unanimiter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum collaudantes, & unâ voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: Plena eſt omnis terra gloriâ ejus.* Ita ſanctiſſimæ Trinitatis viſio Sanctos in Cœlo lætificat; Et in ter-

in terrâ fides ejus viatores sancti-ficat.

PVNCTVM I.

COnsidera primò: Cur inter omnes perfectiones divinas, quæ æquales sunt omnino, ejus Sancti Angeli particulariùs sanctitatem adorent? Illâ de causâ est, quòd Deus nos velit imitari in eo; Unde, & suadendo, & præcipiendo simul. *Sancti estote*, ait: *Quia ego Sanctus sum.* Levit. 11. Nunquid non maximus honor abjectissimæ creaturæ est: Adorandam hanc sanctissimam Trinitatem posse in ejus perfectione maximâ imitari? Idcircò te ad imaginem & similitudinem suam creavit, ac animæ tuæ, in quâ omnis Sanctitas residet, tres differētes impressit potentias: memoriam, intellectum, & voluntatem, ad perfectiùs meliusq; per sanctitatem trium harum facultatē, illam, quæ in tribus divinis personis, in unâ & eadem numero natura subsistentibus reperitur, exprimendam. Memoria porrò primam repræsentat personam, ex ea potissimùm ratione; Quòd sit fons & origo omnium in anima operationum. Intellectus correspondet particulariter verbo; quod procedit, per modum cognitionis, à memoria fœcunda; Et voluntas habet ad Spiritum Sanctum referentiam; qui procedit & spiratur, per modum amoris, à duabus personis: Patre & Filio. In illa admirabili referentia & relatione omnis nostra cum Deo sita est imago & similitudo. Ob hoc sanctissima Trinitas hominem creare volens, quasi inito consilio, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Genes. 1. v. 26.

Ideò divinitas à S. Dionysio dicitur fontana Deitas. Quod ab ea, velut ab origine omnium bonorum, omnia proveniant & originentur. *Omnia per ipsū facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est; In ipso vita erat.* Ioan. 1. v. 2. Ideo Filius, seu Verbum à Patre productū, per quod omnia facta sunt, dicitur: *Splendor gloriæ & Filius substantiæ ejus*; Hebr. 1. v. 3. Quia à Patre, ut ejus imago generatur. Tota ergo nostræ perfectionis essentia est: Has tres sanctificare potentias, ad imitationem personarum divinarū, in quibus omnis residet, & à quibus in omnes creaturas ejus capaces derivatur Sanctitas.

PVNCTVM II.

COnsidera secundo: In quo hæc communicata & participata sanctitas, ad imitationem sanctitatis per essentiam, consistat? & media, ad eam pertingendi, pondera, inquire, & applica, ut sis, *imago Dei invisibilis.* Coloss. 1. v. 18. Primo: ut memoria sanctificetur, oportet eradere imagines omnis recordationis quarumcunq; rerum præterlabentium & mundanarum; ac, in locum earū, vivā divinæ Majestatis imprimere imaginē, quæ digna sola est, omnes nostros sensus & cogitationes ad sui considerationem trahere, & omnino occupare; omnem ut nostram impendamus curam & sollicitudinē; Ut illam perficiamus, nos plenè servitiis consecrantes divinis; dicentes cum Propheta, & animo, & corde dicentes: *In æternum non obliviscar justificationes tuas.* Psalm. 118. v. 93.

Secundò: Ut intellectus sanctificetur; Illum purificare & illuminare oportet claritate veritatis æternæ, fideiq; luminibus ac maximis infallibilibus. *Qui timent Deum, præparabunt corda* Eccles. 2. v. 20.

sua & in conspectu illius sanctificabunt
Psalm. 118. v. 105. *animas suas. Lucerna*, inquit, Psalmista, *Pedibus meis verbũ tuum, & lumen semitis meis.* Et tandem; Ad voluntatem sanctificandam Apostolus docet: non posse illam sanctificari, nisi detestatione mali, adhæsione boni, ac Spiritus
Rom. 12. v. 4. fervore: *Obedientes*, inquit, *malum, adhærentes bono Spiritu ferventes.* His modis & mediis sanctificantur animæ potentiæ ac facultates; Et illis mediantibus ipsa anima tota sancta fit, & Deo uniformis.

PUNCTUM III.

COnsidera jã tertio: Qua tu sollicitudine, qua cura & promptitudine quæras & allabores, animæ tuæ potentias sanctificare? Quanti sanctitatem æstimes? Quo loco illam habeas? Nonne fores contentus magis, & satisfactus, quod esses Doctus vir, sapiens, & excellenti aliqua naturali exornatus perfectione, quâ corã hominibus luceres, summâ in æstimatione constitutus, quàm us magnus fores Sanctus coram Deo, & ignotus ac vilis coram hominibus & mundo. Verùm in eo, seductus vanitate, & amore proprio obcæcatus, turpiter eras; & veritas non est in te. Cõvertere in requiem tuam; Dic cum
Psalm. 37. v. 10 23. Psalmistâ: *Omne desiderium meum ante te, Domine: Intende in adjutorium*
Psalm. 118. v. 120. *meum, Domine, Deus salutis meæ.* Et alibi: *Confige timore tuo carnes meas: A judiciis enim tui timui.* Hæc enim sunt desideria Sanctorum, intentiones &
Psalm. 33. v. 10. vota: *Timete Dominum, omnes Sancti ejus: Quoniam non est inopia timentibus eum.* Verè, si hujusmodi Sanctorum desideria bene formata haberes, quærens coram Deo sanctitatẽ, justitiã & perfectionẽ, media ad hoc inquireres, eligeres, & applicares. Hodie meritocõ fundaris: Quod tam parùm æstimaveris tuum profectum; tam parùm quæsieris media salutis & sanctitatis; tã parùm laboris adhibueris, divinis ut satisfaceres intentionibus, gratiis, & favoribus, tibi in salutem, profectum, & sanctitatẽ factis. Et, quia ex te ipso nihil potes, gratiam hanc instanter & incessanter pete à tribus Sanctissimæ Trinitatis personis: à Patre; ut sanctificet memoriam, cogitatione & recordatione continua divinæ suæ præsentiæ, timore plenis simul & honore: *Beatus* Psalm. 111. v. 1.
quippe; *Vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.*

Pete à Filio; Tuum intellectum ut sanctificet, tuos dirigat gressus in viam salutis, & in semitam mandatorum suorum; Dicens cum Psalmistâ: *Legem pone mihi, Domine, viam mandatorum tuorum, & exquiram eam semper:* Lumine Fidei præeunte & dirigente. Iterum Psalmistæ concinens: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & Lumen semitis meis.* Vel, cum Zachariâ rogans: *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam Pacis;* ne unquam declines ad dexteram, vel ad sinistram: Medium siquidem iter tutissimus ibis; Vitatis omnium imperfectionum obliquitatibus. Pete & à Spiritu Sancto; Tuam ut sanctificet voluntatem, amore ita fervido, & charitate ita forti & constanti, ut ab eo separare te possit nihil. Hoc est, quod Apostolus tibi optat, suadet, & firmiter inculcat verbis subjunctis: *Quis nos separabit à charitate Christi? An fames? An nuditas? &c.* Eo fine, ut *ambuletis dignè, Deo per omnia placentes:* Quia illi semper adhærentes, & in ominibus; Quod summè avens Apostolus alibi precatur, quod optimum est: *Gratia*, inquit *Domini nostri IEsu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis; Amen.*

Psalm. 118. (beside "cum Psalmistâ")
Luc. 1. v. 79. (beside "Illuminare his")
Rom. 8. v. 35. (beside "Quis nos separabit")
Coloss. 1. (beside "ambuletis dignè")

SERMO XXXVII.
PRO FESTO SANCTISSIMI SACRAMENTI.

De bono Vsu hujus Divinissimi Sacramenti,

I. Excellentia hujus beneficii & Magnitudo.
II. Unde provenit quam pauci proficiant.
III. Defectus qui committuntur in Usu hujus Sacramenti.

Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,
Matthiæ 26. v. 28. Luc. 22.

ULtra nil requiritur ad firmiter & sine hæsitatione aut tergiversatione credendum; quod corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit verè realiter & præsentialiter in Sacratissimo altaris Saaramento. Cum ille ipse Christus, qui est veritas ipsa nos de hoc assecuret: Actum fidei devotissimum & affectuosissimum elice & fac omnino indeclinabiliter. Et cum officii hodierni solennitas, & processionis celebritas in recognitionem fiat & memoriam hujus divinissimi Sacramenti; Ejus considerationi insistendum paulo attentius. Audi Sacræ Scripturæ virtutem & efficaciam Verbi Dei; ad cujus intelligentiam te oportet in timore & tremore accingere. Veritas in Evangelio liquitur dicens. *Beati qui audiunt Verbum DEI & custodiunt illud.* Luc. 11. v. 28. Princeps etiam Apostolorum interrogante Jesu discipulos utrum vellent abire? *Domine* inquit: *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* Verba Dei enim ita efficacia & spiritualia sunt, ut sint Spiritus & vita ipso attestante qui dicit. Ioh. 5. v. 68. *Verba quæ Ego loquor vobis Spiritus & vita sunt.* Ioh. 6, v. 63. Sicut Apostolus dicit, *Sermo Dei vivus est & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque medullarum:* obtinet enim vicem validissimæ pactionis; per quam eliminantur ab humano Spiritu, & purgantur universi Noxiales affectus. Et, ut experientia faciat fidem: si tepidus es, sacram scripturam lege instantius; & scias, quia eloquium Domini inflammabit te. *Ignitum eloquium ejus vehementer.* Psal. 118. v. 140. Si ambulas in tenebris *audies quid loquatur in te Dominus Deus tuus*; in Evangelio & Prophetis. *Eritque Lucerna pedibus tuis Verbum, & Lumen semitis tuis.* Si immunditiæ maculam contraxisti, mundabit te sermo Christi. Ioh. 13. v. 15 *Jam vos mundi*

O estis

estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Te sermo Dei firmabit & solidabit in omnibus: *verbo siquidem cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ergo verbo Dei roboratus, mundatus, & directus, ne devies, hujus sacratissimi Sacramenti veritatem inquire & considera attentius. Considera primo excellentiam & magnitudinem hujus ineffabilis & inæstimabilis beneficii. Hæc magnitudo, & excellentia in duobus principaliter innotescit, & apparet: Nempe in doni qualitate & in fine, ob quem fit & datur? Qualitas doni talis est, ut omnes Intellectus & hominum & Angelorum illam nequeant comprehendere. Christus enim Dominus Corpus suum sacratissimum dans in Sacramento Altaris & pretiosissimum propinans sanguinem. Nobis toties in particulari, illud quoties recipimus, dat vitam suam; animam suam, sua merita; Et uno verbo; totum quod est, & totum, quod possidet; Eo modo quo se dedit, semel per suam Incarnationem; & per mortem suam tradidit. quod prodigiosum magis excogitari potest? Finis ob quem se dat nobis, & communicat est, ut animæ nostræ sit cibus, nutritio & robur, nos sibi ita stricte uniens, pro ut alimentum illi unitur personæ, quæ ipsum sumit. Quæ major est unio, perfectior & intimior, quã quævis alia, quæ sit in natura reperibilis. qua etiam transitur ab unione ad unitatem. Ex quo ait, quod illi qui illum recipiunt, & manducant, in illo manent, & ille in ipsis ratione hujus intimæ unionis, qua homo ita mutatur & transformatur in Jesum Christum, ut duo in unum transeant & è duobus unus fiat; ea ratione, ut quemadmodum Christus Jesus non alia vivit vita, quam vita Patris sui; Christiani communicantes vivunt vita Christi Jesu. *Ego vivo* inquit Christus: *propter Patrem; Et qui manducat me: & ipse vivet propter me.* Eaque de causa adorandum hoc Sacramentum communio nuncupatur: Quia illo mediante vita Christi, Spiritus Christi, gratia Christi, & perfectiones Christi communicantur Christianis. O quanta gratia, quantus honor & quam inæstimabilis favor Christi fidelibus ad mensam invitari Angelorum, pane Angelorum refici, & ipso facto carne & sanguine Christi Jesu nutriri & impinguescere? Ideo hujus tanti Sacramenti specialis Solennitas sanctissime ab Ecclesia instituta in recognitionem tanti beneficii sancta Synodo Tridentina declarante: *Declarat praeterea sancta Synodus pie, & religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum & venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solennitate celebraretur, utque in processionibus reverenter & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, quibus Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem, pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræsentatur, atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæresi triumphum agere; ut ejus* Con. Trid. sess. 13. c. 5.

adversarii

Ps. 32. v. 6.

Ioh. 6. v. 57.

adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi resipiscant. Sumi voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum illius unius corporis, cujus ipse caput existit, cujusque nos, tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione astrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. Verum magis unitas fidei, affectus convenientia, & devotionis ac in unius spiritus communione concors unanimitas. ibid. c.2.

PUNCTUM II.

Considera secundo, unde proveniat; quod licet divinissimum hoc Sacramentum institutum sit ad animas nutriendas, roborandas in bono, & sanctificandas, illoque medio magis ut purificentur, suis inordinatis passionibus domitis, Victrices felicius in virtutum palæstris exerceantur, novis quotidie in bono incrementis, ac divinorum charismatum donis; tam pauci nihilominus, eorum etiam; qui sæpe communicant, inveniantur, qui inde proficiant, augmentum perfectionis & Sanctitatis sumentes: Id provenire non potest ex parte Sacramenti ex se semper æqualiter efficacis, gratiæ, sanctitatis ac perfectionis collativi. Verum illud provenit potissime ex parte potissima communicantium, tam exili dispositione accedentium, ac tot in ipsa sacratissimi Sacramenti participatione defectus committentium: quidam porro ex mera accedunt consuetudine, Alij humana respectus inductione; quidam ut devotiores videantur, & habeantur, plures adhuc suis immersi malis carnalium desideriorum & voluptatum affectibus. Alii accedunt pleni affectionibus terrenorum, & rerum mundanarum cogitatibus, Cæteri quadam præcipitatione inducti, sine ad tanti mysterii magnitudinem & excellentiam reflexione & advertentia debita. Alii continuo à Tribunali Sacramētali recedentes huic sese sacræ mensæ præsentant malis ad huc suorum criminum, quæ confessi sunt relictis Vaporibus abruti. Alii tandem nulla post hanc tanti Sacramenti perceptionem facta gratiarum actione recedunt, continuo se se suis antiquis & malis reddentes habitudinibus. Mirandum ne ergo est, si talibus præviis intercurrentibus aut concomitantibus dispositionibus, tam quis exilem inde referat frutum, ex frequentatis communionibus, cum ut quis sumat vel frustulum panis sibi profuturum, stomachus necessario dispositus esse debeat? Ergo magis ut hic cibus angelicus nostris prosit animabus, accedere nos bene dispositos est necesse. Ad hoc hortatur S.Chry: *quære*, ait: *pias quæso cogitationes, suscipias studiose, sancteque vivas ut benedictionem participes. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus* S. Chry: Alex l.4. in Ioan.c.17 Ioan.6.56.

S Chryfoft. Myft.4. *potus.* Unde S Chryf. *concorporei, ut ita dicam & confanguinei Chrifti eftis* Corpus fcilicet & fanguinem Chrifti fumentes. Alias jure cum pfalmifta contra indigne communicantes conquerens Pf.29.v.10. Chriftus illos redarguit. *Quæ utilitas in fanguine meo, dum defcendero in corruptionem.* Pf 68.v.23. Et alibi: *dederunt in efcam meam fel.*

PUNCTUM III.

CONfidera tertiò nunc quem fructum ufque modo retuleris ex tam pretiofi & inæftimabilis doni participatione. Quomodo ad illud recipiendum te difpofueris? Quo amore, qua humilitate, qua mentis puritate acceffe-ris? Poft vero hanc facram facratiffimi hujus doni participationem, & communionem, quales perfolveris gratiarum actiones, quo ardore, quo fenfu pietatis, quo religionis zelo, & quo charitatis affectu? Convictus Luce veritatis meridiano lumine clariore, tuam agnofce ingratitudinem, veniam pete de tot commiffis contra hoc fanctiffimũ Sacramentum peccatis, de communionibus tot male actis, de irreverentiis in Ecclefia commiffis, de miffis tot indevote auditis aut lectis. Et ad debitam omnium harum inordinationum fatisfactionem Deo & Chrifto Salvatori noftro hujus diei toto corde, & affectu offeras proceffionem, cui affiftere devotius ac modeftius quam poteris allaborabis. Offeras illi vifitationes, quas hac durante octava frequentiores facies, & ftationes, quas huic fanctiffimo Sacramento expofito reddes. Illi etiam offeras tuam in divino officio affiftentiam, & alia pietatis ac religionis opera, quæ in honorem & gloriam ipfius facies. Hifce mediis accedere poteris ad illud cum fructu in eo acquiefcens, confilio Apoftoli injungentis nobis prius ut nos probemus. *Probet autem feipfum homo, & fic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1.Cor.11. v. 28. Quam probationem facra declarat Synodus Tridentina: *Ecclefiaftica autem confuetudo declarat, eam probationem effe, ut nullus fibi confcius mortalis peccati, quantumvis fibi contritus videatur, abfque præmiffa facramentali Confeffione ad facram Euchariftiam accedere debeat.* Trident. feff. 13. cap. 6.

SERMO

SERMO XXXVIII.

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM SANCTISSIMI SACRAMENTI.

De sancto missæ Sacrificio.

I. Magnitudo & excellentia, hujus Sacrificii.
II. Quid fieri sit necesse, ut intentioni Domini nostri corespondeatur, in Institutione hujus divini Sacrificii.

Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. v. 9.

SAncta mater Ecclesia verba hæc semper intellexit: inquit Tridentinum, de sanctæ missæ sacrificio. Sacratissima & divinissima Eucharistia cũ non sit tantum Sacramentum ad animas sacrandas, nutriendas, & roborandas: Verum etiam sacrificium unicum novæ legis Deo offerendum: Et ut ejus excellentia innotescat & dignitas, ac ut pretium hujus augustissimi Mysterii & meritum patefiat: ejus ut æstimatio nostrias præoccupet mentes. *Utpote qua ratione in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec se æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Matth. 26. *Ut semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Luc. 22. Ita sancta Tridentina Synodus. *Et hæc*, inquit, *quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: Quam Dominus per Malachiam nomini suo, in omni loco mundam offerendam prædixit.* Et quæ mundo corde offerenda est. Probatione Apostolica prævia utpote fide firma, intentione pura, spe immobili, charitate perfecta de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta. Ut ex subjunctis serio recogitatis patebit.

PUNCTUM I.

Considera primo hujus divinissimi Sacramenti magnitudinem, in eo, quod sit memoriale, & viva repræsentatio mortis, & passionis Filii Dei, quo vivis & defunctis pretium & meritum cruenti in cruce sacrificii applicantur. Ex quo congruenter S. Ambrosius asserit, Ecclesiam quotidie celebrare exequias: *quotidie*, inquit, *exequias Christi Ecclesia celebrat* sui Salvatoris. Secundo in eo hujus sacrificii excellentiam considera, quod victima ablata, ac sacrificata, & primus Sacerdos, & principalis offerens hoc in sacrificio alius non sit, quam ipsemet Jesus Christus Deus & homo, qui dignitatis est infinitæ, & qui se offert ex infinito amore. Id sacra Tridentina Synodus claris expressit verbis: *In missæ*, ait, *sacrificio idem ille Christus continetur, & immolatur incruentè, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum plene purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offertur.* Tertio ejus conclude excellentiam. Ex eo quod sit institutum ad fines nobilissimos, nempe ad Deum honorandum velut vitæ, & omnium bonorum Authorem, ad illi gratias persolvendas pro omnibus concessis nobis favoribus, ad veniam obtinendam omniũ peccatorũ, & omniũ pœnarum quas merentur, relaxationem, & ad gratias impetrandas universas & bona omnia, quibus egemus juxta sanctæ Ecclesiæ consuetudinem laudabilem quotidie missæ sacrificium offerentem. *Pro innumeralibus peccatis, offensionibus, & negligentiis, pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis. Heu mihi* ait S. Chrysostomus *quot ad salutem nobis viæ? nos corpus suum efficit, nobis suum communicavit corpus, & horum nos nihil à malis avertit.* O quot inquit viæ nobis salutis conquerens merito de nimia hominem socordia in negotio salutis, nullum fructum, vel exilem valde ex tot sibi concessis mediis nobilissimis.

Trident. seff. 22. c. 2.

S. Chrysost. homil. 61. ad popul.

PUNCTUM II.

Considera secundo quid nos ex parte nostra facere oporteat; divinis, ut correspondeamus Domini, & Salvatoris nostri in hujus divinissimi Sacrificii institutione intentionibus. Primo si Sacerdotes simus, oportet nos illud quotidie offerre, non ut plures faciunt, superficialiter, ex consuetudine, festinanter, pro lucro potius temporali quam spirituali, divinis non se accommodantes intentionibus: verum magis magna cum reverentia, devotione singulari, tam exteriori, quam interiori, observantes exacte omnes ab Ecclesia institutas cœremonias, nos priusquam accedamus specialiter disponentes quoad utrumque hominem, ut ad sit puritas cordis, & corporis, exterior & interior compositio, intentio Dei gloriam quærendi & procurandi infinitam, animabus thesauros acquirendi & promerendi omnium gratiarum, & bonorum, vivorum salutem, & defunctorũ consequendi requiem. Cæteri fideles non Sacerdotes quotidie si possint magna cum reverentia illi divinissimo, & unico sanctæ Eccle-

Eccleſiæ pro Eccleſia ſingulariter offerendo ſacrificio interſint, & aſſiſtant, ſi poſſibilitas adſit, ſumma cum attentione, ſuas intentiones toto illius decurſu intentioni celebrantis conformantes, miſſas ſæpe curent legi, & ſi intentionem habeant Eccleſiæ quicpiam dandi, dent quod immediatius ordinatur, & neceſſarium eſt pro digna hujus Myſterii celebratione, & quod proximius attingit ſacratiſſimum corpus & ſanguinem Domini. In hiſce te ſerio examina: in quibus profeceris vel defeceris. Tuos defectus & exteriores & interiores, quos, vel in hoc ſacrificio celebrando, vel illi aſſiſtendo, commiſiſti, diſquire & pondera, ut negligentiã in te diſponendo; tam exilem tui in celebrando applicationem, tepiditatem devotionis, occupationibus, & contrariis tuæ profeſſioni attentionibus cauſæ, tam occultam cordis ad creaturas, & ad certa peccata venialia, quæ emendare non intendis, adhæſionem. Proponas firmiter, gratia Dei mediante, & cooperante, quam affectuoſius efflagitabis emendationem. Et caveas ne de illorum ſis numero, qui ſe in hodierno Evangelio excuſant non poſſe in convivio & cœna regia, ad quam invitabantur, prætextu excuſationum pure temporalium adeſſe. Si enim hujuſmodi excuſationes in ſæcularibus non tolerentur, quanto minus in Eccleſiaſticis & Religioſis tolerabuntur, qui ſeſe temporalibus negotiis nullo modo miſcere debent? *Nemo enim militans DEO implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.* 2.Tim. 2. v. 4. *Cæperunt ſimul*, nimirum ſæcularibus & terrenis inhiantes, *omnes ſe excuſare. Primus dixit villam emi. Alter dixit, juga boum emi quinque. Alius, uxorem duxi.* Luc. 14. v. 28. Et his vanis & temporalibus nimiè adhærentes excluſi ſunt à nuptiis cœleſtibus & æternis: *Non enim terribile tantum judicium habet, qui in carnis & ſpiritus inquinamento accedit ad ſancta indigne, ſed & otioſe, & inutiliter edens ac bibens. Quomodo enim qui inutiliter tantum, ac tale bonum irritum facit, judicium DEI effugiet, qui innoxios non ſinit eos qui verbum aliquod otioſum proferunt?* S. Baſil. lib. de Bapt. cap. 3.



SERMO

SERMO XXXIX.

Continens octo Paragraphos.

PRO OCTAVA VENERABILIS SACRAMENTI.

Super Expositionem Psalmi: *Dominus regit me.* Qui servire possunt pro recessu, seu recollectione annua illo tempore instituenda.

§. I.

Dominus regit me: (in originali habetur) *pascit me*: *Et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.*

PUNCTUM I.

Dominus dat cani suo panem, & *hoc animal* ita recognoscit, & tantopere apprehendit, ut pro frustalo panis sibi à Domino suo ex indignatione etiam projecto, illum sequatur obsequiosum et fidelissimum ad centum milliaria imo per orbem universum, verbera libenter patiens inde non indignatur, suum Dominum æqualiter ut ante diligit, sequitur, obedit, tuetur, etiam cum vitæ propriæ periculo, & expositione defendit: Pari ratione, & modo, Dominus suos habet, & nutrit servos, & famulos; At illorum aliquos iis si tractaret cibis, quibus ipsemet in mensa propria vescitur; & eodem, quo ille utitur, reficeret potu. Haud dubie judicaretur, hos, quos illa ratione tractaret & recrearet, multum æstimare, & amare. Nunc Dei filius unicus absolutus omnium nostrorum Dominus nos propriis, quibus ipse, & Angeli ejus in paradiso nutriuntur, & vescitur, nutrit alit & sustentat cibis & Eduliis. *Panem Angelorum Manducavit homo*: Verum alius est adhuc nutriendi modus, alia alendi ratio nobilior & excellentior: Matres enim suas nutriunt proles non propriis duntaxat, quibus vescuntur cibis in suis mensis; verum illas propriâ alunt & sustentant substantiâ. Hoc est quod nobis Deus promittit, dicens; quod matres dentur, quæ proles proprias alienis tradant alendas uberibus: Ego autem per me inquit: te nutriam & su- *Psal. 77. v. v. 25.*

& sustentabo, *Replebimini ab uberibus consolationis meæ.* Bonæ matres credentes suas proles non posse adhuc solidum panem præ teneritudine perferre, illum ipsæmet comedunt, convertentes in sanguinem, ac deinde in Lac, ut illo possint suas proles, ut convenienti ac illis attemperato alimento alere. Non aliter Deus optimæ exhibet matris officium in nobis sustentandis ipsa sua divinitate: sed nostræ accommodata infirmitati, & capacitati attemperata. Ecce quam ob causam Verbum caro factum est: Et deinde existens Deus & homo conversus est in hoc Sacramento in panem, & vinum, ut sub speciebus panis & vini noster esset cibus & potus, & sub duplicis substantiæ accidētibus existens totus, totum cibaret hominem.

Admirare hic Dei sapientiam, bonitatem & potentiam, quam in hoc divinissimo mysterio ita excellenter inclarescere fecit. Totus in amorem convertaris divinum, & in gratiarum actionibus continuo reddendis consummeris totaliter. Actus fidei eliciens hujus Mysterii indubitatissimos, spei frequētes actus immobiles, nunquam veræ charitatis fervorem deserens. Ut sis semper in fide firmus, in spe indeclinabilis, & in charitate fervidus. Ah O Deus optime! O misericordissime Pater, fuisset mihi honor magnus nimis si mihi ut catello edere licuisset de micis, quæ cadunt de mensa Domini mei. Verum ô Deus benignissime, non sufficit tibi, nobis tam parum dare; non nobis das ut olim tuis Apostolis in monte Thabor micam, vel scientillam illius boni, quod datur in gloria: Sed teipsum totum das totaliter. Tu das eundem Deum & Dominum gloriæ, quodam nihilominus occultatum velamine nostræ conformiter impotentiæ & corruptioni; quæ tantæ gloriæ claritatem hac in valle corruptionis ferre non sufficeret.

PUNCTUM II.

ET *nihil mihi deerit.* Primo quo ad temporalia. Secundo quoad spiritualia. Quoad temporalia sufficit meminisse illius, quod Christus ipse in Evangelio monet, & hortatur; *Nihil sollicitisitis, respicite volatilia cœli, considerate lilia agri; quomodo crescunt: non laborant, neque nent.* Verum hisce non immorantes & adhærentes exemplis; est solum necessarium oculos conjicere in illum, qui omnia nobis donare potest; qui in nostris residet tabernaculis, paratus ad omnia nullo dempto danda nobis, & conferenda: In illa enim Dei plenitudine & sufficientia, superaffluentissima omnis constituenda est confidentia. Exempla pro sæcularibus, & mundanis bona sunt: At animabus illuminatis nulli alteri rei intendere & fidere opus est, quam unicæ sufficientiæ ipsius Dei; quam in Sacratissimo habemus, & possidemus Sacramento. Si enim Deus nobis non sufficit; Quid poterit nobis esse satis; & nos quietare, cum ille sibi ipsi sufficiat? Et sine quo sufficere nihil ulli omnino potest. Sua est ubique nullo excepto, aut exceptibili loco, immensitate. Omnia sua videt, & penetrat sapientia. Operatur omnia in omnibus sua omnipotentia;

Matth. 6. v. 25.

regit & gubernat universa directione sua & providentia in nullo fallens, aut deficiens: cum ergo his perfectionibus, excellentiis & omnigenis repletus virtutibus ac cunctis superabundans sufficientiis se ipsum mihi in Sacratissimo det Eucharistiæ Sacramento, *nihil mihi deerit.* Quoad spiritualia; Deus insuper suæ nos participes facit sufficientiæ & plenitudinis. Etsi passionibus violentissimus urgereris, & indomitis premereris inclinationum malarum habitudinibus. Etsi peccatis enormissimis cruciateris, tuum habe tamẽ recursum ad sacrum Altaris Sacramentum, ubi Deus totus est, non tantum, ut in Sacramento, & Sacramentum suas communicet gratias ad perfectionem, sed etiam ut Sacrificium, ut peccata deleat ad justificationem, & ut offeratur ad omnium Necessitatum nostrarum sublevationem.

His omnibus visis, & bene, ac sane perspectis possumus ne adhuc in aliquo vel de aliquo diffidere? nullo modo. Nulli unquam alteri subjiciar, aut serviam Domino, Cum ille me alat, sustentet, & in omnibus provideat à juventate mea ac ab initio mei esse & existentiæ & præ visionis. *Dominus pascit me à juventute mea.*

PUNCTUM III.

IN *Loco pascuæ, ibi me collocavit.* Locus pascuæ in quo nos Deus pascendos collocat est sancta Mater Ecclesia Catholica, ajunt sancti Patres, ubi ille nos nutrit nos sanctissimis reficiens Sacramẽtis, & principaliter at vel maxime augustissimo Sacramento Eucharistiæ, in quo ipsemet Christus Jesus subsistit præsens sub modo cibi & potus nos nutriens, roborans, & perficiens. Vocat omnes mortales, in communitatem sanctam, in locum pascuæ specialis eos juxta vocationis suæ conditionem obligans sæpius ad sanctissimum hoc Sacramentum accedere. Unde illi magis obligantur speciales deferre, & referre honoris, reverentiæ, & amoris respectus, tot sibi ut par est factas gratias, favores & benedictiones recognoscentes gratiosas, ejus invitationi nunquã ingrati: *Venite ad me omnes, quia laboratis, & onerati estis, & Ego reficiam vos.* Ita ille omnes invitat, excipit neminem, excludit nullum. Videas ne teipsum excludas, deficias ac pereas. *Matth. xi. v. 28.*

§. II.

Necesse est ut Salvator noster Christus Jesus conversionem nostram operetur in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Super aquam refectionis Educavit me, animam meam convertit.

PUNCTUM I.

COnsidera primo quod sit duplex conversionis genus; Unum est genus conversionis à peccato ad gratiam, à statu damnationis ad salutis statum. Alterum est conversionis genus à vanitate ad veritatem, à tepiditate ad fervorem, à libertinitate ad devotionẽ & à natura ad spiritum, seu à lege membrorum ad Legem mentis. Et quidem

dem verum est, primam per se conversionem à statu peccati ad statum gratiæ non causat, cum sit Sacramentum vivorum in Christo non mortuorum: E-contra illi qui tali in statu accedunt ad hoc sanctissimum Sacramentum obdurescunt, obtenebrantur; E tenebris in tenebras transeuntes. E malo in pius, proditores Christi nigriores & damnabiliores quam Judas, cum Judas dum Christum vendidit, & tradidit adhuc de ejus dubitaret divinitate, ideo etsi peccaverit graviter, non tamen multis modis tam graviter quam nos, qui ejus firmissimè credentes divinitatem, nullam habemus excusationem: fides enim Eucharistiæ nunc per omnem modum firma, & confirmata est. Alterum autem conversionis genus infallibiliter operatur, nullo ex parte nostra posito obice sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Ex quo provenit quod post tot frequentatas sacras communiones animadvertimus nos ita vanitati adhuc addictos, deditos Libertinitati, ac amori ita affixos proprio, ut concludere necessario debeamus; quod Christo vocanti auditum non præbeamus, trahenti obsistamus, & nos convertere volenti omnino resistamus nullo modo nos convertere volentes: Cum tantum hoc in Sacramento puri amoris intendat nos convertere in se ipsum, ut mortui mundo, carni, & diabolo illi soli vivamus ejus animati spiritu.

Adora hanc in te bonitatem & immensam admirare charitatem, considerans modos admirabiles, quibus utitur te ut convertat, ut salvet, ut perficiat. Quot internis te inspirationibus ad se trahere tentat. Quot salubertimis tibi ob oculos positis Libris, te admonet à malo declinare. Quot instructionibus piis te ad bonum faciendum adhortatur? Verum his non contentus, amore proprio ad hoc ad actus se ipsum immutat, convertit & transubstantiat, ut ipse simul sit conversionis nostræ causa seu principium, medium, & finis. Et se transvertit in hoc Sacramento, alieno apparens sub Vestimento, ut & nos convertamur & transvertamur assumpto novo salutis indumento.

PUNCTUM II.

Considera secundo quod Salvator noster Christus Jesus in hoc Sacramento fit conversionis exemplar. Incipit primo ab intrinseco & destruit substantiam panis & vini, accidentibus & extrinsecis qualitatibus conservatis: Eadem ratione se habet & agit in anima illam convertendo & renovando. Incipit ab intellectu, immutans, expellens & annullans omnes maximas à veritate deviantes; & principia erroris è medio omnino tollens. Ea ratione, ut anima, quæ sola delectabatur ante garrulitate, conversatione vana & Libertinitate, modo aliis & omnino contrariis inducta principiis & imbuta veritatibus quęrens loca solitaria mœroribus amica, silentio unice delectatur solitudinis amatrix: deinde ad voluntatem pertingens illam plane in aliam transformat, omnibus ejus desideriis, inclinationibus & affectionibus mutatis illam amare facit, quod ante oderat, jam acceptare, quod ante respuebat, & illi inhiare, quod ante omnino abhorrebat nulla facta in ex-

teriori homine mutatione: Verum toto extrinſeco in ſuo eſſe relicto, intus ſolum facta eſt mutatio; Ita ut anima converſa nihil de communibus ſuis exercitiis exterioribus omittat: Laborat enim ut ante, ſurgit, ut ante, orat ut ante, comedit & bibit ut ante, & hujuſmodi intendit exercitiis & operibus exterioribus ut ante, ſola purificata intentione & exceſſu vel defectu à ratione recta declinante ſublato. Exterius ergo apparet ut ante, de ordinariis nihil omittendo: At interius animæ hujuſmodi converſæ omnino eſt aliud, & quoad eſſe & quoad operari; Deo & Chriſto totum immutante cogitationes, deſideria & affectiones divinæ ſuæ voluntati conformes reddente.

Secundo Chriſtus Dominus deſtructis & annihilatis panis & vini ſubſtantiis illarum loco ſituatur ita ut ſit vere & realiter in eodem loco, in quo præ extiterunt panis & vini ſubſtantia: Ita pariformiter deſtructis in anima omnibus ignorantiis, erroribus, adhæſionibus ad tranſitoria & terrenis affectionibus, intrat ſumens in ea poſſeſſionem ſeſe in omnibus ingerens potentiis & animæ facultatibus nihil vacuitatis in illa relinquit, ita ut talis anima tota & totaliter Deo plena ſit.

Tertio Dominus, & Salvator noſter in Sanctiſſimo Sacramento eſt quaſi mortuus & ſine vita ac operationibus, nulla libertate aut potentia in actu ſecundo. Ita quoque anima vi Sacratiſſimi Sacramenti converſa à Chriſto totaliter poſſeſſa vivit mundo plene & plane mortua ſui perfecta mortificatione & omnimoda ſenſuum cuſtodia & retentione &c.

Quarto Chriſtus Dominus in Sacramento non apparet, *Deus abſconditus.* Anima pari ratione, debet deſiderare ignorari ab hominibus; & à mundo non videri & æſtimari: Illi ſatis eſſe debet à Chriſto Jeſu ſponſo ſuo videri, cognoſci & æſtimari. Non curat quomodo Mundus & homines ſuas explicēt devotiones, greſſus & actiones, ſemper directè & actionè & intentione ad Chriſtum tendit illo contenta ſolo.

Quinto Sancti Patres dicunt, Salvatorem noſtrum eſſe in venerabili Sacramento, modo plane ſpirituali nulli rei terrenæ convenienti. Eadem ratione anima debite converſa debet eſſe omnino ſpiritualizata, non amplius inhærēs, vel adhærens terrenis, aliter procedens ac ante, nullis amplius dirigitur maximis, principiis & regulis naturalibus: verum duntaxat ſupernaturalibus, & divinis.

PUNCTUM III.

CONſidera tertio quod Jeſus Chriſtus Dominus non eſt duntaxat converſionis noſtræ in ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento cauſa exemplaris: Verum etiam cauſa efficiens. S. Johannes certo nos docet certiores faciens Chriſtum veniſſe ut peccata noſtra deleret. *Ecce*: ait: *Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc per viam Ioh. 1. v. 29. duplicem præſtitit, per aquam, & per ſanguinem. Aqua eſt Baptiſmus, qui exterius abluit; & intus mundat à peccatis: Sed ſanguis, quem recipimus in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eradicat & extirpat omnes pravas habitudines, & omnia ad pecca-

tum

tum inductiva & inclinativa, radices omnis mali exsiccans, ex quo sequitur victoria perfecta mundi, carnis & diaboli. quod nobis non obscure innuit in sua prima canonica S. Johannes: *Quis*: inquit: *est, qui vincit mundum: nisi qui credit: quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non in aqua solum; sed in aqua & sanguine. Venit in aqua*: ut mundaret: & *venit in sanguine*; ut vivificaret. Sanctus Bernardus suis solebat dicere novitiis adhuc mundanis è mondo venientibus ac mondanis affectionibus nondum omnino liberatis: Si passiones inordinatas domare incipiatis malas mortificare inclinationes, invenite regulam constitutionis non nimis duræ, hi omnes effectus proveniunt ex digna sumptione Corporis Christi & Deifica manducatione carnis ipsius. Idem dic si hujusmodi non experiaris effectus & Time, ac Treme ne quod tu recipis in bonum fructus Spiritualis & salutis, tibi serviat in peccatum & ruinam. *Ioh. 5. v. 5.*

§. III.

Salvator noster in hoc Sacratissimo Sacramento gratiæ conferre augmentum.

Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum.

PUNCTUM I.

CONsidera primo, quod hoc sanctissimum Sacramentum non duntaxat institutum sit, ut illius virtute, & efficaciâ convertamur, sed & maximè ac principaliter, ut ejus digna participatione augmentum sumamus gratiæ ac in vita proficiamus spiritus, crescentes in bono salutis & perfectionis: At ut crescamus oportet nos parvulos esse & de numero parvulorum. Duplex autem est parvulorum, & infantiæ genus. Unum est genus parvulorum, qui nugis, vanitatibus transitoriis & mundanis rebus delectantur, adhærent & inhiant quos redarguens sapiens. *Usquequo parvuli diligitis infantiam*, ait, *& stulti ea, quæ sibi noxia sunt cupient* Et adhortans alibi: *Relinquite*, inquit, *infantiam, & vivite & ambulate per vias prudentiæ*. In quem sensum loquens Apostolus: *Cum essem*, ait, *parvulus loquebar ut parvulus, sapiebă ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli*. Non de hisce parvulis quæstio procedit, qui magnæ sint personæ, statura, ætate, etiã in oculis mundi sunt tamen sensu parvuli, parvuli cogitationib⁹, desideriis & affectionibus, mundana quærentes ut dignitates, honores, beneficia & munia Ecclesiastica & hujusmodi vana velut parvuli apprehensione & ambitione delusi & illusi. Aliud parvulorũ gen⁹ describit princeps Apostolorũ in sua prima Canonica. *Deponentes* igitur, ait, *omnem malitiam & omnem dolum & simulationes, & invidias & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile, sine dolo lac concupiscite*. Parvuli porro desiderantes, & adhærentes sinui materno, ex quo hauriant substantiam, qua non duntaxat nutriuntur, sed etiam sumunt augmentum crescentes. Hoc genus infantum oportet nos

Prov. 1. v. 22. *Prov. 9. v. 6* *1. Cor. 13. v. 11.* *1. Pet. 2. v. 1.*

nos imitari oportet, quod anima deſideret continuo in ſinu Dei quieſcere, Deo adhærere, haurire inde ſubſtantiam vitæ ſpiritualis & gratiæ ſupernaturalis qua nutriatur, ſumat augmentum & creſcat in virum perfectum, ſugendo ubera conſolationis, roboris & accretionis, quod in hujus ſacratiſſimi Sacramenti participatione anima pia & devota experitur.

Vide modo ſub quo horum ante memeratorum parvulorum genere comprehendaris; Annon res omnino deploranda eſt, quod poſt tot ſacras communiones adhuc ita nos debiles inveniamur, ita parvi, & parvuli ſimus, ut in nullo profecerimus, in nullo augmentum ſumpſerimus, manentes parvuli ut ante, debiles ut ante, tepidi ut ante, & in omnibus ut ante defectuoſi & imperfecti? Te ô anima mea paululum examina, in te quem ſentis profectum? quem in virtutibus progreſſum? quam à vitiis, peccatis & malis habitudinibus exemptionem & averſionem? & quem ad tui omnimodam renovationem fervorem? bene pondera.

PUNCTUM II.

COnſidera ſecundo, quomodo anima ſanctiſſimo Sacramento medio creſcat & in bono augmentum ſumat. Accretio in bono, profectus & augmentum animæ; quæ crebro ad hoc ſanctiſſimum accedit Sacramentum, conſiſtit in continua praxi excellentiſſimarum & ſublimiſſimarum Chriſti virtutum, quarum nobis hoc in Sacramento præbet exemplum, illarum quandam conficiens condituram ut medio accommodo torculari illas faciat diſtillari in animas noſtras, illas nobis appropriando, & communicando. Inter autē has omnes excellentiſſimas virtutes; tres præcipuæ inveniuntur nobis in qualitate filiorum, & parvulorum neceſſariæ. Prima eſt humilitas eximia & ſumma. Hoc quippe in Sacramento Deus magis ſe humiliavit & exinanivit quam in incarnatione & in cruce, ſe ſub groſſis ſpeciebus materialibus panis & vini conſtituens. Ubi quotidie male tractatur, nos ut doceret nos ipſos humiliare, deprimere & exinanire.

Altera eſt obedientia perfecta, quam Dominus & Salvator noſter præſtat & præſtabit uſque ad finem mundi cuilibet etiam peſſimo Presbytero, ſe promptiſſime ſimul ac citiſſime exhibens ſub ſacra hoſtia præſentem ad verbum ejus & præceptum forma conſecrationis expreſſum.

Tertia eſt abſoluta charitas, qua amplectimur & cordialiſſimo proſequimur affectu omnes fratres noſtros, nullo habito reſpectu ad vilem naturæ, ſenſum inclinationem ſeu nexum, æqualiter illos in Deo & propter reſpicientes & amantes.

Inſpice nunc & ſerio animadverte qua has tres virtutes ratione, æſtimes practices & amplecteris, &c.

PUNCTUM III.

COnſidera tertiò media creſcendi ſemper ita, & progreſſum faciendi continuum. Hæc ſunt & eſſe debent, quæ tibi S. Paulus proponit & ſuadet ut nos continuo conſideremus viatores & per-

peregrinos & cogitare semper nihil nos adhuc fecisse: *Fratres*, ait, *Ego me* Phil. 3. v. 13. *non arbitror me comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis.* Semper pugnare oportet & adhoc se resolvere; pax porro nunquam dabitur nobis quamdiu vivimus in hoc sæculo. *Militia est vita hominis super terram.* Si quippe hodierna die corpori meo dedero quod requirit, cras aliud petet, si illi una hora satisfecero, altera nisi illi ad placitū serviā, inquietabit me, & ita de omnibus inordinatis passionibus & appetitibus experientia docet. Nunquam contentantur; nunquam illis satis est, clamant semper *Affer, affer*; At econtratio si Deum audire voluero in Eucharistiæ Sacramento, si illi obedire voluero, quotidie mihi aliquid præcipiet & dabit perficere nobis continuo communicans suas gratias usque ad seipsum: Gratia nunquam contenta crescere quotidie desiderat, ut perfectior evadat, ut illi semper placeat à quo procedit. Ita sanctissimum Sacramentum crescere facit in gratia, ita gratiis gratias addendo gratiæ in nobis desiderium accendit, ut quo magis crescimus in gratia, eo magis crescere desideremus, ut alacrius in stadio hujus vitæ ad bravium accipiendum immortalitatis.

Perpende nunc quo modo hoc sanctissimo sis usus viatico hujus peregrinationis dato tibi ne deficias in via, vide an tibi ad augmentum spiritualis servivit, an in via perfectionis illo roborante progressum feceris. In quo te statu reperis? Ad hoc te hortatur Dominus per Prophetam. *Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & in-* Ier. 6. v. 16. *terrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris. State super vias vestras, revertimini ad cor.* Itane stas super vias tuas, ut ambules in via bona, ut revertaris ad cor? Unde provenit quod tali quotidie fruamur mensa, tali recreemur edulio. Et inde tamen non crescimus, non impinguamur, non proficimus? Causa hujus unica est, quod nō accedamus ut filii amore filiali impulsi. *Siquis est parvulus veniat ad me, & in-* Prov. 9. *sipientibus locuta est, venite & comedite.*

§. IV.

Sanctissimum Sacramentum est medium omnes superandi tentationes.

Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

PUNCTUM I.

Considera primò quod quando anima conversa est, sumpsit in virtutibus augmentum, gratiæ experta est fulcimentum, tunc magis tentationum fluctus insurgunt, timendum tunc est magis naufragium, ne in tempestuoso mari hujus sæculi allidas ad petram. Quo ex motivo monet sapiens: *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore & præpara animam tuam ad tentationem; deprime cor tuum, & sustine.* Hujus ratio est, quia quando cor redit ad se ipsum extricans ab omnibus extrinsecis

leсis mundanis & tranſitoriis & ſe ſerio convertit ad illum, qui ſe creavit. Ejus converſio cum non ſit averſio à creatura & converſio ad Deum, huic totus infernus, mundus univerſus, omnis natura & caro ſeſe quantum in illis eſt opponunt. Hujus figura præceſſit in populo Judaico in deſerto. Qui quamprimum bibiſſet aquam de petra & mannam comediſſet, obligatus fuit arripere arma contra ſuos hoſtes & bellum aggredi. Hoc non obſcure inſinuat Apoſtolus ad Corinthios: *Omnes*, ait, *eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum biberunt, (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petra, petra autem erat Chriſtus) Hæc autem in figura facti ſunt noſtri.* 1. Cor. 10. v. 4.

PUNCTUM II.

Conſidera ſecundo quales illæ ſint tentationes, quibus ordinarie impugnamur & maximè intendere debemus facta vera converſione. Et maximè Eccleſiaſtici ad hoc urgentur quia illis magis impugnantur. Triplices autem tentationes dantur omnibus vere ad Deũ converſis adverſantes & contrariæ. Primæ proveniunt à Dœmone hoc eſt à mundo, à reſpectibus humanis, à mundanis complacentiis, deſideriis, affectibus & deliciis. Tales enim veri converſi variis tentantur modis, pati enim debent mundanorum contempus, irriſiones & ludibria. Variorum ſubjiciuntur judiciis illos ſiniſtre judicantium. Appelluntur à Societatibus ut Hypocritæ, ſtulti & humana converſatione indigni, & hujuſmodi illis variæ adverſantur ubique occurrentiæ & occaſiones quas ſi vitare vellent, oporteret & eos exire de mundo.

Aliæ proveniunt ex parte corporis hoc eſt allectiones & adhæſiones ſenſuales, quibus ante uſi & illuſi fuerunt, delectationes carnales ſenſuum & parvæ & apprehenſivæ carnis deliciæ, quas oportet rejicere, carnem, & appetitus inordinatos carnis mortificare acquieſcendo Apoſtoli conſilio & exemplo *Caſtigare corpus ſuum & in ſervitutem redigere, ne forte cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur.* Cor. 9. v. 27

Tertiæ proveniunt ex parte ſpiritus & animæ, illæque ſunt cæteris eo graviores, quo plus adferunt moleſtiæ & tœdii. Hæ accidunt, quando Deus, ut animam probet, illam deſerit privans illam omni ſolatio & devotione in ſtatu ſummæ relinquit ariditatis, & interioris manutenẽtiæ ac omnimodæ deſertionis, ut ſibi videatur à Domino Deo deſerta. Contra has omnes tentationes, ſacra nos communio roborat, animat, & confortat, nobis ſuppeditans arma, quibus pugnantes contra hujuſmodi tentationes non ſuccumbimus. Si enim grave & pœnoſum ſit creaturas deſerere & ſuperare detractiones, contemptus, irriſiones, ludibria & omnes reſpectus humanos non æſtimare? Salvator noſter nobis dicit illud quod Elcana quondam ſuæ uxori Annæ conquerenti quod proles non haberet. *Num quid*, ajebat: *melior tibi ſum, quam decem filii?* Si oporteat ſe mortificare, nobis ob oculos ponit, quod ſancti & amici Dei ſuum corpus tractarunt ut hoſtem ſuum crudeliſſimum, mundani autem ut amicum

fidissimum, nosque ad minus nostrum tractare oportere ut servum, illi solum tribuentes necessaria ut subservire possit & obedire spiritui in suis functionibus tanquam suo Domino. Si necesse sit ingredi vias duras, ab his rectitudinis maximis & principiis ne devies. Hoc nos propheta jam ante in præteritis sæculis opere & sermone docuit: *propter verba*: ait; *Labiorum tuorum Ego custodivi vias duras*; animatus scilicet illo divino fortitudinis, qui in sacra communicatur communione. Illa enim dat nobis, & adfert vires incomparabiles adversus omnes tentationes & hostes salutis nostræ. *Deus in medio ejus non cōmevebitur.* Facit nos vivere fide & non aliter ac obcœcata persona non scire desinit, quod sol existat illuminans, ita anima ambulans in umbra mortis desolationis non cadit, nec desinit aut cessat sua obire pietatis exercitia, nulla licet inde experiatur aut fruatur, suavitatis dulcedine, nullo sensibili trahatur solatio, Salvator noster in Sacramento illi dat fortitudinem, & firmitatem.

Psal.6.v.4.

PUNCTUM III.

TE supra tria hæc tentationum genera serio examina quomodo illis obvies, resistas, & superes; & de fructu tuarum dijudices communionum: quia si mundum adhuc diligas, si apprehendas adhuc quid homines de te dicant vel sentiant, modo bene intendas, bene facias & bono adhæreas, si tuas adhuc quæras delicias & voluptates, si in mundo tantum esse delecteris, ut tuis satisfacias appetitibus, si illa duntaxat Loca amas & frequentes in quibus tuas quæris & invenis consolationes carnales; Sacramenti participato in te non multum operata est. Hoc bene considera & fac de futuris resolutionem profectibus.

§. V.

Sanctissimum Sacramentum adfert nobis in nostris tolerantiis solatium.

Virga tua & baculus tus ipsa me consolata sunt.

PUNCTUM I.

Supponas hanc maximi ponderis & momenti veritatem, quod oporteat quemlibet tolerare, & portare crucem.

COnsidera primo quod sit triplex tolerantiæ & afflictionum genus. Quædam enim veniunt ex parte, Dei ut sunt infirmitates, paupertas, obscuritates, defectus naturales tam ex parte animæ quam corporis & hujusmodi, quæ ex nobis accidunt ex generali vel speciali Dei providentia & ordinatione. Aliæ proveniunt ex parte proximi & aliarum creaturarum, cujusmodi sunt depressiones, injuriæ, oppressiones, contemptus, violentiæ, maledictiones & hujusmodi, quæ nobis permissione divina à nostris proveniunt proximis aut aliis creaturis sive rationalibus sive irrationalibus. Tertiæ proveniunt ex parte nostra ex nobis ipsis: sæpe enim sumus nobis ipsis insupportabiles & onus ponderosius

derosius & difficilius quam dici queat, quod sæpius non penetramus etiam ab aliis dum dicitur nobis non accipimus, in quo magis adhuc deficimus. Tot porro intercurrunt infirmitates, tot repugnantiæ accedunt & defectibilitates tot Locorum mutationes, temporum tot vicissitudines, tot propositorum voluntatum & intentionum variationes, tot resolutionum & sententiarum discrepantiæ. Ut experiamur quotidie omni hora, & omni momento in nobis Verbum Domini verificari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.*

Iob.14.v.1.

PUNCTUM II.

Supposito illo ; quod crucem vitare non possimus.

CONsidera secundo bonitatem & benignitatem Salvatoris nostri Dei, se in hoc Sacramento constituentis nobis ut amicus fidelis, potens & benignus in tanta adversitatum, miseriarum & difficultatum multitudine, quæ omni die, hora & instanti accidunt nobis, & ubi indicibili egemus consolatione, adiutorio & solamine, adferat in omnibus solatium & auxilium ne omnino animum despondeamus, desperemus & pereamus. Ibi enim proprie verè amici officiũ præstat & optimi subit munus consolatoris. Ita porro constituti in angustiis & adversitatibus ac miseriis angustiati ad creaturam aliquam si recurramus, nostras spe solatii & sublevaminis depositur querimonias & difficultates nostras, potius amarescere facient amaritudines quam dulcescere; Et loco consolationis desolationis præbebunt materiam. At ille amicus est incomparabilis, qui nec nos decipiet unquam nec derelinquet.

Fac ergo propositum alios omnes amicos missos facere di, hunc ut solum cõserves, & quandocunqne acciderit afflictio ; quæcunque undecunque illa proveniat, noli apud creaturas conqueri, sed taceas & veni ad tuum amicum exonerans cor, deponensque quæcunq; te angunt, torquent & cruciant, & certo certius consolationem invenies & Levamen, dabit tibi quod optimum est, quod est perfectus amor & fortitudo animi ad patiendum, quia fortis ut mors dilectio ; quam si ita felix & fortunatus fueris, ut tibi acquiras & compares, nullam amplius unquam patiendi difficultatem invenies, quidquid tibi evenire & accidere poterit, ut quidam ex sanctis scitè reliquit subjunctis verbis. *Cum amatur non Laboratur: quod si Laboratur non amatur.* Ideo illi magna confidentia & spe obtinendi quidquid petieris tibi salutare, ad tuam conducẽs salutẽ operias omnes tuas necessitates, indigentias & afflictiones. Prosternaris possibili humilitate ante augustissimum hoc Sacramentum, quod plenum est omni dulcedine, suavitatis odore & omni gratiarum plenitudine, si cum honore, reverentia ac respectu accesseris debito, non dubites inde specialem tibi maxime proficuam, eamque notabilem referes gratiam, nemo enim digne & ut par est ad illud accedens suo unquam fraudatur desiderio.

PUN-

PUNCTUM III.

MEdium, quo incomparabilis ille amicus tuus hoc in Sacramento utitur ut te consoletur, triplex est; tria enim tibi loquitur ad cor contra quæ nihil replicare omnino potes ipsa rei veritatis convictus evidentiâ.

Primum erit memoria & recordatio tuorum peccatorum; quæ infernum & æternam damnationē meruerunt; quod tibi ob oculos clarissime ponet. Etsi porro nullum unquam habuisses peccatum, nisi peccatum Adami, meritus es privari visione Dei æternaliter: An non hoc satis est, & motivum plusquam sufficientissimum omnes afflectiones, incommoda, & adversitates, quæ hac in vita mortali accidere possunt, quas Deus permittit vel immittit patienter sufferendi? Et dicendi cum Michæa veraciter, *Iram Domini portabo, quia*
Mich.7. v.9. *peccavi ei.*

Alterum erit brevitas, parvitas & exilitas omnium quæ pateris, illa æternitati comparando, & magnitudo ac præstantia boni quod à Deo expectas in præmium & remunerationem æterna-
Rom.8.v 18 lem in cœlo. *Non condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Tertium est, quod illi repræsentabit submissionem, obedientiam & omnimodam subjectionem; quam habere debet ad omnes divinas voluntates, placita & ordinationes: quo motivo inductus magnus Sacerdos ille Heli Samueli illi indicanti mala, quæ Deus statuisset inducere super Domum ejus, re-
1. Reg. 3. v.18. spondit: *Dominus*: inquit: *est, quod bonum est in oculis suis faciat.*

An non ex hisce omnibus motivis se quis potest in quibuscunque adversitatum, afflictionum, & calamitatum, hujus vitæ occurrentiis consolari sufficienter? Adde Salvatorem nostrum semper esse præsentem, semper tibi astare, semper videre, & optime ponderare ac calculare, quæcunque suffers & pateris; te adjuvans ut bene ac ut par ad meritum tibi sufferas ac patiaris: Junctum hoc, quod quando Deus animam aliquā pervenire & ascendere vult ad magnam perfectionem, illam eo per viam afflictionis & tolerantiæ deducit. Nec in eo te mirari oportet. Ille ipse præivit, ille tibi viam, quam ambules ostendit, exemplum tibi dedit. *Oportuit Chri-* Luc 24. v.26.
stum pati, & ita intrare in gloriam suam.
Si compatimur ait S. Paulus: *& conglo-* Rom.8.v.17.
rificabimur: Quid discipulo gloriosius quam exactè sui Magistri regulas & præcepta sequi & observare? Quid servo commendabilius quam Domini voluntatem adimplere? quid Subdito & Vasallo laudabilius quam deferre, quantum Subditus & Vasallus fidelis debet, & cœca testari obedientia omnem submissionem Legibus, præceptis, & ordinationibus sui Regis? Verum si Magister hic, hic Dominus, & Rex ille istos sibi subjectos adjuvarent in executione sui debiti, quę non illis foret consolatio, quod solatium, simul & animositas & quis dulcor acceptabilior concipi posset? Christus ergo Jesus in Eucharistiæ Sacramento nos ut verus & unicus Magister noster, docet, nobis præest, ut Dominus, nos regit & gubernat ut Rex. Illum igitur audire, ejusque præcepta, regulas & dogmata sequi & observare de-

bemus ut boni discipuli, illi humililiter obedire, ejus voluntatē in omnibus facientes ut obediēties servuli, & leges ejus, præcepta & ordinationes adimplere ut fideles subditi. Illum proinde ut Amicum fidelissimum, ut optimum Magistrum, ut Dominum & Regem, O anima amare debes, observare, revereri & honorificare plena & perfecta resignatione illi adhærere generali, rejecta cujuscunque rei alterius affectione, amori præjudicativo vel in minimo.

§. VI.

Sanctissimum Sacramentum gaudium & suavitatem animæ illud digne recipienti confert.

Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus est.

PUNCTUM I.

CONsidera primo postquam anima veraciter conversa, progressum sumpserit in virtutibus, & bonorum operum exercitationibus, permanens & perseverans in tentationibus, quibus occurrentibus in bono immota laboribus, tolerantiis & afflictionum pondere non depressa, Dei ordinarie singulari gratiarum divinarum prævenitur profusione, & tanta cœlestium consolationum repletur abundantia, ut omnia, quæ illi antea amarissima & insupportabilia apparebant, illi modo mere dulcescant & levia sint, juxta verbum Prophetæ illud insinuare volentis. *Impinguasti in oleo caput meū.* Experitur tunc anima pia verum esse verbum Domini, quo dicat: *Jugum meum suave est & onus meum leve.* Matth. 11. v. 30. Cum enim Sacramentum quodlibet suos proprios & particulares habeat effectus, Sacramenti hujus Sacratissimæ Eucharistiæ effectus proprius est, suavitas animæ & gaudium. Ibi enim degustatur ipse fons inexhauribilis omnis suavitatis & dulcedinis & Christo Jesu Domino servitur quantum fieri potest in hoc mundo. Quod expressit Propheta. *Gustate & videte quoniam suavis est dominus.* Antiquitus Manna appellabatur substantia Dei, ratione suavitatis & dulcedinis suæ, & habebat saporem, quemcunque desiderabat eam manducans. Hic omnia hæc bona meliori modo & superabundanti accretione inveniuntur: substantia enim Dei in existit in realitate non figura tantum.

PUNCTUM II.

CONsidera secundo, in quo suavitas hæc sita sit, quam Deus in hujus Sacramenti participatione animæ communicat. In illo sita est hæc suavitas, quod animæ illi piè communicanti reddat virtutum praxes ex se difficiles, & ingratas, facillimas, & non solū facillimas, verum etiam gratissimas. O quam anima felix est, Quando silentium illi acceptum est, oratio placet, & examina illam non amplius terrent, perturbant & exacerbantur: quando illi sunt piæ Lectiones deliciosæ seu deliciæ & vita, illi mors est! Apostolus testis hujus fidelis inuenitur & verus, in hac schola

Christi enutritus: *secundum expectationem & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.* Hoc est quod per oleum Propheta intendit innuere: oleum enim illuminat, dulcescere facit & ungit. *Impinguasti in oleo,* secundo suavitas hæc sita est in certa bona animæ valetudine, & integritate, quam ex hujus Sacramenti participatione haurit, attrahit, conservat & augmentat. Ita enim hoc Sacramentum perficit, sanctificat animam ac quodammodo inebriat illo calice salutari. Quod agnoscens Propheta experientia doctus. *Et calix meus:* ait: *inebrians quam præclarus est.* Hæc est ebrietas sancta, qua obliviscitur homo mundi, parentum, amicorum & omnium terrenorum, unicè ut cogitet de Christo Jesu; illi ut unicè adhæreat. Serviat unicè, unicè amet, in quo anima juxta aliam olei proprietatem impinguatur.

Philip. 1. v. 20.

PUNCTUM III.

CONsidera tertio, unde proveniat, quod tam pauci inveniantur; qui hunc gustum in hoc Sacramento percipiant, & hanc experiantur suavitatem. Hoc ex eo potissimè provenit, quod rebus non afficiantur spiritualibus, vel melius ut dicamus: quod nimis inhæreant transitoriis, quæ gustum illorum vitiant & corrumpunt, suntq; quasi febricitantes, linguam habentes malis & corruptis imbutam humoribus, nihil invenire possunt; quod illis sapiat & eorum palatui arrideat.

Vide nunc & examina, ô anima mea, quis humor amarus, & vitiosus tuum corrumpat palatum, & linguam vitiet, ut non possit divinam in hoc Sacramento gustare suavitatem: Ut quis Deum & divina degustet, debet omnem omnium creaturarum amisisse gustum: Impossibile est utroque simul gaudere & frui gustu, sibi omnino contrariantur, unus alterum in eodem nō compatitur: Palatum cui terrena, carnalia & transitoria arrident, non potest divina, spiritualia & æterna degustare: Renunties ergo, O anima mea, gustui omnium terrenorum bonorum, omnium voluptatum carnalium & omnium consolatiuncularum præterlabentium: Et videbis ipsa edocta experientia: *quam suavis est Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.*

§. VII.

Salvator noster in hoc nobis dat perseverantiam.

Et misericordia tua subsequentur me omnibus diebus vitæ meæ.

PUNCTUM I.

COnsidera primò etsi omnia præmemorata bona hucusque relata, quæ sacratissimum hoc Sacramentum producit, maxima & inæstimabilia sint, ut animam convertere, fidelem reddere, & patientem in adversitatibus fortitudinem tribuere & hujusmodi: Hæc nihilominus omnia nisi & perseverentiam habeamus,

beamus, qua finem liceat & detur attingere beatum. Ea de causa adhuc Propheta in hoc psalmo, postquam animam deduxit usque adhoc punctum, adjungit, quod necesse sit hanc adhuc perseverantiæ impetrare: *Et misericordia tua*, ait, *subsequetur me, &c.* Vocat misericordiam ex eo, quod perseverantia sit eleemosyna, quam petere non possumus ex justitia, cum non sit in nostra illam unquam posse mereri. Datur ergo nobis ex sola misericordia.

PUNCTUM II.

Considera secundo rationes ob quas dicitur, quod hoc Sacramentum tribuat & producat perseverantiam. Prima ex eo desumitur, quod Salvator noster se in hoc Sacramento voluerit communicare ut extensionem, perseverentiam & constantiam sui amoris suæ promissioni conformiter; qua repromiserat se nunquam nos velle deserere, sed semper nobiscum permanere velle. Ecce inquit, Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Hæc promissio perfecte adimpletur in hoc Sacramento. Ideo est in se Sacramentum perpetuũ, quod Sacramentum permanens appellamus, ad differentiam aliorum Sacramentorum, quæ transeunt, in actione transitoria, successiva Ministri posita. Sanctus Joannes ostendit evidenter, quomodo filius Dei hoc instituerit Sacramentum ut perseverantiæ medium, cum dicit. *Cum dilexisset suos,* Ioh. 13. v. 1. *qui erant in mundo, in finem dilexit illos.* Hoc est omnibus modis in hoc Sacramento, illis omnia bona sua communicans, & seipsum, & hoc usq; ad consummationem sæculi. Ita etiam suo æterno Patri dicebat. *Pater quos dedisti mihi servavi.* Et quomodo servavit. Primo illos servavit suis orationibus ferventissimis ad Patrem die noctuque effusis sine intermissione suæ conformiter Doctrinæ, *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Servavit secundo illos sua Luc. 18. interiori & speciali protectione, servavit tertio illos suis sermonibus verbis, & efficacissimis exhortationibus, penetrantibus, & pertingentibus usque ad divisionem animæ ac spiritus. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior* Heb. 4. v. 12 *omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque Medullarum & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Suis quarto illos servavit exemplis & vitæ perfectione. Ideo se in Sacramento constituit & permanet nobis ut idem præstet, nos ut servet & conservet. Ibi orat efficacissime & offert seipsum continuo Patri æterno sacrificium acceptabile, ut verus Sacerdos, juxta verbum Domini! *secundum ordinem Melchisedech, qui in diebus carnis preces supplica-* Hebr. 5. v. 6. *tionesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte cum clamore valido & Lachrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Qui sunt hi dies carnis suæ, nisi hoc sanctissimũ Sacramentum continuo permanens, in quo continetur caro ejus pretiosissima sanguine concomitante, anima similiter nunquam non præsente, ac divina ejus persona. Totus ergo Christus Jesus in hoc Sacramento nõ tantũ orat pro nobis, verũ & seipsum offert, juge sacrificium: quia nulla tran-

sit hora aut momentum, in quo Christus Jesus non se offerat Patri æterno in sanctissimo missæ sacrificio. Ita Christus servat suos suis in hoc Sacramento orationibus, gratiis & benedictionibus.

PUNCTUM III.

COnsideratio tertio, unde proveniat, quod tot homines accedant ad Sacramentum illud, participent & sumant; Et tam pauci nihilominus inveniantur, qui in bono perseverent, qui constanter viam currant mandatorum Dei, viam teneant salutis & virtutis. Hoc totum provenit & oritur ex infirmitate nostræ corruptæ naturæ, ex flexibilitate & impotentia voluntatis nostræ, prementibus tentationibus & occasionibus quasi continuo & sine intermissione præsentibus, juxta exigentiam status & conditionis in qua quis degit: Principale tamen impedimentum præpediens & obstans, quo minus perseveremus in bono, in via salutis & virtutis, est nostrarum resolutionũ instabilitas & inconstantia. Et quis huic medelam adferet, quis emendabit, quisquis firmat nos, ut non flectamur & deflectamur? Eheu quæ huc remedia adhibebimus? Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum! Tu solus es qui juvare potes, solus qui media & remedia adhibere.

Remedia in hoc passu necessario adhibenda sunt varia, bene inquirenda & servanda. Primum est fidelitas in oratione & suiipsius provida circumspectio, cura diligens, & attentio specialis, ne diffluat & à rectitudine virtutis deflectat. Alterum est Sacrificium perpetuum, quo quis sese continuo Deo dicat & consecrat. Tertium est omnibus actionibus, resolutionibus bonis & intentionibus nostris opponere sigillum firmum. Hoc sigillum non est aliud, quam Christus Jesus in hoc Sacramento. Roga igitur & ab eo pete continuò & sine intermissione, & maxime cũ Sacramentum frequentas & sumis: *Pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum.* Non permittitur ut sigillum Regis deponatur vel frangatur, nec Principis signaculum tangatur sub grandi punitionis comminatione & pœna, & fortiori anima sigillata sigillo sanctitatis Dei manebit immota in rectitudine virtutis & sanctitatis. Et si postquam in sacratissima communione hoc sacrum signaculum receperit super cor, animadvertatur ad suos antiquos defectus & malas consuetudines reverti signum infallibile erit, quod signaculum deposuerit & propositum ac voluntatis resolutionem mutaverit.

§. VIII.

Sanctissimum Sacramentum bonam inducit mortem.

Et ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

PUNCTUM I.

COnsidera primo, quod unus eximiarum effectuum sacratissimæ Eucharistiæ sit, bonum & felicem nobis dare finem; hoc est, facere ut quis bene & feliciter intra quasi brachia Dei in osculo pacis moriatur & transeat de mortali vita ad immortalitatem. Ob hoc Christus instituit hoc Sacramentum, cum jam vellet media morte ad Patrem transire,

ut oſtenderet nos debere, principaliter hoc Sacramento in hora mortis muniri ut viatico & robore in illo periculoſo itinere. Ita ſancta Mater Eccleſia intentioni ſui fundatoris Chriſti Jeſu inſiſtens illud dat filiis ſuis in illo agone velut viaticuum, quo roborantur & multiplicantur, hoc eſt ſalvantur multi requieſcentes in pace juxta illud: *à Fructu frumenti, vini & olei multiplicati fideles in pace Chriſti requieſcunt.*

Gratias quas potes maximas huic divino Salvatori, Deo tuo & propitiatori tuo perſolvas. Roga eum & humillimè ſupplica, ne illo priveris ſolatio, ne tam grato, & opportuno deſtituaris viatico, dum te ex hac vita migrare erit neceſſe. Acceptes ideo & approbes adorans, genus mortis quodcunque ille tibi placuerit evenire, vitam tuam ad hoc unice diſponens.

PUNCTUM II.

COnſidera ſecundo, qui illi ſint, quibus Salvator noſter ita in fine vitæ ſe communicat, & quibus mortem felicem concedit gratiâ viatici hujus. Illi ſunt, qui in vita digne communicarunt, qui ad hoc acceſſerunt Sacramentum facta diſpoſitione ſufficienti cum honore, reverentia & reſpectu debito non ex conſuetudine ſola, animi, devotione & mentis diſpoſitione prævia. Qui illud ut remedium omnium malorum ſuorum receperunt, & ut robur, quo roborati ſuis posſint reſiſtere peccatis & omnibus inimicis: Hi ſunt, ad quos venit, ut illorum ſit conſolator in doloribus mortis, defenſor in inſultibus hoſtis, & Protector in inferni periculis. Hi ſunt, ad quos intrat ut illis oſculum infigat in profundo cordis eorum, incipiens cum illis hic in inferioribus terræ communionem & unionem, quæ debet inſeparabiliier illos ei unire in æternitate: Ubi ecõtrario anima libertina, quæ ſuis in vita inordinatis appetitibus laxavit habenas, ſe videbit omni deſtitutam ſubſidio, omni privatam ſolatio & ad jutorio nudatam exclamans deſperabundè: *doleres mortis circumdederunt me*: Quæret conſolatorem & non inveniet. *Pſal.* 14. *v.* 13. Chriſtum Jeſum ſuis vehementer irritatum peccatis & abuſionibus intelligens, ingenti percuſſa pavore adjiciet. *Pericula inferni invenerunt me.* Nihil amplius in umbra mortis conſtituta videbit, ex quo poſſit vel minimum ſperare ſolatium. Qualibus agitabitur tunc anxietatibus? qualibus concutietur terroribus? quo devenient ejus omnes cogitationes? omnes intentiones ejus evaneſcent & peribunt. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Conſtitue te tali in ſtatu ac ſi jam, hoc momento, mori deberes. *Quid ſentis de teipſo?* quot negligentiæ, quot infidelitates tibi in mentem veniunt? dolores mortis, & pericula inferni non te terrent perturbant & anxium faciunt? viſne hæc vitare, præcavere & effugere? quæras adjutorem potentem, & Protectorem invincibilem.

PUNCTUM III.

COnſidera tertio media, quibus in illa hora formidabili à Chriſto Jeſu auxilium impetrare queas, quibus

bus de ejus certificeris protectione. Primum est devotè magna cum reverentia divino missæ Sacrificio assistere ac si exequiis, & funeralibus Christi Jesu Domini nostri interesses. In illo porro omnia optimè repræsentantur: Corpus si quidem defuncti ibi expositum est quasi mortuum, sepultum est non solum in corporalibus; verum etiam & maxime sub speciebus Sacramentalibus: Conditur in sepulchro cum immissum per sumptionem in stomachum Presbyteri & aliorum communicantium; *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Amici invitati sunt dum virgo Beatissima & alii sancti invocantur, ut suis assistant orationibus. Ibi Luminaria reperiuntur, non solum ratione cereorum in Altaribus verum etiam ratione presbiteri, assistentium, & Angelorum præsentium suas ut offerant preces. Ibi fiunt distributiones gratiarum & favorum divinorum illis qui ibi assistunt ut oportet: Et si nos comitati fuerimus Christum Dominum illo modo in suis funeralibus, nobis etiam in obitu nostro nō deerit. *In pace Christi requiescunt.* Alterum est, quod nos, quoties communicamus, communicare debeamus, ac si foret ultima, quam recipiemus sacram communionem parati jam choris beatorum inseri sine obice vel obstaculo, ut dicere cum S. Paulo possimus: *Nostra conversatio in cœlis est*: Vel illam recipere; ut Israelitæ in manducatione Agni faciebant ad repetendam Palæstinam, hoc est, ut dispositi simus ex hac vita discedentes cœlum repetere, ad Deum redire qui est origo nostra, & ad hoc nos creavit & misit in mundum.

Nunc resolutiones hisce mediis conformes facias, & concludas per totalē tui ipsius abnegationem & resignationem omnium quæ possides in manibus Jesu Christi in hoc Sacramento.

SERMO XL.

PRO DIE OCTAVA SANCTISSIMI SACRAMENTI.

De Sacerdotio Evangelico & de dignitate Presbyteri.

I. Excellentia Sacerdotii Evangelici.

II. Quem in finem te elegerit Deus, illi ut Sacerdotio fungaris. Et quid ob homine hac in qualitate requirat.

III. Media quæ illi dat hunc assequendi finem.

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina si pereant.
S. Hier. in Ezech.

Dignitas Sacerdotis, ait S. Hyeronymus, est incomparabilis; Verum si virtutes huic tanto statui competentes non habeant, expectare ruinam habent

habent deplorabilem. Ex hujus apprehensione scribens Bleusensis Londonensi Episcopo. *Imprimis*: ait: *Sanctitatem vestram indubitanter scire desidero*; *Quod inæstimabiliter me deterret sacerdotalis Eminentia gradus*; & quod differo vel recuso, facit reverentia non contemptus. Magna est, & superemitens cœlestis dignitas Sacramenti; & quis poterit ad eam? Et subdens ulterius suam agnoscens insufficientiam. Ideo, ait: tanti sacramenti majestate deterritus insufficientiam sanctitatis; quam ille gradus exigit, meticulosos allego. Certe Moyses jam electus in Ducem pupoli, & ad Pharaonem mittendus: Jeremias etiam vocatus à Domino ut populum rebellem erudiat, humiliter se excusant: Nec dubium est; quin tantum præemineat sacerdotalis dignitas officio veterum Patrum; quantum res spei, substantia umbræ; Quantum promissionibus, exhibitio veritatis. Isaias Domino quærenti; quem mitteret ministerio prædicationis se offerens prius calculo purgatur altaris. Nemo enim aptus est ministeriis spiritualibus, donec sancti Spiritus ardore purgetur. Ob reverendam hujus Ministerii eminentiam S. Marcus, cujus cor & linguam Dominus sancti spiritus igne purgaverat, quasi tamen adhuc imperfectum suum sentiens pollicem sibi abscidit. Ad hæc Paulus eremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, Paphnutius, & uterque Macharius & Arsenius, beatus etiam Benedictus cæterique viri nominatissimæ religionis, quorum memoria in benedictione est; nunquam gradum Sacerdotii attigerunt. Terribilis verè locus est, in quo Deo Patri ejus unigenitus immolatur: ideo quisquis accedit ad tantæ sanctificationis ministerium, necesse prius habet deponere omnem immunditiem operum mortuorum, hostiam vivam a qua omnia vivificantur oblaturus, Ut ex subjunctis clarius patebit.

Epist. 123.

Exod. 4. v. 20. Jerem. 1. v. 6.

Isa. 6. v. 7.

PUNCTUM I.

CONsidera primo dignitatem & excellentiam Sacerdotii Evangelici. Dignitas hæc & magnitudo ex duplici clarescit potestate presbiteris in suis data ordinationibus. Prima est ad peccata remittenda, verbis Domini expressa in Evangelico. *Accipite Spiritum sanctum*: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Alteram ad consecrandum Corpus & Sanguinem Domini. Illis data à Christo verbis subjunctis. *Hoc facite* &c. Primâ in Sacramento pœnitentiæ hominibus cœlum aperiunt; illos eò destinantes; dum eos cives Sanctorum, & domesticos Dei ac cohæredes Christi constituunt. Alterâ faciunt Deum vivum Filium Dei vivi Jesum Christum è cœlo descendere in terram in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento. Dignitas hæc tanta est juxta SS. Patrum commune & verum sentimentum, ut incomparabiliter omnes terræ superet dignitates Regum, & Imperatorum imo & Angelorum. Et hæ potestates ita sunt nobiles, quod Domina nostra Mater Dei dignissima in terris, si esset, has duas admirabiles non posset exercere potestates, aut earum ponere effectus. Hoc S. Bern: mellifluo suo more

Ioh. 20. v. 13.

more reliquit expressum. *Quam dignitatem contulit vobis Deus? quanta est:* inquit (Sacerdotes alloquitur) *prærogativa ordinis vestri? prætulit vos Deus Regibus & Imperatoribus, prætulit ordinem vestrum omnibus ordinibus Imo altius loquar, prætulit vos Angelis, & Archangelis, Thronis & Dominationibus, sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem, sic non Angelis, sed hominibus solisque Sacerdotibus Dominici Corporis & sanguinis commisit consecrationem.* Vide ergo, & bene animadverte, ne ad tantam hujus magnitudinis claritatem obnubilentur tui luminis interioris Lumina: Verum magis facta reflectione seria super te ulterius inquire nova Luminis accessione ad ulteriora, te non ex te, sed ex gratia Dei extende ad anteriora, usque dum tandem pertingas ad palmam.

S. Bern. ad Post: in Synodo Longe.

PUNCTUM II.

CONsidera secundo quem te Deus in finem tot inter fideles elegerit, illo ut fungaris Sacerdotio, teque ita sublimaverit: Non in alium profectò finem, quam ut ei fideliter servias, non communibus, ut reliqui Christiani servitiis; verum ut extraordinariis obsequiis magis & specialibus servitiis ejus promoveas honorē, gloriā ejus quæras; ejus majestatē sincerè adores & omnib⁹ suspiciendam & adorandam possibili zelo, & diligentia proponas. Hanc ob causam rogat Psalmista. *Sacerdotes*, inquit: *tui induantur justitiam: & sancti tui exultent.* Ut enim te suæ propinquare majestati hac eminenti dignitate gratuitè in illum tibi concessa finem magis facit, quam omnes cœteros homines, prætendit pariter etiam, illi ut magis propinques virtute, justitia & sanctitate extraordinaria. Et verum ut fateamur, nunquid Sacerdos extremè sanctus esse debet; & ut Propheta advertit, se in suis verbis, & in suis operibus exornare & induere justitia? Cum Sacerdotium totaliter & omnino sit cōsecratum cultui Dei vivi? quale os & qualem ille debet habere Linguam toties sacro Christi Jesu sanguine irroratam? quam puræ esse debent manus illæ, quæ tanta sacrum corpus ejus familiaritate tractant? quam augusta, venerabilis, & divina ejus vita esse debet; qui potestatē habet in cœlos & in inferos, illa ut aperiat, & claudat pro sua libertate? Et cui Deus totum suum jus & interesse commisit ad remittendas & retinendas offensas? quod admirans S. Chrysost. *quantam*: inquit: *ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim quales manus hæc administrantes esse oportet, qualem linguam, quæ verba illa effundat: quæ denique re non puriorem sanctioremque esse conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum Spiritum receperit.*


S. Chrysost. lib. 6. de Sacerd. cap 3.

PUNCTUM III.

COnsidera tertio media; quæ Deus finem hunc assequendi concedit Sacerdotibus: Et attende qua iis ratione utaris. Hujusmodi media alia non sunt quam functiones Ecclesiasticæ, ut decet exercitæ; orationes, preces, offi-

cium divinum; Breviarii persolutio, missæ Sacrificia, Confessiones frequentius repetitæ. Instructiones, Sacramentorum administrationes, sæcularium negotiorum exclusiones, & omne tempus ad Deo vacandum concessum: Ex quo provenit, ut respectu eorum omnes hebdomadæ dies feriæ dicantur. Quod illi divinis continuo intenti feriari ab omni sæculari & exteriori negotio debeant. Deo maximas quas potes persolve gratias, quod te ad finem ita sublimem vocaverit; quod tot tibi concesserit media, ita propria & apta, quibus ita secure, & facile tuum possis attingere finem; illis si uti volueris. Serio examina usum illorum; quem usque modo fecisti: Veniam pete; quod ita exilem intentionem, & attentionem ad sanctitatem, ad quam astrictus es, vi tui status & vocationis, habueris hucusq;. Et proponas de cœtero efficaciter emendationem, ea inductus apprehensione, quod si tuæ non corespondēris vocationi, eò gravius condemnaberis, quo altiori præ aliis in honoris & præeminentiæ constitutus gradu fueris. Juxta verbum Sapientis, *Potentes potenter tormenta patientur.* Ex quo capite bene Blesensis. *Vide*: inquit: *quantum pro te ipso satisfeceris, ut scias quod desit tibi, ut de tua taceam anima. Vide quot animas de ore Leonis & de faucibus inferni ejeceris: quantum Lucri de talento tibi commisso, opere, verbo & exemplo retuleris, quam feliciter carnem tuam purgaveris jejuniis, & disciplinis: quam fortiter pro Domo Dei ex adverso ascenderis, ad omnia hæc factus es ex tua professione obnoxius.* Eadem ductus ratione S. Hieronym: ait; quod gaudendum sit in ordinatione Sacerdotis; sed & eodem tempore timendum de ejus ruina. *Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad Lapsum.* Multis quippe accidit sæpe Sap. 6. Pet. Bles. Epist. 5.

Tolluntur in altum, ut Lapsu graviore ruant.



SERMO XLI.
PRO FESTO S. BARNABÆ.
De prudentia & simplicitate Apostolica.

I. Cur Christus in Apostolis virtutem requirit prudentiæ?
II. Cur prudentiæ adjungitur simplicitas?
III. Reflexio.

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columbæ, *Matth.* 10. *v.* 16.

HUic Christi doctrinæ S. Barnabas adhæsit, dum inter primordia apostolicæ vitæ & perfectionis inter primos repertus, tubâ Spiritus sancti per orbem

orbem intonante. *Ecce quam bonum; & quam jucundum habitare Fratres in unum.* Qui duo Domino obtulit minuta corpus & animam. In hunc enim modum Regularis cohabitatio Fratrum initium habuit in Sion temporibus Apostolorum initiata in tribus: In charitate fraterna, in communi substantia, in communi obedientia. De primo dictum est. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* De secundo. *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat:* De tertio: omnia ponebant ad pedes Apostolorum; tanquam profitentes eis debitam subjectionem. Pro his tribus dicitur eis. *Estote prudentes sicut serpentes,* id est caput custodite: Fidem datam servate: servate fidem in Charitate, in mortificatione carnis propriæ, in abdicatione omnis proprietatis, & in obedientia communi, Omnia in nomine Domini facientes: Quasi mutuo sibi dicant: Magnificate Dominum mecum ubique Dei majorem gloriam quærentes, quod S. Barnabas constanter ab exordio vocationis ad Ministerium Christianæ vitæ & prædicationis præstitit, Apostoli Pauli in conversione gentium socius individuus, ut exprimitur in actibus Apostolorum. *Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud; & indignos vos judicatis æternæ vitæ, Ecce convertimur ad gentes: Sic enim præcipit nobis Dominus.* Ita erat firmus, ita constans erat S. Barnabas in sequela Christi, in fide semel data & assumpta servanda & in omnibus Christi placitis adimplendis. Ut innotescet.

Psal. 132. v. 1. — Actor. 4. v. 132. — Ibid. v. 34. — Act. 13. v. 46.

PUNCTUM I.

Considera primo, cur Dominus noster, & Salavtor tot passibus suis Apostolis specialiter recommendat, ut prudentia utantur & circumspectione prudenti in suis directionibus & processibus. Ratio hujus quam sancti Patres ad ferunt, est, quia sine prudentia nulla virtus vera subsistere potest. Tolle prudentiam (inquit S. Bernardus) *& virtus vitium erit.* Hæc est velut fax, & Lumen viam, qua quis ambulare debet, præostendens, sine quo quis in tenebris & cæcè ambularet. Sali jurè in scripturis comparatur. Ob hoc monet Apostolus: *Sermo vester semper in gratia, sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat unicuique respondere. Habete vobiscum. Omnis victima sale salietur, Cavete ab hominibus.* Hanc vocat Spiritus sanctus scientiam Sanctorum. *Scientia Sanctorum prudentia.* Et alibi ait, quod tanti sit æstimāda, ut sit præferenda viribus cunctis, etiam imaginabilibus. *Melior est sapientia quam vires, & vir prudens quam fortis.* Hac virtute munitùs tot S Barnabas animas attraxit ad Deum. *Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desideria utiliter providens, & mala solerter cavens.* Ita S. Barnaba provide agente; Apposita est multa Turba Domino. Considera nunc & solerter vide an omnes tuæ actiones regulentur hujus virtutis motivo, & regula. Si tuus Zelus, si Labores tui, si tuæ visitationes sermones & discursus tui; hujus prudentiæ terminis & Limitibus constringantur in nullo à regulis ejus præscriptis devian-

Ad Colos. 4. v. 6. — Proverb. 9. v. 10. — S. Greg. Mor. cap. 10.

deviantes; si non quandoque, & sæpius naturali tua deordineris in tuis actibus; negotiis & sermonibus, impetuositate.

PUNCTUM II.

VErum cur Dominus & Salvator noster prudentiæ serpentinæ adjunctam cupierit simplicitatem Columbinam bene considera. *Estote: prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, suis loquitur Christus Apostolis, Illi ut, sicut serpens in duobus suam ostendit prudentiam. Primo cum se omnino animadvertit expositum ruinæ corpus, solo capite conservato, periculo exponit; vel cum jam premitur senectute, se sua antiqua exuit pelle, transiens & penetrans violenter inter silices. Secundo, cum persecutores patitur suum vibrat in eos, qui se persequuntur, venenum; Illi inquam ut primo modo, ruinæ expositi totum corpus, id est omnia bona sua exponant, & vitam ipsam capite solo servato; hoc est fide sola & perfecta ad Deum adhæsione reservata; Et dum fervore spiritus tepescente in veterem degenerant hominem novo excitati Spiritu per angustam conentur ad salutem introire portam. Et in hoc serpentina prudentia deserenda non est; quia ad bonum ordinata. At in altero Columbinæ simplicitati studendum est, non resistendum est persequentibus iis nocendo, aut malum pro malo reddendo; At magis in bono malum vincendo, illis, mansuetudine, amore & quadam compassionis teneritudine obviandum; velut Columbæ quæ

Matth. 20. v. 25.

sunt juxta S. Augustinum, animalia sine felle: Illis nunquam nocent; qui illis damnum & injuriam inferunt; Nec se iis opponunt, qui nidos suos spoliant; & nunquam redire intermittũt, etsi violenter expulsæ. Ut verum sit, *qui ambulat simpliciter, ambulat Confidenter.*

S. G... E. M... 20. c...

PUNCTUM III.

HÆc virtus est specialiter, quæ sanctum Barnabam recommendabilẽ reddidit, & Laudabilem; Et quæ fecit, ut in historia sacra diceretur, quod vir esset magnus, magnæ probitatis, & plenus Spiritu sancto, ac fide vivâ. *Erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide.* Hæc illum induxit & obstrinxit, ut Dei esset solius, ut Columbæ sunt sui solius Patroni & Domini; ut se omnibus exueret bonis, quæ habuerat, & ad pedes Apostolorum projiceret & de illis, ut disponerent ad placitum, sibi nihil ex illis reservans. Hæc effecit ut Synogogâ relictâ, ex quâ toties fuerat ejectus, non intermitteret nihilominus se exponere & suo more omnes in Synagogis exhortari ad illa, quæ fidei, veritatis, & salutis erant. Animadvertis-ne reperiri tua in directione hanc virtutem simplicitatis, ita Domino, & Salvatori nostro gratæ? Longe abest; jam calliditas sola, fraus, & astutia solum in pretio habentur & locum ubique inveniunt, simplices ut supplantentur & illudantur. Simplicitas, ruditas, inurbanitas & stupiditas æstimatur. Sancti Gregorii sententia verificatur: *Deridetur justi simplicitas, hujus mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis*

bis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera falsa demonstrare: hæc nimirum prudentia usu à juvenibus, scientia à pueris pretio discitur, hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt, hanc qui nesciunt subjecti, & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem iniquitatis duplicitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur. Locô quod unicè respectus, & intentio in omni opere habenda, & dirigenda, ad Deum solo affectu justitiæ, & Deo placendi elicienda foret, omnia fiunt respectibus, ratiociniis humanis, humanis considerationibus, affectu solo particularis commodi, & proprii interesse prædominante dirigente, & regente omni exulante prudentia, & simplicitate. Tuos contra has virtutes defectus commissos recogita. Recogita ut de illis doleas, de illis doleas, ut emendes. Emenda ne ulterius reiteres. Ne reiteres occasiones prævideas, & prævidendo caveas, & cavendo, in bono permaneas ac proficias.

S. Gregor. l. Moraliũ. 10. cap. 15.

SERMO XLII.

PRO VIGILIA S. JOANNIS.

De occasione ignis hac die fieri soliti.

I. Cur dictum est quod multi gaudebunt in Nativitate S. Joannis.
II. Quod gaudium esse debeat hac in Nativitate.
III. Quod Ecclesiasticos facere deceat ut S. Joannem Baptistam honorent.

Multi in nativitate ejus gaudebunt, Luc. 1. v. 14.

ECce in quo fundantur & ex quo originantur universa, quæ toto in orbe excitantur & habentur gaudia vera. Cur porro Angele Dei in nativitate ejus multi gaudebunt? Quæ hujus communis gaudii ratio, quæ talis lætitiæ causa? Hujus, inquit Angelus gaudii rationem & causam requiris? Audi non hujus gaudii unam rationem. Ideo multi in nativitate ejus gaudebunt, *Erit enim magnum coram Domino, & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: & multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ,* ut convertat, *corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Ecce gaudii hujus causa non una, non una ratio,

Luc. 1. v. 15.

tio, motivum non unum. Erit magnus. Ubi magnus, quomodo magnus, coram quo vel quibus? Erit magnus in utero, in deserto veritati conjunctus, non in mundo vanitati innixus. Erit magnus verè absolute divino & irrefragabili judicio firmatus, non vane, & apprehensione humano & fallibili judicio seductus. Erit magnus coram Domino & cœlitibus non coram mundo & terrigenis sola terrena sapientibus Erit magnus austeritate vitæ. *Vinum & siceram non bibet* Erit sanctitate, & gratiarum prærogativa magnus. *Spiritu sancto replebitur adhuc in utero Matris suæ.* Erit magnus prædicatione, & virtute verbo & opere, sermone & operatione. *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Erit magnus zelo, virtute & spiritu. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Ecce causa non una communis, in nativitate sancti Joannis, gaudii. Nunquid hæ causæ sunt sufficientes cur multi in nativitate gaudeant. Quâ ille nascitur, qui vere magnus futurus est coram Domino sanctificatus in utero? Tanta enim præcellentia gratiarum, vitæ tanta irreprehensibilitate, tali pœnitentiæ raritate, eo zeli fervore, doctrinæ illa sublimitate luxit S. Joannes, ut Messias à multis fuerit reputatus primus fuit, qui violentiam inferens, cœlorum regnum violenter rapere docuit. Ut omnes ejus sequaces de mundo, de carne & de Diabolo triumphantes & sibi ipsis vim inferentes vere regnum cœlorum violenter violentiam facientes rapiant violenti: Ut verificetur vere verbum Domini. *A diebus Joannis Baptistæ usq;* (Matth. 11. v. 12.) *nunc regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Et quæ major vis: inquit Blesens: est, quam per pœnitentiam acquirere, quod nobis per naturam nostram, & per Dei justitiam denegatur. Sequamur Consilium Domini, ne nos mundi & principum mundi consilia seducant: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* (Matt. 3. v. 2.) Labor viæ nos non deterreat. Nam qui fingit laborem in præcepto: quietem & vitam æternam nobis præparat in labore: Ecce ejus Præcursor præcessit, & in illo magnus fuit coram Domino, sequamur nos, & de magnitudine ejus, & merito accipiamus sequentia maturè considerantes,

PUNCTUM I.

CONsidera primo; rationes ob quas dictum sit de sancto Joanne, quod in nativitate ejus essent gavisuri. *Multi,* inquit Angelus: *in nativitate ejus gaudebunt* Prima ratio est, quia esse debebat prænuntiator & Præcursor filii Dei; Aurora hujus solis divini, boni nuntii bajulus, & ejus nativitas annuntiabat nativitatem Salvatoris mundi universo mundo; viam Domini præparaturus, & gratiæ Autorem promulgaturus veniebat. Ita, Propheta ante eam prædixerat. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te.* (Mal. 3. 1.) Cui consonans Angelus in Evangelio. *Ipse*, ait, *præcedet ante illum, in spiritu & virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam.* (Luc. 1. v. 17.) Hæc hac in nativitate prima, & justa fuit ratio gaudii, & universalis exultationis. Altera causa, & ratio gaudii illius communis

munis fuit, quia sanctificatus fuit, adhuc in utero matris, & nasci debebat cum pleno rationis usu gratiâ plenus, potens dicere cum Propheta veraciter. *Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*: de illo prædictum erat à Domino per Prophetam. *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te,* quod Angelus prænuntians: *Et Spiritu sancto,* inquit, *replebitur ex utero* matris suæ. Quod profectò merito summi gaudii, & exultationis causa fuit. Tertia hujus gaudii & lætitiæ causa fuit, quia magnus futurus coram Domino prænuntiabatur. *Hic erit magnus coram Domino,* inquit Angelus, quod ipsa veritas expressius edixit. *Inter natos,* ait, *Mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Vere magnus fuit coram Domino cui soli Dominus inclinavit verticem & ab eo velut inferior à Superiori baptizari voluit, in quo omnis ad impleta est justitia. *Fuit homo missus à Deo,* homo Dei, à Deo sanctificatus in utero. *Hic venit in testimonium, ut testimoniũ perhiberet de lumine. Et omnes crederent per illum.* Deo debitas persolvas gratiarum actiones, quod suum præcursorem tot prævenerit gratiis, & prærogativis, tot ornaverit virtutibus, & donis. Et ingentibus inde perfusus gaudiis illi cordiali congratuleris affectu, vero tamen non vano repletus gaudio: Multi siquidem hoc sancto die gaudent, & gaudere videntur, at modo gaudendi illudi videntur, non vero gaudentes gaudio, vel abutentes gaudendi modo.

Isa. 49. v. 1.

Ier. 1. v. 5.

Luc. 1. v. 15.

Matth. 11. v. 11.

Ioh. 1. v. 6.

PUNCTUM II.

Considera secundo, quod gaudium, quod quis in nativitate S. Joannis ostendere debet, non sit dissipationis, vanitatis & extravagationis gaudium; quo major sæpe pars populorum illuditur, decipitur, & à vero gaudii & gaudendi deviat modo, qui bibunt, ludunt, saltant, & mille tales exercent insolentias, sive in suis particularibus ædibus, sive in publico, & circa ignes hunc in finem excitatos, qui servient potius ad eos urendos, quam ad illuminandos & purificandos. Verum gaudium hoc est, & esse debet omnino spirituale, positum in orationibus, in hymnis, & canticis spiritualibus, in assistentiis divinorum officiorum, quæ fiunt, & decantantur ad honorem S. Joannis, quod esse videtur velut radius gaudii illius, quod expectamus in cœlis. Ubi gaudium erit plenum, & non decipiet aut deficiet. Pro ut sancta Mater Ecclesia in oratione hujus diei, notat & exprimit. *Da populis tuis quæsumus Domine, spiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ.* Nunc vide, & considera astutiam & calliditatem Spiritus maligni sese ubique ingerentis, & in omnibus insinuantis tot sese occasionibus, qui media callide adinvenire potuit, tot rebus ita sanctis, & religiosis immiscendi abusus, tot superstitiones ingerendi, tot oris & linguæ excessus ac alias causandi deordinationes. Quæ quotannis hac die exercentur, deplora horũ deceptorũ infelicitatem. Et quia in qualitate Ecclesiastici obligaris omnem

omnem tuam impendere opellam, his deordinationibus, & abusibus adferas medelam, subsequentibus intende, & attende diligentius.

PUNCTUM III.

COnsidera tertio, quid hac in refacere queas, & populo proponere ac exponere, ut diebus aliquot ante intelligat in publicis ex cathedra prædicationibus & in catechismis propositis instructionibus, quod ignis S. Joannis, nō sit ignis profanus, uti illi sunt, qui fiunt, & excitantur in aliis gaudiorum publicorum exhibitionibus, in quibus quis assistere potest cum insolentiis, clamoribus, & excessibus oris, & linguæ sine querela: verū magis quod ignis ille sit ceremonia sancta, religione plena, sum̄a exhibenda devotione, reverentiâ, & pietate. Et quod S. Joannes potius illis modis ridiculis, & vanis inhonoretur ac ignominiâ afficiatur, quam inde quicpiam recipiat honoris & laudis. Ac ita longè elongati à gratia recipienda, quam annuntiare venit, digni reddimur disgratia ejus, & maledictione. Pariter innotescere facias, quantum illi committant malum, & peccatum qui die eadem herbas certâ observantiâ diabolicâ, & superstitiosâ colligunt: Substituas hisce rejiciendis vanis, & superstitiosis observantiis, & mundanis gaudiis cæremonias quasdam pias, & ædificatorias populo prius propositas, & expositas. exempli causa servato prius salve vesperi. In fine cujus processionaliter, & devotè iretur quadam religiosa cœremonia ad ignes excitandos ibique illis comburentibus in decantandis sacris hymnis, & aliis precibus permaneretur, quibus consumptis eodem ordine, cæremonia & devotione ad Ecclesiā fieret regressus, ac ita populus religiosè dimitteretur ad imitationē S. Joannis, qui non duntaxat abstinuit à vanis & noxiis, sed & à licitis & necessariis. *Venit Joannes non manducans, neque bibens.* Matth. 11. v. 18. Hac die resolvas ac firmiter statuas omnem impendere conatum ad hujusmodi tollendos & planè exterminandos abusus in omni loco ubi contigerit te inveniri. Inquiras eo tempore, quod tibi ad hoc conceditur, media, quæ tibi hunc in finem erunt usui, illū ut assequaris. Minori ne zelo urgebimur ad sanctum Joannem honorandum, quam mundus, & mundi princeps ad ipsum inhonorandum? Res difficilis non est, sæpe ut quis sibi imaginatur. Minimum directionis, & animi superare faciet nos omnes difficultates, humanas omnes considerationes deserere, ac oppositiones omnes, & obstacula universa facili removere negotio, quæ credebantur invincibilia, optimumque successum pro majori gloria Dei habere. Nos non terreat consuetudo inveterata, potest in meliorem commutari, quidquid sit, aut dicatur. *Nolite effici participes eorum Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Eph. 5. v. 7.



SERMO

SERMO XLIII.

PRO FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

De recessu & à mundo elongatione.

I. Cur S. Joannes recessit ita tempestivè in solitudinem.
II. Comperatio recessûs Ecclesiasticorum in Seminario.

Erat Joannes in desertis, usque in diem ostensionis suæ ad Israel, Luc. 1. v. 88.

FElix mansio Joannis in desertis, qua in desertis nõ desertus erat perseverans, proficiens & accrescens in bono, junctus illi continuo à quo provenit omne bonum, & bonus omnis perficitur. Jam tanquam omnium prædicatorũ verbi Dei præconum, & animarum curatorum forma factus omnibus, quid eos deceat, ostendebat exemplo, & vitæ, antequam illos verbô instrueret, & doctrinâ. Sic enim decebat illum ad impleri omni virtute & justitia antequam prodiret omnes docturus omnem justitiam, & virtutem. Eo fine erat Joannes in desertis usque in diem suæ ostensionis. In desertis erat, quid per deserta intelligis? Haud dubie loca solitaria à tumultu, & habitatione hominum remota, amica mœroribus, contemplationi apta, & virtuti exercendæ idonea. Bene, optimè & non ad insipientiam tibi. Hæc enim loca amicis Dei commodissima, ad omnem virtutum exercitationem, ad se solidandum in bono, ad mundi vanitatem despiciendam, ad compescendam carnis petulantiam, ad Dœmonum fallacias detegendas & evadendas, ac ad vitandum omni in occurrentia, & occasione omne omnino peccatum. Hanc Ecclesia rationem in hodierno officio cur S. Joannes in deserta secesserit, assignat ipsum in eo laudans.

Antea deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens petisti,
ne levi posses maculare vitam
crimine linguæ.

Nec hæc ratio unica fuit, fuerunt & & aliæ urgentiores rationes; quia Ioanni omni omnino liberari sufficiebat peccato, sed & maxime, & omni repleri quærebat bono. Ea de causa erat in desertis usque ad diem suæ ostensionis. Quid putas in desertis? In quibus desertis? In desertis Iudææ? In quibus desertis?

sertis verè erat Joannes; & religabatur desertis, à quibus recesserant omnes. Omnes enim declinaverāt, inutiles facti erant, non erat, qui faceret bonum non erat usque ad unum. Ideo juste illis comminatur Deus apud Prophetam. *Væ genti*: ait, *peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Et apud alium conquerens: *Duo mala fecit populus meus*, ait, *me dereliquerunt fontē aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, sisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ita revera erat tempore illo, Deo qui adhæreret, in desertis non erat. Divinæ tres personæ non agnoscebantur, desertæ erant. Nemo Patri æterno adhærebat spe immobili. Filio nullus fide indubitabili credebat, Spiritum sanctum charitate fervidâ diligebat nemo. Ob hoc sanctus Joannes, erat in desertis usque ad Diem ostensionis suæ. Erat in Patre summam majestatem contemplans humiliter adorandam. Erat in Filio summam veritatem agnoscens fideliter asserendam. Erat in spiritu sancto sumam bonitatem admirans sinceriter amandā! Hæc erat unica Joannis in desertis occupatio. In desertis, desertis affixus, & innixus non desertus, aut unquam deserendus, deserta nunquam deserebat, aut deseruit Dei cultor fidelis. Deus enim: ait S. August. colitur fide, spe, & charitate: quod erat totum S. Joannis in desertis exercitium, ut ex subjectis elucescet.

Isa. 1. v. 4. — *Ier. 2. v. 13.* — *S. August. in Ench. cap. 3.*

PUNCTUM I.

CONsidera primo, cur Dei Filius suo inspirat Præcursori ita tempestive se retrahere in solitudinem, & hominum fugere commercia, & societates. Prima ratio est, quam Ecclesia dat, ut facilius evitaret corruptiones mundanas elongatus ab omni, vel minimi criminis, & peccati occasione, & sese illo tempore disponeret ad prædicationem, quæ illi incumbebat, & imposita erat: ejus ut verba apud populum plus haberent ponderis, & æstimarentur, & ut majori abundantia omne donum, & lumen sibi necessarium, & desuper dandum reciperet ad ministerium suum adimplendum. Quod Ecclesia in ejus officio graphicè exprimens: *Antra*, ait, *desertiteneris sub annis, civium turmas fugiens petisti, ne Levi saltem maculare vitam famine posses. Ipse*, ait Angelus, *præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrū in filios, & vertat incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Ut perfectus facilius perficeret imperfectos, illuminatus illuminaret lucidius in tenebris ambulantes, & charitatis igne accensus efficacius tepidos accenderet. Verū altera, & principalis ratio majorisque considerationis apud nos fuit, ut nos instrueret, & omnes Ecclesiasticos, & Religiosos, qui ex munere, & officio præcursoris operari debemus, & vias Domini præparare ex nobis imposita obligatione, nos à mundo, & mundi tumultibus elongare, ac ab omni sæculari conversatione tempestivè retrahere debemus, usque dum fuerit in publicum nobis prodeundum. Ea de causa sacra concilia ordinarunt, & instituerunt loca à mundo, & mundanis commerciis remota, in quibus Clerici Juniores securè semoti ab omni externo nego-

Luc. 1. v. 17.

negotio educentur, instruantur, & in omni proficiant bono, quæ loca alia non sunt, quam seminaria, quorum solitudo, & recessus S. Joannis Baptistæ vera fuit imago, & archetipon, in quibus Juventus rite ad virtutes, & consuetudines sanctas instruitur, & ordinatur, ut Concilium Trident. sapienter ordinavit. *Cum inquit, adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, nisi à teneris ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè ac sine maximo ac singulari Dei auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret, sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales Ecclesiæ pro modo facultatum certum puerorum numerum in collegio alere ac religiose educare, & Ecclesiasticis disciplinis instruere tenentur.* Ubi sacra Synodus saluberrime instituit, ut Juventus, ex qua debent populorum Pastores & Rectores desumi, religiosis imbuatur disciplinis, ut discat prius opere exprimere, quod postea sermone depromere debebit: Et ad modum quo dicitur de S. Joanne. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Illi Clerici Iuvenes crescant in recessibus, & seminariis spiritu confortati in bono confirmentur, & roborentur usq; ad diem ostensionis suæ ad Israel seu Ecclesiam, in qua veri sunt Israelitæ in quibus dolus non est. Et ut ad vivum magis appareat, & exprimatur, ulterius videnda, & examinanda accurate subsequentia veniunt.

Trid. sess. 24 de refor. cap. 18.

Luc. 1. v. 8.

PUNCTUM II.

COnsidera secundo, quid S. Joannes faciat in deserto, & quid fiat in seminariis, & aliis à mundo, & mundanis negotiis elongatorum locis, & habitaculis sive Religiosorum monasteriis. S. Joannes in deserto vestit se, & nutrit, spiritu pœnitentiæ, & mortificationis, qui proprius spiritus est præcursoris Messiæ, & Salvatoris. Ibi se ad prædicationis officium spacio triginta annorum, disponit, & præparat, expectans divinas circa se dispositiones, ut officio, & munere sibi divinis præordinationibus imposito fungi aggrediatur. Ibi expectat, & audit cœli oracula, à Deo illi immediate communicata. Ibi angelicè vivens cum Angelis conversatur. Ibi elongatus ab omnibus creaturis plenitudinem gratiarum, & divinarum illustrationum super affluentiam recipit, quas post diffundere debet per universam Judæam, illam velut lux radiantissima radiis veritatis, & sanæ doctrinæ illuminans. *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Ejus austeritas vitæ clare exprimitur in Evangelio. *Et erat*, inquit, *vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas, & mel silvestre edebat.* Ecce vitæ ejus degendæ ratio. Ejus vero prædicatio subjungitur cum dicitur: *Et prædicabat dicens: Venit fortior me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto.* Ita plane in seminariis, & congregationibus ab Ecclesia institutis hauritur spiritus Ecclesiasticus, & religionis, qui peculiari modo ibi diffunditur, & conservatur, velut fons qui non arescit, & exsiccatur. Ibi in otio auditur verbum Dei. In silentio & recessu discimus divina mysteria non vio-

Marc. 1. v. 6.

lenter & quadam determinatione præcipitata; sed suaviter suavi Dei dispositioni nos omni hora, & momento accommodantes; semper divinis parati obedire motionibus. Ibi maturè, notas vocationis nostræ examinamus juxta infallibiles Evangelicæ veritatis regulas & SS. Patrum sensa, qui illas interpretati sunt: non juxta corruptionem sæculi, & exemplorum malorum contagionem. Ibi velut in monte Horeb cum Deo communicamus, mediis orationibus, suspiriis, & amorosis desideriis, illustrationes attrahentes veritatum, & virtutum; quas populis postea communicare debemus. *Ita factum est verbum Domini super Joannem in deserto.* Ita Samueli in recessu in domo Domini recluso loquitur Dominus. *Loquere:* ait: *Domine, quia audit servus tuus.* Ita probantur spiritus si ex Deo sint. *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Ibi Directoribûs mediis, qui velut Duces & Angeli visibiles nobis sunt & esse debent, discimus nos dirigere in negotio tam gravi tam difficili, & tam periculoso, ut est Electio & assumptio Ecclesiastici status. *Nihilo* porro S. Augusti: teste *difficilius, nihil Laboriosius, nihil periculosius Episcopi, aut presbyteri aut diaconi officio.* Ibi tandè addiscimus scientiã & virtutẽ neceſſariã ad functiones nobis impositas, debite executioni mandandas, & ad nos in nostris ministeriis perficiendos, & sanctificandos. O quanta eorum felicitas; quos divina attraxit vocatio, & gratia ac divina providentia ingredi fecit has pietatis scholas, hæc religionis & virtutis seminaria, ut ibi in Dei educantur timore, in omni exercean tur pietatis exercitio, illoque induantur spiritu, quo omnes illorum actiones animari debẽt Deo ut placeant, in nullo suo Ministerio ab ejus recedentes voluntatibus & mandatis. At quæ e-converso infelicitas eorum, qui hac uti gratia nesciunt; qui loco quod Superioribus suis subesse deberent, exequentes pacifice cum gaudio omnes eorum ordinationes, querelas formant, murmurationes miscent, illorum reprobant directiones; & qui loco quod divinam expectare deberent Vocationem, illam præveniunt, & quodammodo cogunt Ecclesiam, se recipere, se se intrudentes violenter. Qui hæc sancta loca velut Carceres respiciunt, in illis omnino aliter, alia, & alium in finem operantes, quam ad quem eo venerant, vocati & ad missi sunt. Si S. Joannes ita divinis præventus gratiis, ita in sanctitate, & perfectione exercitatus; ita in gratia confirmatus, ut erat; hanc ut cõservaret gratiam, quam tanta receperat plenitudine, integris triginta annis in recessu, & solitudine esse debuerit, & se se disponere & præparare, ut annis tribus duntaxat in mundo conversaretur; mundo ut daret scientiam salutis, & Testimonium ut perhiberet veritati, ut pœnitentiam prædicaret, mundanis se in nullo implicaturus; quid non facere debent Ecclesiastici; qui potissimè in pietate malè fundati, qui suum innocentiæ vestimentum magnis quandoq; aut etiam sæpius coinquinarunt peccatis, & criminibus, qui ad bonum tam tardi, & infirmi, tam ad malum inclinati, & proclives prius quam se se huic magno, & spatioso mari, quod est sæculum nequam;

Marc. 1. v. 16.

1 Reg 3. v 9

1. Ioh 4. v. 1.

S. Aug. Ep. ad Val.

quam; pro omni vita committant & immergant? Verum est, & nulla ratione dubium, impendere unum, vel duos tyrocinii annos, in proposito tam sublimi & difficili, esse parum; Nec rem ullius æstimationis: At nihilominus si quis esse vellet fidelis, vel illo pauco tempore, quod in illo consumit tyrocinio, se se fideliter applicaret, omnibus obediret suorum Directorum & Superiorum instructionibus, & placitis, inspirationibus divinis nunquam resisteret: At magis semper correspõdere conaretur; reddi posset capax & sufficiens, qui postea utiliter communi bono serviret sibi & omnibus utilis. Modo jam Egressus & publicæ functioni pro bono & salute populorum deputatus, tria servaret, quæ in vita Joannis invenimus & discimus. Primo ut majori, qua posset sollicitudine omnes sæcularium vitaret societates, se se illis nunquam immiscens nisi necessitate coactus, vel charitate. Secundo se in vestimentis mortificaret, & paucis contentari in omnibus vellet. Tertio sæpe ad certum temporis spatium uteretur recessu, novas gratias impetrando, & vires in servitio Dei novas resumendo. *Quoties* ajebat devotus ille: *inter homines fui,* *Gers. Psal. 54. v. 8.*

minor homo redii: Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus. *1 Tim. 6. v. 8.* Hæc erat elongatio, hæc solitudo, hæc mortificatio, quæ pondus verbis S. Joannis dabat, quæ vocem dabat virtutis, quæ sermonem animabat. Hæc sunt majora quæ fecit miracula. An & nulla alia. *Joannes*, Scriptura loquitur; *autem signum fecit nullum.* Et hoc pariter medio æstimationem apud omnes invenies, & tuum honorificabis ministerium. *Pulli avium*: ait S. Greg: *si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde in alta cupiunt, inde in ima merguntur. Si structuris recentibus, necdum solidatis, tignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. Conceptas soboles fœminæ si priusquam plene formentur, proferunt, nequaquam domus, sed tumulos replent.* *S. Greg. Past. p. 2. cap. 26.* Hodie resolutionem tibi in his profuturam, & per intercessionem S. Joannis gratiam require & impetra.





SER-

SERMO XLIV.

PRO FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAVLI.

I. Cur Dominus noſter elegit SS. Petrum & Paulum in Eccleſiæ ſuæ Principes?
II. Quid hiſce duobus Principibus debeant Eccleſiaſtici, & quantus eſſe debet reſpectus, quem S. Eccleſiæ Romanæ exhibere debent.
III. In quo ſitus ſit hic reſpectus.

Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram, Pſal. 44. v. 17.

COnſtituit eos Principes ſuper omnem terram. Principes quorum proprium & glorioſum eſt omnia ab eo incipere, & finire in eo, qui eſt principium & finis; qui eſt principium ſine principio, & judicat fines terræ in æquitate. Principes conſtituit eruditos, ſecundum quod præcepit
Pſal 2. v. 10 Dominus per Prophetam: *Erudimini, qui judicatis terram.* Principes conſtituit, quorum exemplo fides confirmatur, ſpes erigitur, nutritur charitas, deprimitur ſuperbia, humilitas cuſtoditur, augetur devotio, bene operandi deſiderium excitatur. Hinc eſt, quod *nomina filiorum Iſrael ſcribi fecit in ra-*
Exod. 28. v. 30. *tionali judicii in quo doctrina & veritas continebatur, quæ eſſe debebant in pectore Aaron, quando ingrediebatur coram Domino.* Ut denotaretur illorum duntaxat nomina ſcribi in Libro vitæ; quorum nomina jure in rationali judicii continerentur, quorum vita veritate & doctrinâ dirigeretur. Hi autem conſtituti ſunt Principes. Quorum vita & doctrina omnibus commendaretur, & eſſet vivendi norma eo modo eminentior, quo conſtituebantur ſtatus altioris & eminentioris fundatores, Duces & Rectores. Quorum Regius propheta meminit in Pſalmis. *Pro patribus tuis* : id eſt loco Patriarcharum & Prophetarũ (quibus gloriatur adeo Synagoga) nati ſunt tibi filii ex hac nova ſponſa tua: Chriſto loquitur vero Eccleſiæ Sponſo; puta Apoſtoli & omnes Apoſtolici viri, qui non duntaxat æquabunt eminentiâ virtutum, divinorum excellentiâ chariſmatum, & Miniſterii præſtantiâ: Verum multis excedent & ſuperabunt partibus omnes. Patrũ Synagogę prærogativas, virtutes, & excellentias; taleſque ſe exhibebunt; ut merito *Conſtituas* eos Principes ſuper omnem terram in Eccleſia tua, ejus Rectores, tuoſq; Vicarios in omnibus per orbem

orbem universum. Vere *Principes populorum convenerunt cum Deo Abraham.* Et eo perfectius quam Abraham; quo nomen; & omen felicius hæreditarunt, quam Abraham, tantum excellentiores in gratia, merito & potentia quantum Ecclesia Synagogam antecellit. Quippe ab ipso Christo Ecclesiæ Sponso, Patris æterni unigenito electi, docti, instructi, omni virtute ex alto repleti & potestate donati, opere efficaces, & doctrina infallibiles fulserunt, velut soles in firmamento Ecclesiæ, suos fidei, & virtutis radios quaqua versum diffundentes, ut non sit, nisi velit, qui se abscondat à calore, virtute & sapientia eorum, *Non enim* (loquitur Petrus)
2. Petr. 1. v. 16. *doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præsentiam: Sed speculatores effecti illius magnitudinis, Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Ecce à quo Petrus est instructus; Ecce quem audivit, quem secutus est. Vis & Paulum audire. *Notum enim vobis: ait: facio*
Gal. 1 v. 11. *fratres, Evangelium, quod Evangelizatum est à me; quia non est secundum hominem: nec enim ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Iesu Christi.* Ecce O Christiane, Principes tui, Ecce Duces, Ecce Rectores. Optabisne meliores?

PUNCTUM I.

CONsidera primo; cur Dominus, & Salvator noster, hodierna die in Principes suorum Apostolorum, in columnas, & in fundamentum Ecclesiæ suæ personas humiles; in oculis hominum depressas, & elegerit abjectas, in propriis omnino, quales erant sanctus Petrus & S. Paulus, Homines ita famosi per sua peccata; & crimina quæ commiserunt, unus suum negando Magistrum & Dominum, Alter eundem persequendo in suis fidelibus & membris. Hoc est, ad omnes fideles hac admirabili directione & electione instruendos assumere voluerit, primo fuit ex eo, quod humilitas sit Lapis fundamentalis Christianismi; Et ad hoc, ut quis sit in veritate Christianus oporteat se humiliare minimum æstimare, nec se ob quamcunque hujus mundi excellentiam Nobilitatis, nominis, fortitudinis, probitatis aut cujusvis alterius prærogativæ æstimare, cum alias potius hujusmodi sint obstacula, quam media ad Deo proximandum. *Non multi quippe sapientes secundum carnem, non multi potentes,* 1. Cor. 1. v. 26.
non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus; ut confundat fortia. Secundo ut doceat nos, & informet; quod non sit tam magnus peccator possibilis, qui se non possit, si velit, convertere, & fieri sanctus in Ecclesia, ubi majores peccatores sunt sancti majores & principes illius Ecclesiæ. Illa ratione asserit & assecurat S. Paulus, quod Deus sibi misericordiam præstiterit, non obstante quod fuerit omnium peccatorum primus, ut ait, ejus conversio serviret fidelibus credituris, foretq; speculum in quo peccatores excessum bonitatis, & longanimitatis Divinæ patientiæ intuentes erigerentur in spem veniæ suorum

rum

rum peccatorum consequendæ. Illud evidenter expressum nobis reliquit Apostolus: *gratias ago*, inquit: *qui me confortavit Christo Domino nostro: quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio. Qui prius plasphemus fui & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum; quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus Ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam.* De S. Petro audiamus Evangelium. *Cœpit:* inquit: *anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum quem dicitis.* Ecce quales fuerunt peccatores, qui ob eminentiam sanctitatis Sanctorum omnium Principes sunt effecti? *Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* In quem bene S. Aug: *Fides:* inquit: *non est superborum; sed humilium:* Et veritas in Evangelio *qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* Certe venerabili Bedâ asserente. *Usque in finem Ecclesiam suam vult Deus humilitate crescere & ad promissum regnum humilitate pervenire.* Deo gratias referas, quod tantæ tibi cõfidentiæ materiam suppeditaverit, & te exemplo suorum Apostolorum securum reddiderit modo ut illi, fueris ejus gratiis fidelis, quod illum assequeris perfectionis gradum; quem ille à te requirit. *Ipsi, nos docuerunt*, cantat Ecclesia, *legem tuam domine. Hi sunt Magistri, qui à Magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt, & docent nos usque in hodiernam diem.*

Marc 14. v.71.

1 Cor. 1. v. 29.

Matth. 20. v. 26.

Bed lib 4. cap. 34. in Luc. 12.

S. Bern.

serm. 1. de Apostol.

PUNCTUM II.

Considera secundo quantum, & quid debeant particulariter Ecclesiastici his Principibus, his Magistris & hisce Protectoribus fidei nostræ & Ecclesiæ. Primo in qualitate Magistrorum illos audire, sequi, & imitari debĕt, eorum Zelum in Evangelio publicando & annuntiando amplecti, & verbum fidei, doctrinæ & Evangelii in omni loco, quo vocati sunt cum fiducia annuntiare, prædicare & omnibus inculcare contemptus non timentes, confusiones sibi factas animo constanti suscipientes, persecutiones etiam usque ad proprii sanguinis effusionem fortiter patientes solum saluti animarum, & spirituali Lucro inhiantes. Ita Apostolus dicit, fidem annuntiari in universo mundo: *fides vestra*, inquit, id est *Romanorum, annuntiatur in Universo mundo.* Quia illo tempore omnes Apostolorum discipuli magno zelo, fiduciâ & fervore prædicabant ubique fidem Romanam, & sanctum Evangelium. His succedunt in illo munere Ecclesiastici, ergo eodem Zelo, fiduciâ, & fervore suum debent munus subire. Secundo in qualitate Protectorum illos invocare debent, ut sua intervẽtione impetrent apud Deum toti Ecclesiæ spiritum veræ fidei & charitatis. Et tandem ut Principes illos honorare, omnem possibilem illis exhibere respectum & reverentiam, illorum

admirari & Laudare potentiam, virtutem venerari & quantum possunt imitari, illorum Epistolas, verba, Imagines, & eorum Successores ac super omnia sanctam Ecclesiam Romanam, in qua eorum sacra corpora jam requiescunt, velut nobilissima deposita suscipere, venerari & speciali prosequi debent reverentiâ, devotione & observantiâ. Ecclesia hæc est, quam suis fundarunt doctrinis, quam suis nobilitarunt laboribus, quam suâ prædicatione, & fide consecrarunt, roborarunt, & stabiliverunt, & quam tandem suo purpurarunt sanguine. Etsi aliæ nullæ essent invenibiles, & producibiles rationes nos ad respectum debitum sanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibendum, an non hæ sufficerent? *Propterea*, ajebat S. Chrysostomus: *admiror hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neq; propter aliam quamcunque rerum speciem, sed propter columnas illas Ecclesiæ.* Adjicias hic, si placet, omnes prærogativas, quas illi SS. Patres attribuunt, dum illam appellant radicem, fundamentum, & Matrem omnium Ecclesiarum, dum illam æquiparant Soli suos radios quaqua versum in omnes mundi partes diffundenti, dum illam dicunt Magistram & Regulam fidei, ob potestatem irrevocabilem & universalem, quam in persona S. Petri recepit & accepit ad cœlum claudendum & aperiendum sine ulla limitatione, & ob infallibilitatem illi promissam & datam. Hæc admirans S. Chrysostomus in fervore spiritus & devotionis exclamat. *Quis mihi*, ait: *nunc dabit circumvolvi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant, adimplentis, stigmata illius gestantis.* Petri soliditatem, potestatem & infallibilitatem expressit veritas in Evangelio. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam; Et tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quid requires ulterius. An ad Ecclesiam Romanam firmandam non sufficiant Christi preces, Christi potestas, Christi protectio?

S. Chrysost. in Epist. ad Rom. serm. 32.

Matth 16. v. 18.

Luc 22. v. 32.

PUNCTUM III.

Considera tertio, in quo hic respectus, honor, & reverentia, quam Ecclesiastici sanctæ Romanæ Ecclesiæ debent. In illo primo hic respectus consistit; ut omne quod ab illa provenit Ecclesia magno recipiatur respectu, & reverentia. Cujusmodi sunt Bullæ, Indulgẽtiæ, dispensationes, mandata, constitutiones, decreta, decisiones, responsa & hujusmodi. Secundo nihil dicere unquam aut facere quod possit vel in minimo hujusmodi respectũ minuere dum sermonẽ ingerunt de potestate Ecclesiastica, de Sanctissimo Patre nostro Papa, de Cardinalibus, & aliis Ecclesiæ Prælatis: de his semper bene sentire & loqui: Et nunquam in societatibus pati, fieri à laicis similes discursus vel in minimo præjudicativos statui Ecclesiastico: Verum magis à

contrario excitare & impellere populum ad habendam magnam æstimationem hujus sanctæ sedis, & ad omne quod ab illa provenit, habendum in veneratione magna, honore & reverentia. Ut illi velut supremæ in terris sedi obediant, sese omnibus ejus ordinationibus, statutis, & constitutionibus filiali affectu submittentes. *Nolite tangere Christos meos.* Ita prohibet Deus ne suis Sacerdotibus fiat ullus despectus, vel irreverentia. Et alibi appellat illos Deos, hoc est Deo peculiariter consecratos. *Diis non detrahes; & Principi populi tui non maledices. Hi traditi sunt nobis*: ait S. Bern: *in Magistros, & in Mediatores; quibus securè nos committere possimus*: Tertio permanere firmiter in puritate doctrinæ illius, se nunquam ab ejus sentimentis, decisionibus & placitis, quovis objecto prætextu, etiam speciosissimo, & rationabilissimo apparenti, discedere, & habere suspectos omnes, qualescunque illi sint, qui ejus æstimationem & respectum minuere conantur, memores semper, quod illa sola sit quæ errare non potest, ut in diversis occurentiis non una vice compertum est. Et quamdiu Romani erimus Catholici erimus securè, fide Patrum nostrorum fundati quiescentes, huicque columnæ affixi & triplici alligati funiculo fidei spei & charitatis, nunquam fluctuabimus in diversa tracti & retracti sensa. Nunc vide & pondera

1. Paral. 16. v. 22.


Exod. 22. v. 28.

S. Bern. serm. 1.

defectus, quos in verbis, sermonibus, vel omissionibus commisisti cōtra hunc debitum respectum. Propone Emendationem & propositum exequere, hodie specialiter orans pro tota Ecclesia in generali; deprecare & humillime hos roga duos primos Ecclesiæ Principes, ut pacem & unitatem reducant familiæ suę tot Infidelium, Hæreticorum & Schismaticorum discissam & dismembratam perversis dogmatibus, falsitatibus & erroribus, tot malorum Christianorum criminibus & peccatis inhonoratam, tot Presbyterorum & Religiosorum imperfectorum conspurcatam vitiis & fœdatam imperfectionibus. Et incipe ex te ipso te in ejus primo ordine constituere; & fidelius, quam unquam feceris, ejus quæ recepisti, præceptis, directionibus, & mandatis obtemperare. Et illi particularius; quod tibi S. Paulus te ad sui imitationem excitare intendens dat. *Imitatores mei estote, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Imitatores mei estote, sicut & Ego Christi.* Hoc ut impetres insiste: ferventer & devote orationibus & obsecrationibns dic orans cum tota, & pro tota Ecclesia. *Da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit Exordium.*

Phil. 3. 17.

1. Cor. 4. v. 16.





SERMO XLV.

PRO DIE VISITATIONIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS.

De Regulis in visitis servandis.

I. Tres in nostris visitis docet virgo sanctissima virtutes servandas. Prima est devotio.

II. Secunda est humilitas.

III. Tertia est charitas.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda, Luc. 1.

VIrgo Beatissima concepto jam filio omnium Salvatore Spiritus sancti virtute & obumbratione ordinata ad salvationem, opus salutis experta in se, quo præservative salvata nulli unquam culpæ vel maculæ subjecta fuit, illo animata Spiritu festinat ad opus salutis aggrediendum etiam sublevative. *Exurgens abiit in montana cum festinatione.* Procrastinari non poterat illo Spiritus sancti excitata impulsu. *Spiritus enim sanctus ait* S. Bonaventura: *per dona omnes vires mentis, & totam familiam animæ habilitat, & disponit, ut ad cœlestia per gradus ascendant.* Beatissima ergo virgo omnibus donis Spiritus sancti præventa ad cœlestia cōtinuo ascendens, Zelo Dei accensa non poterat quiescere, quin divinum amorem, Gloriam & honorem promoveret in se & in aliis. Eum in finem ascendit in montana, ut salutaret Elisabeth, & ejus salutatione prævia Præcursor Domini sāctificaretur adhuc in utero. Sicut enim arca illata à Philistæis in Templum Dagon, idolum Dagonis longe à se expulit & caput & pedes præcidit. Ita virgo Beatissima vera & viva arca Dei viventis, in qua erat repositus panis vivificus, de cœlo descendens, omnes vivificans, non manna olim data est Judæis, continuo ut intravit Domum Zachariæ & salutavit Elisabeth, Idolum Dagon, hoc est peccatum longe à se repulit, totam domum Zachariæ & S. Joannem in utero sanctificavit expulso omni peccato, illi caput & pedes præcidit: quia non duntaxat peccatum omnino expulit, sed & omnes radices ejus exstirpavit, omnemq; illi aditum de cætero præclusit. Tanta enim ad ejus præsentiam repletus est S. Joannes gratiæ plenitudine,

S. Bona. de Sept. Donis. Spiratus S. c. 4.

1 Reg. 5.

Non aliter ac Christus infantulus fugiens Herodis tyrannidem Ægyptum ingrediens idola omnia concidit & comminuit, ut prædixerat Isaias. *Ingredietur Ægyptum & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus.* Ita ad ingressum virginis beatissimæ in domum Zachariæ omnia peccatorum idola comminuit & dissipavit. Ob hoc cum festinatione abiit in montana, ob hoc intravit domum Zachariæ, ob hoc salutavit Elisabeth & salutando sanctificavit & matrem & infantem in matris utero. Tantæ efficaciæ fuit salutatio Mariæ. Nec mirum certe videri ulli debet salutationem Mariæ sanctificasse Elisabeth & infãtem in utero, cum Christus Jesus, quem illa in suis castissimis gerebat visceribus, qui omnis est sanctitatis & sanctificationis fons & origo illam indiderit illi salutationi vim & efficaciam, qui ad vocem Petri solidavit bases & plantas claudi ex utero matris suæ; non sanctificaret Elisabeth & suum Præcursorem Joannem ad salutationem Matris suæ, quam præ omnibus creaturis elegit & dilexit?

Isaiæ 19.

Act. 3.

PUNCTUM I.

Considera primo, in visitatione quã hodierna die sanctissima virgo Maria suæ cognatæ Elisabethæ exhibet tres virtutes; quas in nostris visitis, à nobis practicandas; nos docet. Prima est fervor & devotio. Ut primum enim Angelus peractô cõmissionis suæ negotio illam reliquit; Illa non obstantibus quibuscunque considerationibus motivis, & difficultatibus, quæ eam potuissent merito domi retinere; se se nulla dilatione factâ accingit itineri, illi satis est cognoscere esse Dei voluntatem, ut currat & quasi volet indicibili celeritate per loca difficillima & asperrima: quod sanctum expressit Evangelium: *Abiit in montana cum festinatione. Nescit quippe tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Non diu quasi in bilance hærens deliberavit: Verum divinæ monenti gratiæ continuo obediens, illi se omnino in momento contemperavit. Illo modo, ô anima mea, Deo servimus! Tendimusne quo vocamur in momento; quo vocamur? Estne omni promptitudine & sine deliberatione, quod tanto serviamus Magistro? Eheu in mandatis nobis impositis exequendis quas adferimus negligentias & tepiditates, quales murmurationes audire facimus, quales opponimus resistentias & contradictiones? In nostris muneribus qualesne Languores reperiuntur, & in divinis inspirationibus quam parva correspondentia, cooperatio, & fidelitas? Vere nobis objici jure merito posset, quod Propheta Elias populo Israelitico olim objiciebat. *Ut quid claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal.* Ut quid quasi in bivio hæremus: dum divinam quasi in bivio hæremus voluntatem? Si illa bona sit cur non adimplemus omni possibili diligentiâ. Pete proinde antequam ulterius progrediaris de tot commissis in divinis adimplendis mandatis negligentiis & culpis veniam.

PUNCTUM II:

Altera virtus, quam nos sanctissima virgo in sua visitatione, docet: est humilitas

humilitas, quæ in eo maxime elucet, quod superior illa existens, inquit S. Ambrosius suam prævenit inferiorem. *Superior venit*, ait, *ad inferiorem, ut inferior adiuvetur, Maria ad Elizabetham, Christus ad Ioannem.* Secundo in eo, quod animadvertens sanctam Elizabetham ex miris effectibus, quos in primo ejus introitu, & aggressu experta est, obstupefactam in laudes ejus insurgere, assereréque ac alta voce illam beatissimam inter omnes mulieres proclamare, ingeniose hoc totum divertens propositum rejicit hanc totam laudem, & gloriam in suum fontem, & originem, gloriosum divinæ potentiæ erigens trophæum, suum agnoscens, & confitens nihilum. Anima mea, inquit, laudat, glorificat, & exaltat Dominum usque in cœlum, & ultra, qui oculo misericordiæ, & benignitatis suæ, non dedignatus est, minimam ancillularum suarum respicere, in me omnia pro voluntate sua bona operans, quæ sine illo nihil sum, & nihil laude dignum possideo. Ideo totum quod in me est, bonum, & dignum laude, illi, non mihi, attribui volo. *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hi sunt effectus humilitatis veræ, parvam, vel nullam suiipsius habere æstimationem, nec apud homines quærere reputationem, nec eorum laudes recipere, aut dum coactè audit & recipit, illas refundere in ipsum Deum, à quo omne bonum, & laudabile, & in quem omnis laus, & gloria reducenda est. Quod clare in Apocalypsi exprimitur. *Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & benedictionem.*

S. Ambros. in 1. Luc.

At, dignus es Domine, quia solus dignus ex te, & alius nemo. Quod confirmat Propheta Isaias: *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine*: quod agnoscens Ecclesiasticus, cupiensque in omnibus hanc sui inveniri depressionem. *Quid*, ait, *superbit terra & cinis?* Eheu quam es ab hisce praxibus & humilitatis exercitationibus elongatus, quando te aliis præfers, quando tuas laudes ab hominibus tibi indebitas libenter, & cum gaudio audis, quando tibi nimium blandiens tam sæpe vana, & nimia tui æstimatione gaudes, & delectaris, teipsum vanè, & turpiter palpans.

Is. 26. v. 12.

Eccl. 10. 9.

PUNCTUM III.

Tertia virtus, quã in sua hodierna visitatione innotescere facit beatissima virgo Maria, est charitas eximia, qua premitur, & impellitur suam convenire cognatam, & illi magno congratulari affectu, de bono, & speciali Dei dono illi concesso, illoque medio eam suarum gratiarum replet plenitudine, ita ut repleatur Spiritu sancto, & fructus, quem illa fert, in utero sanctificetur. *Cito enim adventûs Mariæ*, ait S. Ambros. *& præsentiæ dominicæ beneficia declarantur.* Quæ ipso sentiens effectu Elizabeth fideliter confitetur, & agnoscit. *Ecce enim*, ait, *ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.* Animadverte nunc, & accurate discerne differentiam, quæ inter tuas, quas quotidie facis, visitationes & illam, quã virgo beatissima hodierna die suæ exhibuit cognatę, virgo sanctissima suam cognatam visitat inspiratione solâ excitata, divi-

S. Ambros. in 1. Luc.

Luc. 10. v. 44.

divina quam à Deo recipiebat immediatè, tu in tuis visitationibus magis piis, & religiosioribus, ut illæ sunt, quibus infirmos visitas in ergastulis constitutos parentes & amicos, non traheris nisi spiritu duntaxat curiositatis, & vanitatis, interesse proprii affectus, & amoris proprii impulsu, vel certe inductus pure vana civilitate, & urbanitate mundana. Virgo beatissima sua in visitatione profectum sanctæ Elizabethæ solum quærit, ut domus ejus divinis repleatur benedictionibus. Et sæpe visitationes Ecclesiasticorum, qui alios sanctificare deberent, sunt potius scandalorum materiæ & occasiones, quam ædificationum, in illis, ut dictum Gersonis verificetur. *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* Et illud psalmistæ.
Psal.10. v.10. *Os eorum locutum est nequitiam.* Apud Zachariam nihil dicitur, vel auditur nisi de Deo, de divinis, & cœlestibus. In aliis communiter Societatibus nullus sermo ingeritur nisi de mundo, de novellis, de proximis, & similibus nō ædificantibus. Ibi laudes iis deferuntur, qui eas merentur, & pati vel recipere eas nolunt, nec possunt. Hic aliis solum detrahitur, etsi quis de se ipso loquatur, id cum arrogantia contingit, sibi res, seu laudes indebitas attribuendo, multis falsitatibus, & mendaciis sæpius intervenientibus, quibus & veritas patitur, & malignitas perficitur. Tuas hodierna reformes formula hac tibi proposita visitationes. Visitationes frequentes nunquam necessitate, vel charitate non coactus, idque possibili brevitate. *Negotium quippe,* teste S. August. *istud suscipit necessitas charitatis.* Sermones tui sint de Deo, vel de divinis rebus, & iis proficuis, quibus cum converfaris. Principis Apostolorum monito acquiescas in omni conversatione sanctus persistens. *Secundum eum*, inquit, *qui vocavit vos,* 1.Pet.1.v. 15.
Sanctum, *& ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Nulli unquam blandiaris vanâ adulatione; Ignores novella sæculi, nec ea inquirere, vel addiscere labores, detractiones abhorreas, illas minime, si per te stet, permittas aut patiaris, nullo autem modo feras ut Deus te præsente offendatur. Hoc à quovis expectatur, & requiritur Ecclesiastico, qui aliud nihil in omni sua actione intendere debet quam majorem Dei gloriam, & salutem proximi. Et qui bono virtutis odore ita timeri debet à malis, sicut amari à bonis. Hoc suo inculcat Apostolus Discipulo. *Exemplum*, inquit, *esto fidelium in conversatione.* Et princeps Apostolorum. *Si* 1.Pet.4.v. 11.
quis loquitur quasi sermones Dei. Ideo Propheta jure adulatores, & placētia solum proferentes, hominibus ut placeant Deo displicere nō verentur reprehendit. *Væ qui consuunt*, inquit, *pulvillos sub* Ezech. 13. v. 22.
omni cubito manus. Quo sensu loquitur Christus. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Amicus usq; ad aras.* Et non ultra: Matth. 8. v. 22.
Hi ea de causa comparantur cum beatissima virgine gratissimo vineæ odori odoratum miro modo recreanti, serpentes eodem tempore, & alia venenosa animalia fuganti. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.*



SERMO

SERMO XLVI.

PRO DIE S. MARIÆ MAGDALENÆ.

De amore pœnitentiæ.

I. Sancta Maria Magdalena multum amavit in initio suæ conversionis.
II. Multum amavit in progressu.
III. Hunc specialiter manifestavit amorem annis 30. in solitudine.

Dilexit multum, Luc. 7.

PEccatrici dimissa sunt peccata, quia dilexit multum. Non dixit, quia dilexit multa, inquit Blesens: sed quia dilexit multum, sed quia multum unum dilexit. Si multa dilexisset, nihil ei esset dimissum, in multis enim sollicitudo, & in unum consummatio: Unde Martham volens revocare ad unum, & à sollicitudine nimiâ circa plurima, *Martha, Martha,* ait, *sollicita es.* Et cur bis ponitur Martha? Ut animus ejus à sollicitudine revocetur. Si ergo fidelis anima multa audiat, est ut per multa unum custodiat, ad unum veniat, uni adhæreat. Tres siquidem sunt status fidelis animæ, sub primo est captiva, sub secundo est libera, sub tertio est beata. Captiva est sub servitute peccati oppressa. Libera sub duce justitia præliatur. Beata in perfectione gaudii gloriatur. Primæ dicitur: *Revertere, revertere* ad tua, ad illud, ad quod creata es. Nō jam amplius *Sunamitis* (ut legerunt multi antiqui Patres) id est, captiva, vel despecta, sed *Salamitis* (ut habent Biblia correctiora) id est pacifica, *à Salem*, quod pacem significat, utpote quæ captiva sub jugo peccati deformis, & despecta est, revertendo, & se convertendo fiat pacifica veræ paci juncta. Liberæ verò, ne iterum captivitati subjicitatur, dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrū, & sustinete Dominū omnes, qui speratis in Domino, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ita adjuvat Deus infirmitatem nostram: *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis*, ut sancti per-

Serm. 57.

Ps. 30. v. 25.

1. Cor. 10 v. 13.

maneant in uno fidentes, uni adhærentes, ad unum tendentes in quo omnia inveniunt, & sine quo omnia nihil sunt. *Ideo diligentibus unum, omnia cooperantur in bonum, utpote ad unum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Ita diligentibus unum omnia cooperantur ad unum: Unum enim, ne turbemur, ne deficiamus, ne pereamus, est necessarium. Ad illud unum converti, & reverti debet *Sunamitis* captiva, & despecta, ut fiat *Sulamitis*, utpote pacifica, &
Gal. 4. v. 31. libera *libertate, qua Christus nos liberavit.* Jam filiæ, non ancillæ filia, regni hæres, cui paratum regnum ab initio, reddetur. Beatæ tunc dicetur: *Canite Do-*
Ps. 46. v. 2. *mino in Sion, jubilate Deo in voce Exultationis. Concordent*, ait S. Augustinus, *manus, & lingua* in divinis laudibus jam in loco securitatis, jam in regno, jam in gloria, ubi redditur merces bona, coagitata, & supereffluens. Et hic est amicorum status: sub primo statu, anima est ancilla, sub secundo, est filia, sub tertio, est amica. Ancillæ dicitur, *Revertere ad*
Gen. 16. v. 9. *Dominam tuam, & humiliare sub manu ejus.* Filiæ dicitur? Filia mea libera: Ergo verè Maria Magdalena libera fuit, cui multa, hoc est, omnia peccata dimissa sunt, *quia dilexit multum.* Quia dilexit multum unum, non multa. Ut decursus evidentius, & clarius demonstrabit.

PUNCTUM I.

Consider a primo, quomodo hæc verba perfectè in persona sanctæ Mariæ Magdalenæ fuerint verificata, in laudem cujus Salvator noster illa protulit. Sancta Maria Magdalena, multum amavit, dilexit multum, ait Dei filius, veritas ipsa. O magna Laus in paucis verbis! *Brevis Laus magna Laus.* Verum in quo hujus amoris magnitudo dignoscitur? In eo quod non duntaxat amaverit in principio suæ conversionis, verum etiam amavit in processu, amavit & in finem. Verè dici potest de illa, cum dilexisset Deum, in finem dilexit illum. Amor in illa sumpsit cum vita incrementũ, sed nõ cum vita finem & exitum. Ab instanti, & in instanti ipso conversionis suæ, *multum dilexit* cum ex toto corde suo, ex toto Spiritu suo, ex omnibus viribus suis, & ex tota anima sua se ex omni parte, & totaliter convertit, & ad pedes Christi Jesu Dei, & Salvatoris prostrata humiliavit, omnia sua peccata summe detestata est, contritionis perfectissimæ & intensissimæ actum elicuit, omne omnino peccatum, & quoad culpam, & quoad pœnam delentem, cum plena pudore & confusione ante faciem Dei, & Domini sui comparare non audet, cum flens amarissimè rigat pedes dulcis sui Jesu, & capillis capitis sui tergit, & ungit unguento. *Stans retro secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, &* Luc. 7.
osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Curæ leves loquuntur, ingentes stupent. Amor reddebat illi omnia levia: Hoc porro totum ob amorem sui Magistri faciebat, & ex puro hujus amoris motivo. Ea de causa Salvator noster non dicit multum flevit, sed multum amavit, quid nõ sperari debet de conversione tali? mirandumne est, nos tam parum esse fervidos in decursu, & progressu vitæ nostræ, cum initium fuerit tam tepidum & languidum?

PUN-

PUNCTUM II.

SAncta Maria Magdalena non duntaxat amavit in initio, verum & in progressu vitæ suæ declaravit ipso facto, quod amor ejus continua sumeret incrementa. Illa duntaxat consideranda est, sedens ad pedes magistri sui omnino quasi extra se rapta, cum magna attentione audiens verbum illius: *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Porro unum est necessarium, Maria optimam elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 10. Ecce pars Mariæ reservata, ab ea nusquam aufetenda. Ibi totum mundum, ibi omnes homines, ibi creaturas universas tradiderat omnino oblivioni. Non cogitabat, non amabat, non requirebat nisi hoc objectum unicum, quod solum est necessarium, hoc est Jesum Christum. *Erat intenta Maria dulcedini verbi Domini, intenta quomodo pasceretur à Domino*, ait S. Aug. Ibi tota erat ab eo occupata, & tota possessa, & ipsa illum possidebat, quantum hac in mortali vita possideri amore poterat. O quæ discrepantia sanctæ hujus nobiscum! Ab uno quo conversa est, anno, quæ mutatio admirabilis? Quis in virtutibus progressus; quis in sancti amoris exercitiis fructus? Et nos à tot conversionis annis, à tot annis quibus nos Deo tradidimus, & conservavimus, ut illi soli adhæreremus, serviremus, & intenderemus, quoties recidivi facti sumus, quoties à nostro recessimus proposito, quoties vilem creaturam Deo nostro anteposuimus, qualem adhuc de præsenti tepiditatem in servitio Dei sentimus, qualem in ejus adimplendis mandatis adferimus negligentiam, qualem in ejus amore experimur languorem?

Te in intuitu tuæ socordiæ, in conspectu negligentiarum, & insensibilitatis tuæ te humilies, te deprimas, te condemnes. Pete portionem hujus sancti amoris parvulam. *O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris! O amor qui semper ferves, & nunquam tepescis, accendar totus abs te, & totus diligam te. Non diligamus neque verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* 1. Ioh. 3. v. 18 Verum ne existimes esse satis, quosdam experiri amoris sensus nullo posito in re effectu proximius accedens ad hanc sanctam plenius instruaris.

PUNCTUM III.

VIde & considera, quid amor operetur in hac sancta in sanctæ unctionis solitudine. Qualem de se ipsa sumit pœnam, & satisfactionem ob injurias commissas contra suum dilectissimum magistrum in toto triginta annorum decursu, quo permansit in deserto terribili, quales pœnitentias agat, austeritates quales subeat. Quot servet jejunia, mortificationes quales exerceat. Nuda humus illi lectus est, à mundo, & mundanis elongata sylvestribus victitans radicibus, sola ferocium, & sylvestrium bestiarum societate gaudet. Ecce amoris hujus effectus: *dilexit multum*, verum cor post tot assecurationes infallibiles, de suorum remissione peccatorum, tot subit pœnitentias? Hoc amor nimius causat, qui sibi nunquam satisfacere potens, quo plus extremam bonitatem, & benignitatem infinitam considerat, qua

Deus utitur erga peccatores, eo magis dolet de ejus offensione. *Ita sancti egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, libenter patiebantur, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ*: Licet ergo beatissima Maria Magdalena assecurata esset de suorum remissione peccatorum, audiverat enim veritatem ipsam illud asserentem: *Remittuntur ei peccata multa, fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Illo tamen non obstante, nunquam sibi satisfacere poterat in pœnitentiis exercendis, in subeundis mortificationibus, in suiipsius humiliationibus & depressionibus. Et tu hoc in puncto quid agis? quomodo te habes? post tot commissa peccata, post tot recidiva, post tot infidelitates, perfidias, & impietates, in incertitudine constitutus, an illorum obtinueris veniam necne, quam egisti pœnitentiam, quam vitæ cœpisti mutationem? teipsum in tuorum criminum intuitu confundas, disce cum beata Maria Magdalena pœnitentiam nisi cum vita deserere, & finire, præ timore, ne forte, si pro certo tempore recuses pœnitentiam fructuose, & utiliter agere, infructuose, & inutiliter pœnitere cogaris in omni æternitate. Ad hanc Sanctam tuum sume recursum, ut ejus meritis & intercessione merearis uno die audire;

Heb.10. v. 3 (marg.) Luc.7. (marg.)

Remittuntur tibi peccata, vade in pace, fides tua te salvum fecit.

SERMO XLVII.

PRO FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

De vocatione.

I. Cur Dominus noster pro suis Apostolis elegerit Piscatores.
II. Energia horum verborum; *venite post me.*
III. Quomodo S. Jacobus prompte obediverit.

Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum, Marc. 1. v. 17.

EFficacia divinæ vocationis, ex effectu continuo secuto hac in Apostolorum vocatione evidentius innotescit. Utpote, quod ad hanc unicam Christi Salvatoris vocem: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Venite post me, id est eâdem mentis submissione, voluntatis eâdem resignatione, animi eâdem affectione divinis ut obtemperantes mandatis, nulli in ullo divinæ resistentes gratiæ. Illo porro modo vocare Dei, est producere rem in esse,

Sap. 2. se, juxta placitū Sapientis, hanc Dei efficaciam in vocando agnoscentis. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* aut quod à te vocatum non esset, conservaretur? Ubi vult sapiens, nihil esse, & conservari, nisi à Deo vocatum. Qui vocat ea, quæ non sunt; tanquam ea quæ sunt, ut vocatione ejus media esse incipiant. *Vocat*: ait Gabriel, *nos Dominus ad se commonitione, afflictione, & inspiratione.* Unde Gerss: *Venite ad me omnes, qui laboratis. Tres*: inquit: sunt modi, quibus à Domino vocamur & ad Dominum vocamur. Afflictio, cōmonitio, inspiratio. Commonitio fit extrinsecus, Inspiratio intrinsecus, afflictio vero utrobique. Afflictio triplex est. Alia est in rebus, alia in corpore, alia in mente. Afflictio in rebus est paupertas. Afflictio in corpore est infirmitas; afflictio in mente est perversitas, de quibus Gerson. At in præsenti vocatio, quâ S. Jacobus vocatus est, fuit commonitio gratiosa, efficaci concomitante interna inspiratione; qua efficaciter Christo assentiens relictis omnibus secutus est cum in momento, nulla facta tergiversatione, resistentia nulla aut hæsitatione. Imprefserat sibi alte dictum Sapientis. *Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.* Per hæc enim gemina vitia cuncti reprobi pereunt. *Qui autem me audierit absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur timore malorum sublato.* Hac S. Jacobus imbutus doctrinâ non diu deliberandum existimavit; sibi tantam oblatam gratiam nulla ratione negligere cupiens continuò acquievit: sciens quia qui Domino perfecte deservit, multis terreatur adversis, imo gaudet in adversis, & in ipsa morte quasi de ingressu vitæ lætatur; quietumque semper à supervacaneis cogitationibus ac tumultibus tentationum pectus juvante Spiritus gratia gerit. Hisce præventus S. Jacobus gratiis & motivis, omnibus relictis secutus est Dominum ad primam vocationem. O quoties vocamur, & tamen non sequimur. Quoties & externis commonitionibus monemur, & internis inspiramur inspirationibus, & tamen non acquiescimus, non flectimur, non sequimur. Timendum est certe, ne formidabilem audire debeamus increpationem, verbum durum, sententiam gravem; *quia despexistis omne consilium meum; & increpationes meas neglexistis, Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Quod ut evitemus nobis ipsis diligenter intendentes, divinas ne in vacuum recipiamus gratias, apostolico acquiescentes consilio, seriò animadvertamus subjunctis accuratius intendentes.

Gabriel lib. 2 d. 37. q.

Gers p. 2 ser. de Verbo Domini

Matth. 11. v. 28.

Proverb. 1. v 32.

Proverb. 1. v. 26.

PUNCTUM I.

Considera primo, directionem admirabilem Domini nostri in suorum vocatione & electione Apostolorum, & cur ille, qui poterat pro sua voluntate eligere personas sublimes, scientiâ, & meritis excellentes, & prævalentes ad suum prædicandum & promulgandum Evangelium, voluerit simplices, rudes, & incultos Piscatores præferre. Prima ratio & causa fuit, ut ostenderet quanti faceret humilitatem, &

quam humilem esse oporteat; ut quis capax sit. Evangelium recipere & promulgare. Hoc expressit Apostolus, ad Corinthios. *Videte* ait: *vocationem vestram fratres, quia non multi potentes, non multi nobiles: sed infirma mundi elegit Deus & confundat fortia &c.* Et Salvator in Evangelio: *Confiteor*: inquit: *tibi Pater quia abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*, Altera causa fuit, ut mundi ad veritatem & Christum conversio non attribueretur humanæ Sapientiæ, potentiæ aut eloquentiæ Prædicatorum, verum magis virtuti & viribus gratiæ & veritatis. *Non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis sermo meus, & prædicatio, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit in Sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, Sapientiam vero non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam.* Ita vocat Salvator hodierna die S. Jacobum in littore Maris; & alias non vocavit sed reliquit Nathanaëlem: inquit S. August: quia erat legis Doctor: *Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres mittentes rete in mare, erant enim Piscatores, &c. Et procedens inde vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, &c.* Et *vocavit eos: illi autem statim relictis retibus & Patre secuti sunt eum.* Tantæ virtutis erat verbum Christi vocantis, ut continuô permoveret. & traheret ad se quos vellet.

1. Cor. 1. v. 26.

Matth. 11.

1. Cor. 2. v. 4.

Matth. 4. v. 18.

PUNCTUM II.

CONsidera secundo sensum, vim, & energiam horum verborum Christi: *Venite post me, faciam vos fieri Piscatores hominum.* Venite post me, ac si dicere, vellet, me sequimini ut Magistrum vestrum, meis adhærentes doctrinis, me sequimini ut caput vestrum, meô animati spiritu, sapientia directi & roborati influentia. Vos docere volo modum excellentissimum piscandi, & excellentiorem multò quam illum, quem habuistis usque modo. Quia loco quod nullum finem alium habueritis in piscando, quam pisces capiendi, ut vitam adimeretis, volo docere vos piscari homines, illis ut vitam detis: verum quia opificium, quod exercetis, est fatigationis, molestiæ & laboris opificium, propter quod vobis est necesse frigus, & calorem pati: nocte vigilatis, magnis tegimini retibus vel vilibus pannis: scire & intelligere debetis; quod hæc, ad quam destinamini, piscatura seu piscatio non minorem requirat & exigat vigilantiam: Laborem & assiduitatem. Et ut non videantur vobis mira, & difficilia; quæ vobis patienda & sufferenda venient. *Venite post me*, me sequimini præcedam primus, ero antesignanus exemplum vobis dabo, viam vobis sternam, si quid sit patiendum, laborandum, & subeundum primus patiar, Laborabo primus, subibo primus, & superabo omnes difficultates primus: non requiro, ut quicquam faciatis, patiamini; aut subeatis; quod non videritis primo à me fieri, pati aut subiri. Horum verborum sensum, & vim applica tibi, & vide quomodo illa practices & exequaris.

PUNCTUM III.

SAnctus Jacobus mox ut audivit vocem Domini & Salvatoris nostri vocantis se & invitantis ad sui sequelam, eodem momento & instanti suis omnibus quæ habuit relictis, secutus est eum, factus ejus discipulus, & comes. *Relictis retibus* (loquitur scriptura) *& Patre secuti sunt eũ.* Erat attractio fortis, & efficax vocatio; At correspondentia & cooperatio magna etiam fuit, deserere ad simplex verbum Domini Patrem & matrem, & omne quod in mundo poterant prætendere. Eheu non exigitur à te ut ipso facto omnia bona tua relinquas & sequaris Christum Dominum nostrum; sed ut duntaxat renunties adhæsionibus, & nimiis ad illa affectionibus, quas adhuc post tot internas illustrationes; post tot secretas vocationes, & externas voces & internas motiones, post tot gratias oblatas & occasiones optimas semper remanes surdus non audiens. Ut in te illud verificetur. *Aures habent, & non audient. Pedes habent & non ambulabunt*, non quia non possunt; sed quia non volunt. Velles bene cum S. Jacobo sequi Christum filium Dei in montem Thabor ad videndam gloriam ejus, vel ad locum ubi resuscitavit principissam filiam Principis synagogæ ad videndum miraculum. At illum sequi ad montem Calvariȩ, ferre crucem tuam post illum, tuam dare vitam, ut ille dedit suam, hoc facere non potes. In eo illum sequi tibi impossibile videtur: *potestis bibere calicem quem Ego bibiturus sum?* Hoc nihilominus ad Christum sequendum præstandum est. Quia nisi illum secutus fueris in humiliatione, tolerantia & passione est necessarium. Illum non sequeris in exaltatione, gloria & exultatione. Si compatimur, & conregnabimus.



SERMO XLVIII.
PRO FESTO S. ANNÆ.
De Privilegiis Sanctæ Annæ.

I. Gratiæ à Deo sanctæ Annæ concessæ.
II. Quid sanctæ Annæ debemus, virtute privilegiorum & gratiarum quibus præventia.

Multæ filiæ congregaverunt divitias supergressa es universas, Proverb. 31.

HÆc congrue Sapientis sententia Sanctæ Annæ applicatur. In illa quippe vere verificatur: Certum si quidem est, filias multas congregasse divitias cœlestes, gratiarum divinarum thesauros accumulasse, At una filia

filia dilectissima S.Anna hasce supergressa est Universas. Filia fuit Agnes, filia Catharina, filia Lucia, filia Cœcilia, filia Agatha, filia Barbara, filia Clara, filia Elisabetha, & aliæ multæ, & innumeræ virgines aliæ & animæ sanctæ filiæ fuerunt, quia multum dilexerunt, & cōgregaverunt divitias virtutum, gratiarum & meritorum multas ac præmiorū innumerabilium thesauros incomparabiles, At S.Anna universis divitiis supergressa est excellentissimè & gloriosissimè universas, O quā dives est S.Anna in gloria, quā dives fuit in miseria, quam dives in cœlo, quā dives in mūdo, quam dives in tempore, quam dives in æternitate. O quam dives est anima ejus modo gloriâ, & honore decorata, quam est vel erit dives in corpore, in sanctorum splendore in resurrectione omnium glorificanda. O quam Dives fuit in vita tota in omni virtutum genere. In charitate Dei & proximi fervida fuit, constans in religione, & continuo Dei servitio, in fide firma, in spe non vacillans, in patientia & longanimitate non deficiens, in misericordiæ operibus indefessa, in penuria hilaris; in abundantia moderata; in puritate mentis excellentissima, in omnibus omnino virtutibus perfectissima: Verè glorians cum Apostolo testimonio bonæ conscientiæ, & in veritate dicere potens. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei conversati sumus in hoc mundo.* Cōversata in hoc mundo in sinceritate Dei, jam gloriatur in cœlo in fruitione & incomprehensibilitate Dei, in qua & ipsa comprehensa glorificatur. Verè sicut

2.Cor.1. v.12.

nomen ejus, ita & Laus ejus in cœlo & in terra. Anna enim gratiosa seu misericors dicitur. *Gratiosa*, quia gratiæ matrem cœlo & mundo protulit. *Misericors*, quia illâ mediante omnes misericordiam, & gratiam consecuti sunt; & Deus omnibus fecit misericordiam. Legitur Salomon fecisse sibi thronum de ebore grandem. Non fuit tale opus in universis regnis terræ usque ad hujus throni fabricationem. Verus Salomon Rex pacificus, qui fecit utraq; unum usque ad B.Virginem, thronum non habuit eburneum; id est non insedit animæ propositum virginitatis habenti. Per ebur enim, teste Blesensi virginitas in scriptura sancta significatur. Hujus autem throni fabricandi S.Anna sola expectata & adhibita est ministra, ut ex illa & in illa æterni Regis thronus fabricaretur, nō fuit tale opus in universis regnis terræ & generationibus sæculorum, quia non fuit opus Regis terreni; sed cœlestis. Fuit thronus Regis pacifici, Regis Regum & Domini dominantium, qui elegit S.Annam inter omnes creaturas, in qua & ex qua fabricaretur thronus tam nobilis, tam magnificus, tam gloriosus, cui opus inter universa, quæ operatus est Deus, nullum simile aut æquale invenitur, sive in elegātia, sive in pretio, sive in præstantia & dignitate: Ideo ad hujus fabricationem adhiberi debuit filia inter omnes nobilissima; quæ alias antecederet universas & præeminentiâ virtutum, & charismatum divinorum prærogativâ, ut patebit ex dicendis.

3.Reg.10. v.18.

PUN-

PUNCTUM I.

CONsidera primo gratias, favores, & prærogativas, quas Deus sanctæ Annæ concessit. Satis est dicere quod Mater sit Dominæ nostræ virginis, & Matris, Avia filii Dei: ut credatur illam majores, copiosiores, & excellentiores recepisse gratias, quam imaginari & concipere possimus. Enim vero si credatur, & verum sit; quod aquæ eo sint clariores, puriores, & limpidiores quo sunt suis originibus viciniores & proximiores; Et res eo perfectiores, & excellentiores, quo suis principiis, & causis magis proximant: Christus Jesus fons, & origo omnium gratiarum in cœlo & in terra unquam communicatarum aut communicandarum; & principium omnium bonorum; quales gratias & qualem sanctitatem possumus nobis imaginari, quod dederit sanctæ Annæ, quæ illum attinebat & attingebat ita propè, ut illam suæ Genitricis matrem esse voluerit? Congaudeas illi, & congaudeas vehementer congratulans affectu toto, & tota cordialitate de tantis, quas recepit, gratiis, & de tam exquisitis, quibus præventa, & electa est, favoribus. Recogita & recognosce accuratius, quod Ecclesia tota hodierna die devotissime facit & recolit religiosissimè in ejus collecta & oratione, *Deus qui beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Filii tui. Mater effici mereretur.* O privilegium magnum! O gratia admirabilis! O favor indicibilis! Si domus Zachariæ in primo ingressu virginis beatissimæ fuerit omnibus repleta benedictionibus, & gratiis, quomodo non majoribus, pluribus, & sublimioribus, O beatissima Mater Anna, fueris repleta benedictionibus gratiis, & favoribus. Tu in cujus utero fabricata est archa nostræ sanctificationis, archa testamenti, archa salutis in qua reconderetur panis Angelorum, panis vivus, panis cœli, qui de cœlo descendit, non manna corruptibilis. Et sanctuarium Spiritus sancti efformatum est, in quo virtute ejusdem Spiritus sancti verbum humanaretur, & Deus fieret homo. *Repleta est Elizabeth Spiritu sancto,* ad unicam vocem salutationis Mariæ, non replebitur S. Anna ad conceptionem immaculatam ejusdem Beatissimæ virginis in suo utero, & ad ejus permanentiam ejusdem per novem mensium revolutionem in eodem. *O beatum par Joachim & Anna, vere ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini.* Lauda Deum, & gratiarum actiones persolve quales & quantas potes pro hisce tot S. Annæ concessis favoribus, & gratiis. *S. Ioan. Damas.*

PUNCTUM II.

CONsidera secundo, quid Annæ debeas ob tot ejus merita, favores, & gratiarum omnium & benedictionum divinarum charismata. Primum quod S. Annæ debes, est ut illam hodierna die specialius honores, velut vas electionis; quam Deus præ omnibus elegit, & præelegit ut fieret Mater virginis Mariæ, Sanctissimæ, perfectissimæ & dignissimæ inter & super omnes creaturas, quas sanctitate, perfectione, & dignitate longe omnes antecelluit. Alterum

eſt ut coneris illam in ſua longanimitate, & patientia imitari, qua illa in ſuo Matrimonio honorabiliſſimo patientiſſimè tanto temporis ſpatio tulit opprobrium ſterilitatis; nos inde, docens & inſtruens Deo ſoli fidere, & confidere dum in afflictionibus verſamur, probandi velut aurum in fornace, actus fidei, ſpei, reſignationis, & adhæſionis, ad Deum perfectæ elicientes, & frequentantes, & in hiſce occurrentiis, & incidentibus perſeverare continuò in orationibus quantumvis etiam longo temporis perdurent ſpatio, ut ſancta Anna faciebat temporis diuturnitate non fatigata, nec afflictionis gravitate depreſſa, gratiâ continuis requiſita & impetrata precibus, illam roborante & erigente. Deus enim hanc ideo inducebat ſterilitatem, ut mater effecta in ætate, in qua natura negat generationem, & fructum: fructus, quem in mundum produceret, gratiæ non naturæ tribueretur: eſſetque gratiæ fructus non naturæ. Gratiæ dico; quia in eo plus haberet gratia, & operaretur; quam natura: Et ideo totus gratioſus, à gratia potiſſimè productus. Et hoc exemplo diſcamus animum nunquam deſpondere, quidquid nobis acciderit, cum Deus non alio fine differat ſæpe adjuvare nos, quam ut ſuam divinam providentiam reddat admirabilem, & recompenſet, ſeu reddat, quod ad tempus dare diſtulit, cum uſura. Non differt Dominus promiſſiones ſuas niſi in melius, ut perfectius adimpleantur & ſuum ſortiantur effectum efficacius. Conclude hanc meditationem pro hujus veritatis aſſerenda & propugnanda infallibilitate, & humillima oratione hac ſupplicatione ad hanc magnam ſanctam directa. In qualitate, qua eſt Mater virginis ſanctiſſimæ, ut nos velit illi virgini beatiſſimæ & filio ejus offerre velut illorum ſervos & Mancipia. Nosque acceptare & ſanctæ eorum aggregare & incorporare familiæ, & hic in tempore per continua gratiæ incrementa, & ibi in æternitate per indeficiantia gloriæ fomenta.





SER-

SERMO XLIX.

PRO FESTO SANCTI LAVRENTII.

De Spiritu Martyrii in quo Christiani omnes obligati sunt vivere & mori.

I. Obligatio, quam habemus in illo vivere Spiritu.
II. In quo consistat & quid sit hic Spiritus.
III. Quales sint ejus praxes.

Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, Ioan.12.v.25.

MIrabile dictu nostris insonuit auribus, dum veritas loquitur nos instruens ne pereamus, ne animam nostram perdamus: *qui amat* inquit *animam suam perdet eam.* Huic enim sententiæ quasi videtur contrarium esse, quod ait Apostolus. *Nemo unquam carnem suam odio habuit*: Si
Eph 5.v.29 ergo nemo est, qui carnem suam oderit, quanto magis nemo est; qui oderit animam suam, cum anima superior sit, caro autem inferior & subjecta? quomodo ergo intelligendum est: qui amat animam suam, perdet eam? quia timeo perdere, ideo non amo. Dicit & alibi
Matth 16. Dominus: *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Ecce sic amanda anima est, ut totius mundi lucro præferenda sit. Et tamen qui amat perdit. Non vis eam perdere, noli amare. Utpote amore perverso. Noli illam amare carnali amori in suis vitiis. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Psal.10.v.6
Illo amore affectus pervenit David ad speciem Bethsabeæ, amor ille incautum & præventum dissolvit, dissolutum obruit, obrutum omnino perdidit. Ut ipse alibi fatetur: *quia inflammatum est cor* Psal.72.
meum, & renes mei commutati sunt: *Et* v.22.
Ego ad nihilum redactus sum, & nescivi. Ita David sua seductus & illusus concupiscentiâ male animam suam amando secundum affectum commodi in suis vitiis, & sensualitatibus ignorans quasi ad nihilum redactus est. Imo minus quam nihil factus est, quia servus est minus quam Dominus. Ergo tunc Da-

vid cum ſerviverit peccato,&cum peccatum ſit nihil, David illi ſerviendo minus factus eſt quam nihil, ea de cauſſa dixit: ad nihil redactus ſum, id eſt, ad minus quam nihil. Ille ipſe amor & affectus perverſus ſapientiam Salomonis abſorbuit,& carnali libidine diſſolutum in ſpiritualis fornicationis barathrum,& nefandiſſimam Idolorum culturam dejecit. Ita qui ſic animam ſuam diligunt in tranſitoriis,& temporalibus, illis pereuntibus perdunt animã ſuam, amans enim temporale & peribile, illud dum perit & amans eſſe deſinit & perit. Amans autem quod æternum eſt, in æternum manet. Si ergo vis animam tuam ſalvam facere, odi illam in pereuntibus & tranſitoriis, & ama illam in permanentibus & æternis. Amor porro tranſitorius tendens in tranſitoria tantum non meretur habere nomen amoris veri. Sed ſicut dicit Dionyſ. *eſt longinquum idolum veri amoris plenum anxietate. Affectio autem charitativa plena eſt jucunditate.* Unde Richardus de Trinitate. *Sicut charitate nihil eſt melius, ita & nihil eſt jucundius.* Illâ itaque qui diligit animam ſuam charitate, in vitam æternam cuſtodit. Unde S. Bern: diſtinguens amorem naturalem & ſenſualem à vera Charitate: *Eſt affectio:* ait. *quam caro ſive natura gignit: eſt affectio, quam ſtudioſa exercitatio acquirit, ſive quam ratio regit, & affectio quam Sapientia condit. Hæc primam illuminat, ſecundam remunerat. Prima quidem eſt dulcis, ſed turpis: ſecunda eſt ſicca, ſed fortis. Tertia ſuavis & pinguis; quæ guſtat quoniam ſuavis eſt Dominus.* Et hæc eſt affectio bona, qua anima diligenda eſt in hoc mundo non diligendo mundum neq; quæ in mundo ſunt, ſed ſolum Deum & quæ ad Deum dirigunt animam in vitam æternam cuſtodiendo.

Dionyſ. de Aug. Hier: c. 2. & de divin: nomini c. 4.

Born: ſerm: 50. in Cant.

PUNCTUM I.

CONſidera primo obligationem, quam habemus vivere continuo ſpiritu Martyrii: Hoc eſt tali ſpiritu animati & diſpoſitione prompti, ut parati ſimus ſemper vitam noſtram ob Dei amorem, & divinum ſervitium exponere; & morti etiam tradere, ſi res exegerit. Eo tendit Chriſti interrogatio ad omnes æqualiter Chriſtianos, & maximè ad Eccleſiaſticos, & Religioſos directa: *poteſtis bibere calicem, quem bibiturus ſum? uſq; ad finem te ducit, uſque ad Martyrium te proſequitur, & ubi conſtituit beatitudinum palmam.* Prima ratio eſt, quod qua Chriſtianus, obligatus ſis amare Deum amore poſſibili perfectiſſimo. At cum amor illo non detur perfectior quam quo paratus eſt quis mori propter rem amatam, debemus ob Dei amorem eſſe ſemper parati occaſione ita exigente, mori & Martyrium ſubire potius; quam Deum deſerere, vel offendere. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Verum ſpecialior obligat Eccleſiaſticos ratio, & cauſa; quod Dominus, & Salvator noſter ſeipſum quotidie, & omni hora, ac momento per manus illorum offert, & immolat in altari: Et quod modo ſpecialiori ſe obtulerit ad mortem propter illos. Ut teſtatur ipſe per verba ad Patrem

S. Ambroſ. lib. 5. in Luc. cap. 6.

Ioa. 15. v. 13.

Patrem suum postquam illos ordinasset presbyteros. *Pro eis sanctifico meipsum:* inquit. Ioh.17.19.

PUNCTUM II.

COnsidera secundo, quid ille Spiritus Martyrii sit, & in quo consistat. Hic Spiritus aliud nihil est, quam certa fortitudo, generositas & promptitudo, quam Deus suis communicat servis, qua ita abstrahuntur & alienantur ab omni re sæculi, & mundana, ut omnia mundana de cætero intueantur velut objecta odii & contemptus, nec alio oculo illa queant respicere, nisi oculo aversionis, horroris & vilipensionis; Concinentes cum Apostolo: *Mihi mundus crucifixus est & Ego mundo.* Secundo Spiritu Martyrii imperterriti, & immobiles in quocunque insultu mundi, vel aggressu diaboli efficiuntur. Et ita ardentem illis infundit erga Christum amorem, ut sint semper & omni tempore in dispositione suam vitam in gratiam ipsius exponendi. *Tanquā Leones ignem spirantes, facti diabolo terribiles:* inquit Chrysost: Illo animati Spiritu quærunt, & desiderant aviditate indicibili ob amorem Christi quidquid est naturæ contrarium, amarum & pœnosum. Ita S. Laurentius hodierna die illo igne accensus, & Spiritu animatus, dispositus dignoscitur, dum tantam testans impatiētiam & aviditatem patiendi pro suo Magistro, cum suo Sacerdote, Episcopo, ac Papa, ut illi sit majus Martyrium videre suam per tridum differri Martyrii palmam, quam ipsum ipso facto subire Martyrium, & omnes pati & perferre cruciatus. Illo excitatus Spiritu conqueritur se derelinqui, & deseri à suo Sacerdote & Episcopo. *Quo progrederis,* inquit: *sine filio Pater? quo Sacerdos sancte sine Diacono properas?* Tanto ille ardore flagrabat Martyrii ut contemptis Tyranni minis ejus rideat avaritiam & impietatem, & in maximis ac prolixis crucitatibus ita cōstans, imperterritus, & tranquillus apparet & est, ac si in molli lecto jaceret & requiesceret. Deum magna laudat devotione & alacritate, quod se ad talem statū deduxerit, quod dignus inveniatur pro nomine ejus quævis pati tormenta. Ignis materialis urens & crucians exterius, est minus activus, quam ille qui interius urebat. *Superari charitatis Christi flamma non potuit, segnior fuit ignis, qui foris arsit, quam qui intus accendit.* Non flagrares desiderio, tanto viso exemplo nunc etiam in simili Sanctum hunc imitari? non te felicem reputares, tibi si martyrii subeundi occasio daretur? Si hoc sit, subjuncta considera.

Gal.6.v.14. *in ejus actius.* S. Leo in Natal. S. Laur.

PUNCTUM III.

COnsidera tertio illud esse penes te, & in tua potestate. Etsi enim proprie illi nomen Martyris mereantur, qui sanguinem suum pro Christo, pro Christi fide & nomine profundunt: Est nihilominus aliquo modo Martyr esse; suscipere libenter, & pati patienter, & fortiter, quidquid nos pati beneplacitum est Deo; sive in nostra conditione, & statu, sive in bonis temporalibus, sive in corpore, sive in animo


mò, sive in quocunque nos contingente, quacunque ratione, aut modo. Hoc est esse Martyrem potius, esse paratum mori quam Christum Jesum offendere, Hoc est Martyrem esse, suam carnem mortificare, suas passiones vincere, suis deordinatis resistere appetitibus, & ita perseverare ob amorem Christi Jesu usque in finem. Hoc est Martyrem esse: inquit S. Gregorius, patienter hujus vitæ necessitates, miserias & difficultates perferre, injurias pati cum patientia, persecutiones, calumnias, & hominum odia tolerare animo forti, & constanti, vincere in bono malum, bonum pro malo reddere; & eos qui oderunt nos diligere. In quem sensum bene S. Gregor. *Esse Martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur.* Cui S. Bern: subscribit: *Sine ferro*: inquit: *& flamma Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodiamus. Mortificationem Christi*: Loquitur Apostolus, *in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus in mortem tradimur propter Iesum: ut & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

S. Greg. in Evang.
S. Bern: de modo bene vivendi.
2. Cor. 4. v. 10.
1. Petr 2. v. 2.

Examina modo, & introspice propius; si usque modo illo spiritu Martyrii vixeris, si animatus in omnibus tuis actionibus illo fueris. Hoc est, si omne quod ex parte Dei tibi acciderit, animo forti passus fueris, si persecutionem aliquam, aut violentiam quamcunque viriliter tuleris Christiana generitate excitatus. Si principiis imbutus Christianismi, & robore firmatus divinæ gratiæ de futuro fueris paratus, & dispositus mori potius, quam minimæ tentationi, te ad peccatum, aut ad aliquam in via virtutis obliquitatem impellenti cedere. Annon magna admirationis in eo invenitur ratio, quod ita tepidi ad patiendum ob amorem Salvatoris tam amabilis simus? quod vitæ ita miseræ, vili & abjectæ adhæreamus, ut tam elongati ab ea simus voluntate; qua vitam propter eum profundere, & consecrare velimus, qui vitam suam ita dignam & pretiosam propter nos dare & sacrificare dignatus est? Et quotidie adhuc illam in altari Sacrificat? *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; *Et pro omnibus mortuus est Christus.* Vere verissimum est, si filius Dei pro omnibus mortuus sit hominibus, omnes homines pro illo; illi ut conformarentur mori deberent. Fac ergo ita ut vita tua sit mors perpetua, hoc est, sit hostia; quam Deo offeras sanctam & immaculatam. Si enim illi sociari velimus in gloria, consociari & illi debemus in pœna, & tolerantia; Ne merito redarguamur juxta S. Augustini justam reprehensionem. *Volumus*: inquit: *gaudere cum sanctis, & tribulationes mundi nolumus sustinere cum illis.* Et juxta illud. *Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis.* Hanc gratiam per merita & intercessionem S. Laurentii à Deò require & efflagita, ut esse possis particeps ejus felicitatis & dicere possis suo tempore die illo felici, & hora illa optatissima beati ad patriam transitus. *Gratias tibi ago Domine, quia januas ingredi merui.*

2. Cor 5. v. 14.
S. Aug. serm 47. de sanct. num. 62. 6.

SER-

SERMO L.

PRO FESTO ASSUMPTIONIS VIRGINIS BEATÆ DOMINÆ NOSTRÆ.

De favoribus & privilegiis quæ hac die recepit.

I. Primum privilegium est modus moriendi omnino novus.
II. Alterum est ejus assumptio in cœlum cum corpore & anima.
III. Tertium est ejus coronatio.

Sic honorabitur, quemcunque Rex voluerit honorare, Esth. 6. v. 9.

ITa omnino esse debet, cum omnis honor à Rege dependeat, ille honor exhiberi præcise ei debet, cui Rex statuit exhibendum singulari modo, pro meritis & proportione, debet imponi super equum, qui de sella Regis est, ut jubeatur per urbem regiam devehi solenni pompa, regio comitatu, & diademate exornatus regio, omnibusque ornamentis regiis decorandus. Hoc factum olim Mardochæo ex mandato & voluntate Regis Assueri sacræ referunt & testantur paginæ. *Est.6.v.9.* Illud autem fuisse umbram, & figuram honoris hodierna die virgini Mariæ Matri Dei dignissimæ exhibiti dubitare debet nemo. Cui ex decreto Trinitatis Sanctissimæ, Mandato, & jussu Regis Regum filii sui dilectissimi, non ex præcepto Regis Assueri; summi & regii honores sunt exhibiti, acclamantibus Angelis & Archangelis, Thronis, & Dominationibus; Principatibus, & Potestatibus, Cherubinis atque Seraphinis, omnique militia cœlesti, una voce, affectu uno, una exultationis significatione, congratulantibus creaturis universis; *hoc honore condigna est quamcunque Rex voluerit honorare.* Magna certe, & omni laude: dignissima fuit Mater, & Virgo Maria beatissima; quæ tantum Dei & hominis edidit Mediatorem, & nostrum meruit parere Salvatorem: quæ inter omnes, quas mundus habuit, mulieres, nec primam nec similem meruit, nec sequentem habere. Concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore; & hinc migravit sine corruptione, juxta verbum Angeli,

Angelissimo Dei per Angelum, ut plena, non semiplena gratia esse probaretur: Et Deus filius ejus antiquum quod pridem docuit mandatum fideliter adimpleret, Patrem videlicet & matrem honore prævenire. Et ne caro Christi virginea, quæ de carne matris virginis assumpta fuerat, à tota discreparet, decuit Virginem summis præveniri honoribus, regiis decorari insigniis, diademate coronari regio, per urbem regiam & cœlestem Jerusalem devehi Equo de Regis sella regia hoc summa gratia & gloria. Ille si quidem suaviter equitat, quem gratia Dei portat. Illa enim virgo Beata cum sit: inquit Doctor Seraphicus: *primitiva virginum, Speculum Confessorum, Rosa Martyrum, Magistra Apostolorum, Oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, Regina Angelorum, gloria Cælestis Ierusalem, & Honorificentia totius militiæ cœlestis. Nihil virtutis est*, S. Hieronymo teste: *nihil speciositatis, nihil candoris, nihil excellentiæ, nihil pulchritudinis & gloriæ; quod in ea non resplendeat.* Omine meliori, & jure potiori omnes spiritus cœlestes, & Cives Jerusalem sanctæ Benedicentes, honorantes & divinis efferunt laudibus virginem Beatissimam, quam olim Judæi victoriosam Judith una voce dicentes. *Tu gloria Jerusalem, Tu lætitia Israel, Tu honorificentia populi nostri. Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum eo quod castitatem amaveris virumque nescieris, virum concipiens sine viro*, & pariens permanens virgo. Ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum. Ita hodie excepta virgo gloriosissima ab Civitatis cœlestis Civibus ita honorata, ita laudata & magnificata. Illam ergo & nos honoremus, laudemus & & magnificemus, quantum possumus, tantum laudemus, quia major omni Laude nec laudare sufficimus, Magnificate Dominam mecum, & exaltemus nomen ejus in æternum & in sæculum Amen.

S. Bonav: in Specul. B. V. M.

Hieronym: Epist. 100. ad Paul.

Iudith 15. v. 11.

PUNCTUM I.

CONsidera primo tres eximias excellentias, & prærogativas, quas virgo Beatissima, à divina recipit bonitate: Et quarum festum diem hodierna Luce agit Ecclesia. Prima est genus mortis planè novum & extraordinarium; quo anima illa Sanctissima à suo corpore est separata: Hæc porro nec morbi violentia, nec naturæ deficientia, sed vi amoris intensissimi & charitatis ardentissimæ vitam feliciter suam terminavit temporalem, inchoatura æternalem. O mortem pretiosam, ubi dolores partem nullam possident, Lachrymæ, & gemitus omnino exulant, & ubi omnis langor, non est nisi amoris sanctissimi & perfectissimi, quem quis posset sibi imaginari effectus! *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* O quanto pretiosior Sanctissimæ hujus, & sanctorum omnium Reginæ mors in conspectu Domini fuit: Vere summe O virgo sacratissima, rationabile erat, & rationi omnino consonum; quod postquam singulari privilegio fueris in tua conceptione admirabili ab omni contagione originalis quam

Cant. 2. v. 5

Psal. 115. v. 18.

peccati præservata, postquam in continuo amoris vixeris exercitio & postquam maximum in calvariæ monte subjieris Martyrium, mors tua hisce ut correspondere praerogativis, ab omni eximeretur terrore, ab omnibusque aliis concomitantibus libera esset accidentibus.

PUNCTUM II.

ALtera prærogativa, quam hodierna die recepit virgo sanctissima, est elevari, super omnes cœlos corpore & anima ad dexterâ filii sui. *Assumpta est Maria in cœlum.* Hujus gloriosæ assumptionis circumstantias omnes perpende. Dominus & Salvator noster illam manu ducit, *Innixa super dilectum suum*: Angeli in admirationem rapti illam concomitantes, requirunt ab invicem gaudentes, & illi congaudentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* Cant. 8. v. 5. Hanc admirare gloriam, lauda, & adora cum his beatissimis Spiritibus, & tuas jungas cogitationes, & affectiones cum eorum piis affectibus, singulari lætitia, & gaudii sensu dicens, & cum Propheta concinnens: *Surge Domine in requiem tuam, tu & archa sanctificationis tuæ,* Ps. 131. v. 8. Et cum Ecclesia vocem elevans exultationis: *Elevata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.* Illa loquitur in canticis canticorum. *Vox dilecti mei: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cant. 2. v. 8 *Virgo immaculata, quæ nullis terrenis est inquinata affectibus, non in terram reversa est, sed cum esset animatum cœlum, in cœlestibus tabernaculis collocatur.* O Domine non merebatur terra tam pretiosum possidere thesaurum. Non ut par est æstimabatur, & in honore erat, dum in hisce inferioribus terræ partibus detinebatur, tempus est, aut recipiat mercedem suorum, quas subjivit hac in vita mortali, laborum. Tempus est, ut illi corona justitiæ, quæ illi ab æterno reposita, quam illi reddet justus judex in illa die glorificationis suæ, & exaltationis in corpore & anima. Et cum fuerit cœlum animatum spiritu cœlico vivens, in cœlo conversans continuo non plus commercii haberet cum terra & terrenis mortua, quam habuerat vitâ durante. *Dignus non erat mundus illâ. Mundus eam non cognovit quia eum non cognovit, & per illam datus est,* Ad Heb. 11. v. 38. ab hoc merito invitatur ad cœlum & locum æternæ quietis. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni:* Sic invitata gratiosè, ascendit gloriosè. Cant. 2. v. 10.

PUNCTUM III.

ULtimum omnium prærogativarum, quâ virgo beatissima hodierna die præventa, & exornata est, eaque quasi completiva, & consummativa omnium aliarum gratiarum à fonte universorum promanantium, est quod Regina cœli & terræ, Angelorũ & hominũ fuerit coronata, constituta mediatrix & advocata apud divinã majestatẽ omniũ peccatorũ, & omniũ gratiarũ, & favorũ cœlestium, quæ nobis dantur dispensatrix effecta. Ad hoc invitatur gratiosè in canticis. *Veni de libano, veni coronaberis.* Cant. 4. 8. Illud præfiguratum legimus in Genesi: *Ite ad Joseph, & quidquid ipse vobis dixerit facite.* Gen. 4.

Certe, ô virgo sacrata peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna filio, quem in sensum Apostolus. *Estote*, inquit, *imitatores mei, sicut filii charissimi.* O quæ & qualis pro nobis consolatio tale, apud Deum habere refugium, auxilium tale, tale præsidium! Deo gratias persolve infinitas, ne unquam à gratiarum actione cesses. Congaudeas cum Virgine sancta merito gaudente, pro tot ejus favoribus, gratiis, & benedictionibus peculiarissime die hoc concessis. Illi vota, laudes, & servitia reddas ob tot nexus, quos illa cum tota sanctissima Trinitate habet firmissimos, filia existens æterni Patris, Mater Filii, & sponsa ac templum Spiritus sancti. Hanc honora ut Matrem tuam, ut Dominam tuam, ut tuam Advocatam. Et ut dignus inveniaris admitti in numero filiorum ejus, & eorum; quas illa sub sua speciali suscipit protectione, omni conamine illam imitari coneris, in aliqua virtutum ejus, & super omnia ejus insistere vestigiis allabores in humilitate quæ illam potissime ad eum, quem possidet locum, evexit: minimam tui habens æstimationem, teque ut talem in verbis, actionibus, & commerciis exterius omnibus exhibens ut totus & exterius, & interius legibus sanctissimæ subjaceas humilitatis. *Quia qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Illa est Dei directio recta, & ordinaria ad illam evehere mensuram, qua nos ipsi nos humiliavimus & depressimus; ut illa in suo cantico verissime docet. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ex hoc beatam me dicent omnes generationes, Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.*

Eph. 1. v. 5.

Luc. 14. v. 15.

Luc. 1. v. 48

Luc. 1. v. 52.

SERMO LI.

PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

De vocatione.

I. Cur toties nobis ab oculos ponit necessitatem vocationis.
II. Notæ discernendi veras à falsis vocationibus.
III. Reflexio.

Cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis. Luc. 6.

Bib. 1. d. 4. 0 art 2. q. 2.

ELectio S. Bonaventuræ & Brul ibidem tripliciter sumitur. Est enim electio secundum affectionem dilectionis, & est præoptio divinæ voluntatis, qua præoptat, vel vult dare vitam æternam aliquibus creaturis rationa-

tionalibus, & non aliis. Et est idem, quod prædestinatio, & electio in Deo æterna, non temporalis. Hujus meminit Apost. *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati coram ipso.* At nihil temporale ante constitutionem fuit: ergo illa erit æterna. Alia est electio finalis, & gratificationis, quæ est collatio gratiæ finalis ipsi creaturæ rationali: Gratia autem finalis non est in ullo homine quamdiu vivit, & est in via; quia pro nullo instanti viæ est alquis in gratia finali, sed primo in instãti mortis fit gratia finalis concludens ultimum indivisibile, quo quis desinit esse viator, & hæc electio finalis gratificationis cum sit ipsa gratiæ datio, est temporalis, non æterna nisi in intentione, est effectus ipsius electionis & dilectionis.

Ephe. 1. v. 4.

Tertia est electio prælationis, & est collatio alicujus dignitatis, vel eminentiæ alicui creaturæ rationali super alias. Hac elegit Christus Salvator noster duodecim ex suis discipulis, quos vocavit Apostolos, qua non erant illi certificati de finali perseverantia: unus enim ex illis Judas periit & damnatus est. Gaufridus etiã Clarevallensis prior post mortẽ apparuit cuidã fratri quærenti qualiter illi esset Respondit. Revelavit mihi Trinitas sancta, quod si suscepissem Episcopatum (nempe Tornacensem) fuissem de numero reproborũ. Hæc ergo electio non est signum æternæ dilectionis, aut finalis perseverantiæ. Ideo electiones ad prælaturas Ecclesiasticas recipientibus periculosæ, si magis quærant eminere quam sancte vivere, magis dominari, quam ob Christum, & justitiæ defensionem pati; si quærant suas magis commoditates, quam populi utilitates. Si temporalibus magis inhient, quam in spiritualibus proficiant. Hujusmodi advigilent sibi ipsis & omnes suas intentiones, & actiones bene ponderent, ne sibi ipsis injiciant laqueum & pereant, considerent quomodo Apostoli ambulaverint & imitari conentur.

PUNCTUM I.

Considera primo admirabilẽ Ecclesiæ sanctæ directionem, qua continuo, & sine intermissione inculcat vocationem & statum Ecclesiasticum. Nam non intervenit vix ullum Apostolorum festum, quo non nobis continuo ob oculos ponat hanc tantæ importantiæ veritatem sive in Epistolis sive in Evangelio. Et hujus ratio potissima est, quia eorum ad Apostolatum vocatio fundamentum est illorum fecilitatis. Non est ex eo, quod Deus non æque omnes Christianos vocet ad gratiam baptismi, sicut vocat Ecclesiasticos ad Apostolatus gratiam: verum cum Baptismus sit absolute necessarius ad salutem, Deus vult consecutione necessaria, ut mundus universus recipiat Baptismum. Et cum Ecclesiastici vera participatione potestatis Christi Jesu (*cui data est omnis potestas in cælo, & in terra. Et de cujus plenitudine omnes accipiunt*) in verum ejus corpus & mysticum tales efficiantur, & sint, intolerabilis usurpatio foret, & temeritas proprio sese huic statui, & vocationi ingerere motu. Verum magis requiritur & necessarium est, ut Christus Jesus ipse vocatione, & electione particulari eos eligat, & acceptet, quibus vult communicare potestatem hanc & directionem

ovium, quæ ad se pertinent, & quibus pascua designavit. Ecce cur hodierna
Luc. 6. v. 13. Joh. 15. v. 16. die in Evangelio. *Vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis. Non vos me elegitis sed ego elegi vos.* Quod inter omnes discipulos duodecim solū elegerit paulo accuratus ponderandum est, & divinam admirare dispositinem simul & laudare. O veritas formidabilis! O quam pauci ad illam, ut par est faciunt reflexionem! Actum fidei efficacem elice quô vocationis efficaciter, & effectu veritates attingas.

PUNCTUM II.

Disce veraces vocationes à falsis discernere, de tua verum ut feras judicium. Salvator noster suos dum vocat, non vocat ut majores, ditiores & honorabiliores fiant in mundo mundanis, adhæsuri mundanis. At econverso illos ut omnes deferant divitias, & prætensiones suas, omnes honores, voluptates relinquant universas. Non promittit illis nisi mala, adversitates, & incommoda, illos mittit sine pera sine pane sine argento, & auro & pro eorū recompensa, remuneratione, & suorū mercede laborū repromittit in hac vita nihil, nisi tormentum, mortem & Martyrium. Ita in vocatione Apostoli denotat & signat vocationem. *Ostendam*, ait, *illi quanta illam oporteat pro nomine meo pati.* Promittit S. Petro, quod cribrabitur sicut triticum, quod futurus erit quasi triticum in cribro. Hac inductus veritate Apostolus palam fatetur illud ipsum. *Et nunc ecce*
Act. 20. v. 23. *alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sunt mihi, ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil vereor.* Et Salvator ipse illos mittens: *Nolite*, ait, *possidere aurum, neq; argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via.* Ecce quomodo Matth. 10. v. 9. illos vult esse nudatos omnibus bonis temporalibus & divitiis. Et qualiter oporteat eos esse paratos ad omnes subeandas persecutiones subjungit ulterius. *Ego mitto vos sicut oves in medio luporum. In Conciliis & Synagogis flagellabunt vos. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Salvator Matth. 10. v. 16. & seq. idem alibi principi loquens. *Satanas*, inquit, *expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem pro te oravi ut nō deficiat fides tua.* Et alio in loco: *Cum esses* Luc. 22. v. 31. *junior cingebas te, & ambulabas quo volebas, cum autem senueris, alter cinget te.* Ioh. 21. v. 18 Ita omnino fiet, ô Petre, duceris contra voluntatem tuam, quo non vis. *Alter ducet te quo tu non vis.* A S. Jacobo & S. Joanne, quid requirat audi. *Potestis bibere calicem, quem bibiturus sum?* S. Matthæus cogitur relinquere telonium, lucrum & fortunam suam: S. Barnabas omnia bona adfert ad pedes Apostolorum. Alii omnia relinquunt usque ad sua retia nihil omnino retinentes. Et hodierna S. Bartholomæus se omnibus suis spolians affectionibus, bonis privatus omnibus patitur etiam idque animo libenti ac facie hilari, ut & propria pelle, per cruciatus indicibiles spolietur. Ecce ad quæ destinati sunt viri Apostolici. Etsi modo ad ipsum Martyrium ipso facto subeundum non perducantur defectu persecutionum, & Tyrannorum, ad mortem

mortem, nihilominus & Martyrium quoddam mysticum destinari & tendere debent, utpote ad abnegationem omnium suarum affectionum inordinatarum, quas possent habere ad quamcunq; creturã aut rẽ transitoriam abnegantes omnino semetipsos juxta Domini præceptum. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me: qui non odit Patrem & Matrẽ, &c. nõ potest meus esse discipulus.* Luc. 9. v. 23 Luc. 14. v. 26. Tanta requirur in Ecclesiasticis, & viris Apostolicis ab omni re temporali elongatio, tanta omnium affectionum inordinatarum denudatio.

PUNCTUM III.

VIde nunc considera, & seriosè pondera quam sint modo, qui statum Ecclesiasticum aggrediuntur & eligunt, ab hoc elongati spiritu, de illis non ingero sermonem, qui solo honorum, voluptatum, & propriarum commoditatum inductu, & affectu trahuntur *Horum enim*, teste S. Bernardo, *certa est damnatio.* Verum etiam de illis, qui ex motivo serviendi Deo, & proximo hujusmodi eligunt, & ingrediuntur statum, quot inveniuntur, qui spiritu ducti Apostolico laborent, hoc est, libero spiritu, plenaria sui, & omnium rerũ abnegatione, assiduitate per fecta, zelo, & patientiâ Apostolicâ? contenti sunt malum non operari, de bono operando, & in eo proficiendo non solliciti. Verum non oportebat eos nisi ad operandum bonum fieri Ecclesiasticos. Status Ecclesiasticus non est status quietis, sed laboris, non locus otii, sed exercitii. *Posui vos ut eatis*, ait Salvator & Dominus noster, *ut fructum afferatis.* Quod item hucusque perfecisti, quem retulisti fructum? Si vocatus sis ad Ecclesiam, vocatus es ad laborem, si ergo non laboras, nihil concludere aliud potes, quam quod, vel non sis vocatus, vel tuæ non respondeas vocationi? quid horum melius? super hoc te non palpando examina, & discute veraciter nil dissimulans. Si usque modo in eo defeceris, coneris saltem hodiè hac horâ, hoc instanti incipere, & te ad exemplum S. Bartholomæi offeres totaliter Deo tuo in sacrificium, & perfectum holocaustum. Dic cum Propheta: *Nunc cœpi hæc mutatio dexteræ excelsi.* Ps. 76. v. 11. Etsi pellem tuam, ut ille, dare non potes, carnem saltem tuam mortifices, quibusdam austeritatibus sufferas pœnas, labores, &, difficultates tui status, & conditionis, animo fortè ad vocatus, es in vineam Domini, voce Domini: *Ite & vos in vineam meam.* Quod Matth. 20. v. 7. ante prædicendo expressit Propheta. *Ut ædifices, & plantes, & dissipes, & destruas.* Ier. 1. v. 10. Abstineas ab omni periculosa voluptate, Apostolico acquiescens consilio. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Col. 3. v. 5. Mala cum beato Job auferas ab oculis tuis, roga cum psalmista, *averte oculos meos ne videant vanitatem.* Linguam omni custodiâ custodi, illi imponens custodiam ne declinet in verbo malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dirige gressus tuos in semitam mandatorum Dei, ut non moveantur vestigia tua. Ad hoc te invitat Apostolus: *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Rom. 12.

SERMO LII.

PRO DIE FESTO S. LUDOVICI REGIS GALLIÆ.

De legibus & maximis fundamentalibus Christianiſmi.

I. Lex prima prima Chriſtianiſmi eſt nunquam peccatum mortale committere, & veniale fugere quantum eſt poſſibile.
II. Nulla inordinata affectione trahi ad bona & voluptates.
III. Omnes ſuas agere actiones ſolo affectu Deo unice placendi.

Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, Sap. 10. v. 10.

Via eſt locus per quem iter habere omnibus licet & tendere ad terminum ſuum. Viæ autem aliæ rectæ, aliæ obliquæ & malæ, quarum meminit Sapiens: *qui decipit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet.* (Prov. 28. v. 10.) Et hæc via eſt ad interitum. Alia eſt recta & bona quæ ducit ad ſalutem, ad cœlum, & ad Deum. Hæc via eſt via mandatorum Dei, quam Propheta non tantum tenuiſſe, ſed etiam cucurriſſe gratulatur: *Viam ait, mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum*; (Pſal. 118. v. 32.) divinæ conformiter Chriſti juſſioni: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* (Matth. 19.) Ab hac via quiſquis aberraverit duce abjecto per abrupta vitiorum, per lubrica, per petroſa, per tenebroſa in invia & non in via laxatur, impingitur in barathri præceps; ad ultimum dejicitur ab illa via de qua Chriſtus præcepit dicens: Vade in Domum tuam. De hac monet Propheta. *Hæc eſt via, ambulate in ea, non declinantes ad dexteram* (Iſaia 30. v. 21.) per indiſcretum fervorem: *neque ad ſiniſtram* per remiſſum torporē. Mundus habet viam ſuam: Et hæc eſt Lapidoſa & undique ſpinis, vepribus urticiſq; curarum mordacium & ſollicitudinum animas noſtras ſuis aculeis lacerantium, atque diſſipantium reſperſa, quanquam aurea à quibuſdam argenteaque videatur. Habet & caro viam ſuam, & hæc eſt herboſa jucundaque nitet introeuntibus eam, ſed latet anguis in herbis, anguis ſcilicet doloroſæ pœnitudinis, anxietatis & perturbationis; ſed & lutoſa colluvione tota intus reſpergitur. Habet

Dæmon

Dæmon viam suam, quæ est tenebræ & lubricum, & præruptis circumquaque cantibus pompaticorum statuum vallata, ubi superbi tolluntur in altum; ut lapsu graviori ruant. Quorum Propheta meminit: *Allisisti dum allevarentur; vel dejecisti dum allevarentur.* Habet & Dominus viam suam. Hæc est munda, decens, pulchra & recta. *Viæ ejus viæ pulchræ, & semitæ ejus pacificæ. Erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus. Ambulans in via immaculata hic ministrabat.* Hæc est via justitiæ & æquitatis, quam sibi dari petit Sapiens: da nobis Domine viam justitiæ: *pœnitentibus enim dedit viam justitiæ & confirmavit deficientes sustinere & destinavit illis sortem veritatis.* Ab hac ne deviemus monet Propheta: *Apprehendite disciplinam ne pereatis de via justa.* Propterea ait viam veritatis elegi: viam mandatorum cucurri: quia non est pigritandum cum dies sit parva, ne sit infra paradisum mansio secura & non bona. Viæ rectæ tenendæ sunt, via humilitatis, via justitiæ, via magnanimitatis, via frugalitatis, via sanctæ obedientiæ, Per has vias rectas deduxit Dominus Justnm S. Ludovicum ut patebit in decursu.

Psal 72. v.18.

Proverb. 3. v.17.

Psal 100. v.6.

Eccl.17. v.20.

PUNCTUM I.

Considera primo, quales hæ sint viæ, de quibus loquitur Spiritus sanctus. Hæ viæ non sunt aliæ, quam media: quibus animas deducit ad perfectionem Christianismi, Et quibus magnus sanctus ille, Beatus Ludovicus usus est, ut pertingeret ad beatitudinem, qua modo perfruitur. Hæc docet & inculcat Propheta. *Venite*, ait: *filii audite me: timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam; diligit dies videre bonos. Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diverte à malo & fac bonum.* Eodem animatus spiritu hortatur Apostolorum Princeps universos: *Charissimi:* inquit: *obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Hæc media referuntur seu rediguntur ad tria principalia vel ad tot maximas seu leges fundamentales, quibus tota Christiana religio innititur, & subsistit. Prima est nullum unquam peccatum mortale committere, & veniale omnibus viribus fugere. Annon illud S. Ludovicus exactissime servavit, toto vitæ suæ sanctissimæ decursu, dum tanto peccati horrore afficeretur, & ita rigorose omnes contra Deum commissas culpas & factas injurias puniret, ut pro suo particulari mori millies maluisset, quam animam suam videre ulla ullius peccati mortalis macula fœdatam. Altera est nulla inordinata affectione seu desiderio duci terrenorum bonorum, & voluptatum fugibilium affici quocunque vel minimo. Et quæ major elongatio & renuntiatio, quam illa sancti Ludovici, qui loco, quod suis abusus fuisset divitiis & affluentiis temporalium bonorum, ut alii facere potuissent ad suas voluptates, ad vanas recreationes, & similes abusus, illas distribuebat in eleemosynas, piis impendebat fundationibus, & omnigenis

Psal 33. v. 12. & seq.

1. Petr. 2. v. 11.

genis

genis charitatis applicabat operibus, loco, quod mensa sua magnifica gloriaretur solum humilitatis exempla dabat, & actus exercebat: In ea pauperes reficiebat, cum illis comedebat, eorum reliquias devote sumens, illis pedes lavabet, & omne affectionis, benevolentiæ, devotionis & singularissimæ pro pensionis officium illis ostendebat & præstabat: Et loco, quod secum in jejuniis dispensasset cœteris Ecclesiæ jejuniis communibus addebat jejunium diei veneris per totum annum & sæpe in pane & aqua, cilicium continuo portabat, & omni die horas canonicas devotissimè & attetinssimè recitabat, verè in eo verificatur encomium Ecclesiastici. *Beatus dives, qui inventus est sine macula, nec speravit in pecunia & thesauris: quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas ejus enarrabit omnis Ecclesia sanctorum*: per hasce vias deductus est S.Ludovicus à Domino.

PUNCTUM II.

TErtia Christianismi maxima est, facere omnes suas actiones sive magnas sive parvas Qualescunque illæ sint sola intentione Deo placendi, & omnes ejus adimplendi voluntates in omnibus ordinationibus, & beneplacitis ejus. Quæ nobis vi nostri status, & ex natura conditionis nostræ specificantur, præscribuntur & præcipiuntur. Ad hoc omnes adhortatur Apostolus & nos specialius. *Omnia in honorem Dei*: inquit: *facite*. Et ecce in quo sanctus Ludovicus admirabilis fuit, & apparuit nihil incipiens, faciens, aut intendens, quam pro gloria Dei: totum ejus intentum erat stabilire divinum in suo regno servitium. Regnum sibi commissum pacificè gubernare; suis prospicere subditis in omnibus, justitiâ & æquitate nullo personarum habito respectu illibate servatâ: Bella nulla suscipiebat, vel incipiebat nisi pro divinæ majestatis tuendo honore, pro ejus promovẽda religione gloria augmẽtanda & fide omnibus erroribus falsis dogmatibus & hæresibus sublatis, ubique propaganda; ut Luce meridiana clarius apparuit vicibus duabus: quibus mare trajecit magnis comitatus exercitibus ad terram sanctam recuperandam. Et quidem prima vice captivus factus multos è captivante infidelium Christianos propriis liberavit expensis & è captivitate diaboli infideles multos ereptos ad Christum suo exemplo, instructione & opera convertit. Altera vice peste sublatus mortalitate relicta, terrenum cum cœlesti commutavit regnum, regnaturus de cœtero in regno luminum; quod nullum habebit terminum.

1.Cor.10. v.33.

PUNCTUM III.

QUæ potest perfectionis Idea efformari perfectior? Et hæc nihilominus perfectio, hæc sanctitas, & hæc mentis puritas, Christianis omnibus imo hominibus cunctis communis est & esse debet. Ad hanc omnes vocati sunt.

ſunt. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu Dei..* Et ſi difficultas foret & pertingi, & hanc attingendi perfectionem, eſſe deberet particularius & ſpecialius in Regibus, qui eò plura malefaciendi & operandi media habent, quò pluribus abundant bonis, pluribus indulgere ſuis poſſunt voluptatibus & appetitibus, quò pluribus præveniuntur honoribus, quò impunitate majori gaudent; pluribus infeſtantur occaſionibus, adhæſionibus potentioribus & allectionibus trahuntur majoribus, & uno verbo, quò pluribus gaudent mediis faciendi quidquid libet. Et eo non obſtante unus ſanctus Ludovicus hodie omnes difficultates glorioſo certamine nulli unquam cedendo, vel minimo ſuperavit. Qui in mundo, cum mundanis non mundano animatus ſpiritu cœlicè & angelicè vixit. Quid ad hoc dicere poſſumus, vel quid audebimus replicare, qui in ſtatu & conditione ſumus in qua plura benefaciendi media ſuppeditantur, plures ad bonum allicientes occaſiones inveniuntur, Et qui ultra perfectionem Chriſtianam; quæ jam eſt præoſtenſa ac prænotata, obligamur ad perfectionem adhuc eminentiorem in ſtatu Eccleſiaſtico? quid? Exiſtimabimus hiſce in veritate viſis, cognitis, & ſeriosè libratis ſufficere, noſtrum recitare Breviarium; Miſſam celebrare, preces quaſdam fundere, & de cœtero pro ſuo vivere libitu ſine lege, ſine diſciplina, ſine regula, ſine directione certa, ex proprio cerebro & phantaſia, quod placet arripere & ſequi; Et ut dici ſolet, quod ultra ad perfectionem & decentiam ſui ſtatus requireretur Religioſis relinquere, dum Reges in mediis deliciis, honoribus & omnibus affluentiis in aulis ita excellentes practicare & exercere virtutes videmus? Non, ait quidam ex Prophetis, nullo hæc ſufficiunt ad ſalutem ad noſtræ ſatisfaciendum obligationi. At ſcire te prætera oportet qualiſcunque fueris, quod voluntas Dei, ſimul & præceptum ſit, illi ut ſervias in omni ſanctitate & juſtitia. Illud caveas ne oblivioni tradas. Ad te porro præcipuè & vel maximè hæc vevba diriguntur.

Eph.1. v.4.

Serviamus illi in ſanctitate & juſtitia, coram illo omnibus diebus vitæ noſtræ. Luc.1. v.75 Illæ ſunt, per quas deduxit Dominus S. Ludovicum, per quas currere te oportet ſi avia vitæ & ſalutis deviare nolis.





SERMO LIII.

PRO FESTO NATIVITATIS V. B. DOMINÆ NOSTRÆ.

Quod nos deceat ita nos exhibere, ut ſignificatio nominis Chriſtiani & Clerici verificetur in nobis. Quemadmodum nominis Mariæ in virgine beata ex modo ejus vitæ degendæ verificatum eſt.

I. Quid Maria ſignificet & quomodo perfectiſſime hoc nomen verificavit & replevit.

II. Quid ſit Chriſtianus & Eccleſiaſticus & quomodo nos debeamus nomen illud verificare.

Ipſa eſt mulier, quam præparavit Dominus Filio Domini, Geneſ. 24. v. 44.

VIdeor audire hodierna die, hac die feliciſſimâ Natalis Virginis glorioſiſſimæ magnâ cum admiratione omnem militiam cœleſtem videntem prodire in lucem virginem ſanctiſſimam tantis virtutum radiantem ſplendoribus, talibus gratiarum fulgentem luminibus, & tam exceſſivis divinorum illustratam fulgoribus charismatum, unâ voce exclamare: *Ipſa eſt Mulier quam præparavit Dominus Filio ſuo*. Seraphini ejus contemplantes charitatis ardorem in admirationem rapti, illam poſſibili amore proſequentes, in nullo diſſentientes dicebant, nemo ulterius audeat in dubium revocare, quia hæc: *Ipſa eſt Mulier virtutis quam Dominus præparavit Filio ſuo*. Cherubini tantæ in eâ ſapientiæ lucem perſpicientes, comparatione cujus omnis eorum ſapientiæ, & ſcientiæ lumen tenebræ videbatur, palam fateri non ambigebant: *Ipſa eſt Mulier quam Dominus præparavit Filio ſuo*. Throni ejus in Deo, & ſummo bono videntes firmam, & immobilem radicatam firmitatem non abſcondebant; verum magis evidentia convicti veritatis, veritatem depromebant dicentes: *Ipſa eſt Mulier quam Dominus præparavit Filio ſuo*. Dominationes poteſtatis illius ſuperexcellentiſſimæ præcellentiam agnoſcentes, eique omne obſequium, & ſubjectionem præſtantes, divulgabant certiſſime:

sime: *Ipsa est Mulier, quam Dominus præparavit Filio suo.* Virtutes ejus in omnibus divinis voluntatibus exequendis promptitudinem intuentes, & ipsi non tacebant, quod omnibus innotescere avebant, palam pronuntiantes: *ipsa est Mulier, quam Dominus præparavit Filio suo.* Potestates eminentiam animadvertentes virtutis ejus & meritorum super omnes Creaturas annuntiabant pariter: *Ipsa est Mulier quam Dominus præparavit Filio suo.* Principatus animæ ejus obstupescentes summam perfectionem summamque in omnibus dirigendis, regendis, & ordinandis sub ordinatissimâ Dei providentiâ officiositatem, & ipsi omni fatebantur officiositate: *Ipsa est Mulier, quam Dominus præparavit Filio suo.* Archangeli ejus admirabilissimam mentis dispositionem admirantes, & honorantes, summè illi deferentes dicebant: *Ipsa est Mulier, quam Dominus præparavit Filio suo.* Angeli ad tantæ puritatis splendorem quasi obnubilati, non potentes ad eam, ingenuè confitebantur: *Ipsa est Mulier quam Dominus præparavit Filio suo.* Sancti Patres, Patriarchæ, & Prophetæ in limbo detenti, Redemptionem expectantes, specialem illo tempore experti animi consolationem, revelatione divinâ illam sibi ex ortu virginis tantæ oriri intelligentes, summâ exultatione confitebantur Domino dicentes: *Ipsa est Mulier, quam Dominus præparavit Filio suo.* Mortales universi de ejus ortu miraculoso, & admirabili audientes, lætitia exultantes inenarrabili, Deo gratias persolventes dicebant, *Ipsa est Mulier, quam præparavit Dominus Filio suo.* Ipsi Dœmones in inferno extraordinariis terroribus perculsi, & tormentis, & ipsi trementes fateri cogebantur: *Ipsa est Mulier, quam Dominus præparavit Filio suo.* Ita Creaturæ omnes tantâ adacti evidentiâ veritatis veritatem confitebantur: *Ipsa est Mulier, quam Dominus præparavit Filio suo.* Quod & decursus dictionis ostendet evidentius.

PUNCTUM I.

CONsidera primo qua ratione virgo beatissima Domina nostra significationem pulcherrimi nominis Mariæ in se verificaverit, quod illi in sua nativitate datum fuit. Maria primo significat Dominam, vel Reginam. Et nos recognoscimus in virgine beatissima has duas qualitates & prærogativas quas illa sibi suis heroicis & plane divinis virtutibus acquisivit: sibi ipsi absolute imperans sine ulla partis inferioris resistentia, & contradictione tota recta, influxui divinæ gratiæ & ordinationis omnino conformis, ac ita stabilita Regina cœli, & terræ velut omnium perfectionum exemplar & regiminis optimi regula. Verè Regina quia omnium creaturarum regulatissima, cui omnes creaturæ debent omnem honorem reverentiam, & obsequium. Et cui omnes cœlestis Jerusalem, Cives Angeli & Homines tota devotione serviunt, omni cum subjectione ut Reginæ, & Dominæ constitutæ universorum. Secundo Maria dicitur quasi illuminans & illustrãs, qua in significatione stella maris dicitur & est. Illa porro virgo bea-

tissima officio & functione vobis hoc in procelloso mari verissimè stella est. Ut enim stella maris navigantibus Lucet, & tutè ad littus deducit: Ita Virgo hæc gloriosa tota Lucida suo exemplo, meritis suis, & suis precibus, lucet illis, qui in tempestuso mari mundi hujus navigant, & periclitantur, & deducit feliciter ad portum salutis æternæ. Salutatur ideo in suo hymno sub hoc nomine stella ab Ecclesia, dum, *Ave Maris stella* illi decantat. *Maris stella est super hoc Mare*: inquit S. Bern: *sublevata micans meritis, illustrans exemplis, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.* S. Bern: hom. 2. in Miss.

PUNCTUM II.

COnsidera secundo qua ratione Christiani nomen in te verifices, & Clerici nominis rem possideas: quæ recepisti dum sacro Baptismatis fonte renatus es, & dum primâ mediante tonsurâ Clero aggregatus in sortem Domini omnino transivisti. Christianus S. Augustino teste, est quasi alter Christus. Christianus non solum ille est, qui fidem amplectitur, Christi Jesu: Verum etiam ille Christianus est & vere solus talis, qui vivit Spiritu Christi Jesu, qui se ejus maximis, principiis & regulis vivendi in vitâ conformat, qui Christi Jesu exempla sequitur & qui movetur, operatur motu Christi, virtute spiritu Christi animatur non deserens semitas vitæ Christi Jesu & perfectionis. *Christianus alter Christus. Qui Spiritu Christi vivit, qui spiritu Christi agitur.* Rom. 8. v. 14. *Qui enim spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei. Qui non est mecum contra me est.* Matth. 12 v. 50. Christianus est homo mortuus mundo. Hoc est mortuus voluptatibus, mortuus divitiis, mortuus vanitatibus, commoditatibus, honoribus, dignitatibus & eminentiis mundanis: Christianus est homo crucifixus cum Christo; qui non respirat aliud quam pœnas, cruciatus, tolerantias humiliationes, contemptus & vilipensiones Christi Jesu: qui non timet nec paupertatem, nec morbos & ægritudines, non timet, nec bonorum jacturam, nec contemptus, nec injurias nec universa mundi mala, non timet mortem, tormenta & omnes diaboli & mundi cruciatus. Et uno verbo nihil timet, nisi peccatum. *Mortui estis* Col. 3. v. 3. inquit Apostolus loquens Christianis novellis, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et Christus ipse de his ingerens sermonem, *Quos dedisti mihi custodivi, nemo ex iis periit nisi filius perditionis: quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Ioan. 17. 12. & 14. Ita Apostolus de se hac in Christiani qualitate testificans *Christo* inquit: *Confixus sum cruci.* Gal. 2. Et quam firmiter illi sit confixus alibi asserens. *Certus sum*: inquit: *Quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, &c. neque ulla alia creatura poterit nos separare à Charitate Dei.* Rom. 8. v. 28. Ita ille Christo confixus erat cruci, ut nulla vi ab eo posset dimoveri. Et tu qua firmitate illi adhæres; qua affixus & confixus es immobilitate? Christianus homo est qui pro suo proximo nihil habet nisi viscera misericordiæ, mansuetudinis, & charitatis, qui thesauros non congregat nisi cœlestes in cœlis solum

possidendos, qui omnes suas eo dirigit cogitationes, omnia sua desideria, omnes intentiones, & vota; qui omnes actiones suas, opera sua, & operationes universas eum in finem facit & operatur: Verum nomen Clerici superadjiciens novas divitias, thesauros novos, & virtutes novas, dicit hominem à Deo specialiter electum & qui Deum in hæreditatem & in sortem elegit, & qui reciprocè pars & hæreditas Dei est. Hoc exprimitur in ejus ad clericatum augurátione. *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* Psal. 15. v. 5. Clericus homo est, qui nuntium remisit non omnibus duntaxat voluptatibus mundanis, omnibus honoribus, & universis sæculi commoditatibus, verum etiam omnibus negotiationibus lucris, & aliis negotiis sæcularibus: Homo est qui tantum ad Deum laudandũ, honorãdum, & amandum in mundo est. Qui orationibus Deum placare continuò laborat, qui Christo cooperatur in animorum salute acquirenda & promovenda, qui non recognoscit Patrem suum, aut matrem, fratres aut Sorores, vel alios Parentes & amicos carnales, nisi ut illos odio prosequatur in omni eo, in quo queunt illi esse obstaculum in muneribus sibi impositis. Et paucis Clericus homo est, cujus vita ita elevari & præeminere debet super vitas perfectissimorum etiam Laicorum sicut elevatur & præeminet super terram sol vel cœlum. *Duo:* ait S. Hierony: *sunt Christianorum genera: est autem genus unum, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici. Aliud vero est genus Christianorum, ut sunt laici, his licet temporalia possidere, uxorem ducere, agros colere &c. Qui non odit,* inquit Christus: *Patrem & Matrem &c. non potest meus esse discipulus,* Luc. 14. v. 26. *In hoc quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Luc. 2. v. 49. *Professio Clericorum vita cœlestis est.* Athalar. Gethbrgg. Hisce visis quid videtur tibi es tu pro præsenti Clericus? Vel ad minus es tu Christianus? Si Christianus es ubi sunt tuæ virtutes? ubi est mundi contemptus? ubi illa perfectionis Christianæ æstimatio? ubi zelus religionis? quid times? quid speras? quomodo laboras ut cœlum acquiras? quomodo gratiam requiris? quam ambis gratiam? ubi est tua humilitas, tua patientia, tua charitas?

An non verum est, quod hanc nominis Christiani significationem parum vel nihil compleas aut possideas, & minus nominis Ecclesiastici? Si vere Christianus es operibus demonstra, & non potius duntaxat verbis. *Quid prodest hominis, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat?* Iacob. 2. v. 14. Vide ergo, & animadverte, quo magis egeas, Deo ut servias, ut oportet in conditione & statu Ecclesiastico, in quo constitutus es. Et illud ipsum per merita & intercessionem virginis sacratissimæ à Deo require & efflagita. Coneris hodierna die renasci in vitam Christianam, & Ecclesiasticam quemadmodum hæc Domina Sanctissima nata est in vitam temporalem, victura Deo in Deo, & de Deo continuo spiritu Dei vivificata & impulsa interius & exterius plena Deo, & omnes suas actiones in Deo operans. Dic cum Propheta, *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

SERMO LIV.

PRO DIE EXALTATIONIS SANCTÆ CRVCIS.

De via regia crucis.

I. Intentio Ecclesiæ in hujus diei festo.
II. Parabola Salvatoris nostri in cruce, & ejusdem in gloria.
III. Quomodo nos invitet ad crucem.

Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, Phil. 2.

CHristus secundus Adam primi culpam sublaturus induxit benedictionem contrario medio, illi quo primus Adam maledictionem induxerat obediens factus recuperavit, quam inobediens perdiderat benedictionem. Hæc est scala per quam Angeli, & animæ sanctæ ascendebant, & descendebant ad omne parati obsequium, quocunque loco, occasione & occurrentia. Obedientia est vita Angelica; qua scala illa tangebat cœlos: quo innuitur, *quod vera obedientia est cœlestis vita*, ait Bonaventura, *obedientia est, navis ad cœlum transiens, clavis cœlum aperiens, & avis ad cœlum ascendens.* Est itaque obedientia sicut navis. Nam sicut, qui est in navi semper procedit, & tamen ipse quiescit, sic qui in navi est obedientiæ semper proficit in mundo, dormiendo, vigilando, comedendo, abstinendo, ambulando, quiescendo; quia instar nautæ non movetur motu proprio, sed alieno de hac navi habetur, prov. 31. Facta est quasi navis Prov. 31. v. 14. institoris, id est mercatoris de longe portans panem, quia ex omnibus suis actionibus semper habet lucrum. Per eandem rationem obediens comparatur equitanti: Nam sicut equitans quiescendo procedit, quia non movetur motu proprio, sed equi: Sic bonus obediens, quando pausat, meretur, quia nō innititur motui voluntatis suæ, sed majoris sui sibi imperantis. Unde in canticis dicitur: *Equitatui meo assimilavi te amica mea.* Ac si diceret amica mea, quæ jussioni meæ perfectè subjecta in nullo à meis discedens placitis vinculo amoris, & obedientiæ mihi religata, non timeas, nō habes causam cur timeas ita mihi adhærens, & obtemperans meâ deducta, & sustentata manu meis honestata favoribus

bus & auxiliis mearũ roborata gratiarũ *equitatui meo*, robusto & nobili te mihi, & meis jussionibus ita absequentem *assimilavi*, non fatigaberis, non deficies, sed roboraberis & proficies. Hæc via est quæ ducit ad Civitatem cœlestem & locum quietis. Est & obedientia sicut clavis aperiens cœlum: Sicut enim inobedientia clausit paradisum, *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est*, coactus necessitate, qui in paradiso non obediverat in jucunditate & quiete. *Et in figura hujus, ait S. Bonaventura Christus dedit Simoni, qui interpretatur obediens claves regni cœlorum.* Et sicut Dominus maledixit primo homini inobedienti, dicens: *Maledicta terra in opere tuo.* Sic benedixit obedienti Simoni Dominus: *Beatus es Simon Barjona.* Est & obedientia avis ad cœlum ascendens: Nam sicut avis duabus alis, volat ad sublimia. Ita verus obediens alis duabus elevatus paupertatis scilicet, & costitatis scandit ad cœlestia. Ob hoc Dei filius veniens in mundum factus est obediens, usque ad mortem crucis, aperiens sua obedientia omnibus cœlum, qui suis in via regia crucis vestigiis insisterent. Ut apertius innotescet,

Gen. 3. v. 24

Matth. 16.

Gen. 3.

PUNCTUM I.

INtentio Ecclesiæ in hujus diei festo non duntaxat est in eo sita, quod recolatur memoria, quod vera crux Salvatoris nostri, qua ab infidelibus fuerat erepta, denuo recuperata, restituta honorifice, & magno ab imperatore Heraclio, triumpho reportata fuerit in Calvariæ montem, suum locum in quo tulit Salvatorem mundi, & pretium redemptionis humanæ recuperaverat, ad devotionem populorum excitandam, erga passionem, & mortem Domini recolendam, verum finis principalis, & intentio est, ut doceat Christianos contemnere omne, quod æstimant & in pretio habent, ac illud æstimare & magni facere, quod fugiebant, & detestabantur. Hoc est, ita amare, in pretio habere, & appetere Sycophantias, injurias, tolerantias, paupertatem, vilipensiones & quasvis incommoditates per crucem denotatas, ut mundus requirit, favores, voluptates, honores vanos, divitias, & quaslibet vitæ commoditates. Ea de causa festũ hoc nuncuparur festum exaltationis sanctæ Crucis. Ac si diceretur, quod remuneratio, corona, & triumphus eorũ, qui crucẽ diligunt, sit vexillũ sub quo nobis via ad gloriam ostenditur. Ex quo provenit, quod in Ecclesia continuo ob oculos ponuntur, &c. proponuntur verba Apostoli. Quod *Christus Jesus, & Salvator noster humiliaverit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & exaltatus est, & datum est illi nomen, quod est super omne nomen*, opponendo humilitati exaltationem, & ignominiæ gloriam. Ita ut ad humiliationem succedat exaltatio, & ad ignominiam gloria: quia *qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.* Ita ut sola humilitas sit occasio, & via tutissima ad exaltationem, & crux infallibilis ad gloriam, & ad æternum gaudium aditus. Phil. 2.

PUNCTUM II.

IPso facto, ac reipsa qualis differentia Christi Domini, & Salvatoris in cruce pen-

pendentis & patientis, à seipso in cœlo elevato, glorioso, & indicibili repleto gaudio & exultatione? Ibi pendet in cruciatibus inter duos latrones. Hic gloriosus inter Angelos sedet. Ibi super crucem, ille durissimis affixus clavis, indicibiles dolores, & cruciatus suffert & patitur. Hic in cœlo exultans, & gaudens omnes beatos miris reficit deliciis, & torrente voluptatis eos inebriat. *Et crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Ita testatur
Malach. 28. v. 22. Evangelista, unde & Propheta in persona ejus: *O vos omnes qui transitis per*
Thr. 1. v. 12. *viam attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.* At modo in cœlo quantum mutatus ab illo, ubi exultans & gaudens in omnes derivat fluenta gaudiorum, & lætitiæ, Propheta vidente, & non tacente.
Ps. 35. v. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ibi proprio cooperiebatur sanguine, tormentis, & opprobriis saturatus ut testatum reliquit, qui vidit. *Vidimus*
Isa 53. v. 1. *eum quasi leprosum, non erat ei aspectus neque decor.* Hic splendore & gloria circumdatus triumphat. *In splendoribus*
Ps. 109. v. 3. *sanctorum constitutus.* Ibi injuriis afficitur, maledicitur, & blasphematur. *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo*
Matth 27. v. 40. *illud reædificas, salva temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce similiter, & Principes Sacerdotum illudentes ei, cum scribis, & Senioribus dicebant, alios salvos fecit seipsum non potest salvũ facere.* Hic infinitis modis honoratur & glorificatur, ut expressit Apostolus: *Enim qui modico*
Heb. 2. v. 9. *quam Angeli minoratus est, vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Ibi videtur spinis coronatus; Hic apparet lauro triumphali redimitus. Ibi in cruce suspensus vilissimus, & omnium hominum sceleratissimus reputatur. *Medium autem Jesum crucifixerunt quasi sceleratissimum.* Hic Ioh 19. v. 18. veraciter recognoscitur cœli & terræ Monarcha. *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Ipsaq; innocentia: *Innocens* Apoc. 19. v. 16. *sanctus, impollutus segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Heb. 7. v. 26. Ibi conspuitur in faciem. *Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant* Matth. 27. v. 30. *caput ejus.* Hic illi laudes sine intermissione decantantur. Quid hoc? hi status gloriæ & infamiæ ita discrepantes? Vis ergo scire, & recognoscere quem gloriæ in cœlo sperare possis statum? Tantum, quantum hic fueris depressus in terris & humiliatus. *Aspice & fac secundum* Exod. 25. v. 40. *exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, nempe in monte Calvariæ. Hæc sunt duo bilancis polubra, unum ascendit ad mensuram, qua alterum descendit & deprimitur. Credidissesne usque modo quod crux fuisset via necessaria ad gloriam pertingendam? Pater æternus illos duntaxat pro suis recognoscit filiis, qui filio ejus conformes inventi fuerint. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Rom. 8. v. 29. Ut quis sit de numero prædestinatorum necesse est, mori in cruce cum Christo. *Hæc est via regia,* Isa. 30. v. 21. *ambulate in ea.*

PUNCTUM III.

Eam ab causam in hodierno dicit Evangelio, quod quando fuerit exaltatus à terra, hoc est, elevatus in cruce, omnia attrahet ad seipsum, *omnia traham ad me ipsum.* Et re ipsa vide, & animadverte, quomodo ex illa funesta arbore

bore crucis in qua affixus erat, attraxerit Angelos, & homines, Judæos & Gentiles, peccatores & justos, pauperes, & divites, Philosophos & Idiotas, & universos salvandos. Inde attraxit Martyres ad tot tormenta subeunda, ad tot ignes tolerandos, ad tot cruciatus hilari suscipiendos affectu, & omnia mundi & diaboli machinamenta superanda. Confessores attraxit inde ad rigorosas pœnitentias, virgines & omnes sanctas animas in odorem unguentorum suorum vehementer allexit, inquirentes cum sponsa magno affectu, & desiderio ipsum imitandi, sequendi, illique perfectè adhærendi. *Dic mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Cant. 1. v. 6 Quando ardor tui divini amoris vehementius accendit inflamat & ignescit. Ibi te vocat, ibi se, tibi dare totum, & communicare desiderat. Ibi est lectus nuptialis, & thalamus ubi cum suis sponsus requiescere, & se recreare desiderat. Reges & Imperatores suis se regalibus spoliant ornamentis, ut proximare huic queant. Quo sensu S. Leo. *Hæc crux*, ait, *in fronte Regũ sita est.* Personæ omnis generis, omnis ætatis & sexus, omnis conditionis & statûs currunt, & festinant ad crucem oblata, illi & vota redditura, Christum Dominũ universorum adoraturæ, laudaturæ, illique perfectè, & indeclinabiliter adhæsuræ. Erisne solus ea in conditione, & statu, in quo ejus majestatem magis contingis & propinquas, qui ab hac elongaberis? Et quid? si in eo difficultatem sentis, non poteris, ait S. August. facere, quod hi & illæ fecerunt? *Non poteris quod isti & istæ?* Si pœna & difficultas te terreat, animet te gloria & præmium. Etsi labor tibi tempore brevi tædiosus, & durus sit & appareat, remunerationis æternitas te consoletur & excitet. *Nullum porro tempus longum, nullus labor durus videri debet*, inquit S. Leo, *quo gloria æternitatis acquiritur.*





SERMO LV.

PRO FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

De promptitudine S. Matthæi in ſequela Chriſti.

I. Vocatio extraordinaria S. Matthæi.
II. Perfecta hujus cooperatio, & correſpondentia,
III. Comparatio noſtri cum illo.

Vidit Jeſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me & ſurgens ſecutus eſt eum. Matth. 9.

HOdierna die in vocatione S. Matthæi verè verificatur dictum Chriſti quo dicit: *Non veni vocare juſtos ſed peccatores.* (Matth. 9. v. 13.) Ad hæc lucra venit ut vitam haberent, & amplius haberent. Ut vitam haberent, qui vita carebant. Cujuſmodi erant omnes peccatores gratiâ & vitâ ſpirituali carentes. Et amplius haberent, utpote jam juſtificati, & gratia conſtituti ſumerent perfectionis & gratiæ augmentum. Ad hoc Chriſtus ex ſancito à Patre æterno venerat decreto. Quod & Apoſtolus non tacuit. *Fidelis ſermo*, ait, *& omni acceptione dignus: quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus Ego ſum.* (1. Tim. 1. v. 15.) Ex hoc Chriſtus ſuo munere, quo ex decreto ſui æterni Patris peccatores vocare, & ſalvos facere venerat, videns Matthæum in telonio ſedentem puris lucris temporalibus inhiantem, de ſalute animæ ſuæ non cogitantem, imò nihil curantem, & miſericordia motus illum tali vocatione, & gratia vocavit: qua ipſum in momento ad ſui ſequelam permovit, contemptis omnibus, quibus ante inhiaverat. *Vidit*, ait, ipſemet Matthæus vocatus: *Ieſus hominem, ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.* Ecce vocationis efficacia. Ecce Salvatoris pietas, & miſericordia. Ecce Matthæi in ſequendo, & obediendo promptitudo, & obedientia, qui ad unam Chriſti vocem, qua à terrenis ad cœleſtia vocabatur, à caducis & tranſitoriis ad æterna & permanentia, à mundanis ad divina continuo *ſurgens ſecutus eſt eum.* Sedebat enim totus affixus, & immerſus terrenis non potens ſe movere:

re: Nam sedere in scripturis sanctis tripliciter sumitur, uno modo dicit positionē sive in loco situationem, sic convenit soli animali. Ita in Psalmo dicitur: *Dixit*
Ps. 109. v. 1. *Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Alio modo sedere idem est ac à labore quiescere. Ita sumitur Joannis *Iesus ergo*
Ios. 4. v. 6. *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Tertio idem est quod residere sive possidere. Ita sedet Christus à dextris Patris à die ascensionis. S. Matthæus hisce tribus modis potest dici sedisse in telonio. De primo modo clarum. De secundo intelligendo spiritualiter erat fatigatus, non quia laboraverat aut ambulaverat spiritualiter in via mandatorum Dei, sed quia vires nullas sic ambulandi habebat, ita enim erat affixus exactionibus exigendis, & lucris acquirendis, ut nullo modo esset dispositus ad gratiarum divinarum auxilia recipienda. Etiam tertio modo sedebat, erat siquidem ita implicatus pecuniis, rapinis, & exactionibus more publicanorum congregandis, ut nullo modo posset mentē ad divina, & cœlestia elevare nisi gratiâ valde efficaci excitatus, qua à Christo misericorditer vocatus est. Ideo in hac vocatione magna Christi misericordia innotuit.

PUNCTUM I.

QUmvis in omnibus Apostolorum vocationibus Dominus & Salvator noster singulares divinæ suæ bonitatis tractus, & modos ostenderit, & testatus fuerit. Illa nihilominus S. Matthæi vocatio nobis in hodierno Evangelio proposita aliquid specialius, & admirabilius involvit, majori dignum indagine ac accuratiori inquisitione requirendum & investigandum, quam cæteræ aliorum Apostolorum vocationes. In eo quod non sit duntaxat mutatio, unius boni in melius, nec transitus ab una vocatione licita & honesta, prout erat in pluribus Apostolorum piscatio, ad sanctiorem & eminentiorem vocationem, & occupationem: Verum magis est conversio à statu peccati ad gratiæ eminentissimæ statum, ab usuris, furtis, exactionibus & oppressionibus, quas exercebat in officio exactoris, & publicani ad omnium rerum, & suipsius abnegationem, ac paupertatem voluntariam.

Adora divinam bonitatem, & gratias, quas potes, maximas, illi persolve, quod publicanū hunc è multis hominum millionibus elegerit, efformans, & faciens ex illo Apostolum maximum, & eximium Evangelistam. O quanta hujus Sancti felicitas, quod gratiâ ita potenti fuerit præventus à Deo, electus & vocatus, tempore, quo totus negotiis lucrativis intentus, de illo minimè cogitabat, sed sola Dei, & Christi pietate, & misericordia, qui penetrans dispositionem cordis, & animi vocans eum vocatione sua sancta & efficaci, efficaciter trahens, movens, & permovens, ita vocavit, & inspiravit, prout videbat eum suæ consensurum inspirationi & ejus vocationi O felix hora, qua vocavit Salvator S. Matthæum! Principium, & fundamentum felicitatis S. Matthæi provenit ipso facto ex sua vocatione. Verum id totum erat nihil, nihil illi proderat, conducebat nihil nisi cooperatus fuisset. Ac nota infallibis suæ vocationis ex ejus

innotuit fidelitate quà gratiæ vocanti assensit, quà cœpit suum ministerium, quà prosecutus est, quà feliciter consummavit. A statu forte vitæ satis & ea deordinatæ in mundo transactæ ad statum transivisti Ecclesiasticum, illi ut stabiliter adscribereris in illo, ei conformiter victurus, in eo perseveraturus, consummaturus commendatione quæ te Deo & hominibus dilectum reddat & commendatum. At scire desideras an ad illum sis veraciter vocatus? subjuncta mature considera.

PUNCTUM. II.

Tibi ut certitudinem, veracitatem & firmitatem vocationis tuæ scire queas examinandum duntaxat venit, & serio sine adulteratione & tui ipsius palpatione illusione & seductione an vitam tuo statui conformem degas. S. Matthæus suam ita reliquit numulariorum mensam, & telonarii seu publicani munus, ut nunquam amplius ad illud redierit respiciens retro, ac ita in munere sui Apostolatûs fidelis, & constans permansit, ut ante adhæserat Lucris & negotiativis profectibus. Conversio ejus perfecta fuit, qua à primo die & à prima hora & momento, quo se planè & ex omni parte commisit sui optimi Magistri directioni, nihil omnino sibi reservavit, nihil excepit. Voluntate mutata in melius & divinis devicta influentiis, nihil illum amplius detinebat, nihil retardabat. Gaudium ejus tantum erat, ita exuberans, & excessivum, ut solemni illud convivio Christo, Apostolis, & aliis amicis, etiam publicanis & peccatoribus exhibito testari voluerit. A tempore quo Dei filium agnovit nunquam amplius retrorsum abivit, nunquam ab eo recessit, illum in omnibus itineribus suis, in omnibus viis & discursibus trium annorum spatio, quo per totam Judæam, Galilæam & alias partes suum annuntiavit Evangelium fideliter secutus, in paupertate & nuditate, in fame & siti, in Laboribus & tolerantiis, & variis aliis difficultatibus, periculis, ac tædiis; Cum vivere potuisset in pace & quiete, in rerum omnium, ac commoditatum affluentia, sine labore, sine inquietudine, aut ulla egestate. Verùm à suo edoctus Magistro, *quòd Nemo mittens manum ad Aratrum, & respiciens retrò aptus sit Regno Dei*: Illius cupidus Regni nunquam respexit. *Matthæus*, inquit S. Gregorius, *ad Telonii negocium nunquam postea recedit*: *Verum surgens secutus est eum, & factum est, Discumbente Jesu in domo, Ecce! multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Jesu.* Ecce! quantum unius S. Matthæi conversio operabatur; quâ jam publicani & peccatores trahebantur ad Jesum, videntes illam S. Matthæi in adhærendo Christo promptitudinem. Hic Zelus in S. Matthæo nunquam remisit, sed continuò crevit, adeò ut post resurrectionem disseminando & promulgando Evangelium Christi, pervenerit usque in Æthiopiam, ubi, postquam multum laborasset pro Conversione illius Gentis, multosque ad fidem Jesu Christi convertisset verbo & exemplo, tandem, ob virginitatis Defensionem, Martyrio vitam finivit.

Luc 8. v. 62.

Matth. 3.

PUN.

PUNCTUM III.

VIde nunc, & comparationem Tui cum S. Matthæo institue. Eheu! Necdum Tuas antiquas & malas verè reliquisti habitudines, vel unicâ vice, & malos tuos mores ad Christum Jesum sequendum. Et si dixeris sæpiùs asserens ore, Te Christi Jesu esse velle: id tamen semper, cum quadam Exceptione, & reservâ, cum quadam quasi Displicentiâ, non pleno Corde, & plenariâ omnis interesse proprii, & affectus commodi abnegatione. Tanto tempore in comitatu, imitatione & sequelâ Christi Jesu es, & nondum cognovisti eum. Agis & tractas cum eo, velut cum peregrino. Sæpe eum, ut Inimicum tractâsti & tradidisti sæpiùs & culpabiliùs, quàm ipse Judas Iscariotes. Multùm ab eo elongatus es ut pro illo, occasione Evangelij, subire velles Martyrium, qui unum tibi contrarium non ferre vales verbum. Illa Christi justa de suis Apostolis querimonia in Te verissimè cadere videtur: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me.* Joan. 14, v. 4. An non causam habes justissimam apprehendendi, te non rectè vocatum; Vocationem tuam non provenisse ex solido Divinæ Electionis fundamento, dum tuas tibi in omnibus ob oculos ponis deordinationes? Tuas in Bono dum experiris tepiditates? Dum ad mala, quibus ita facilè condescendis, tuas tam vehementes animadvertis inclinationes? Recogites tandem vel semel Tui statûs obligationem. Recogites, in quibus huc usque defeceris, media requiras, & addiscere labores, quibus tot hactenus commissos defectus repares, quibus futuros præcaveas, & præsentes sese ingerentes omninò excludas. Optimum erit inter omnia medium, tuæ vitæ degendæ pravam mutare consuetudinem, & Christo inseparabiliter adhærere, ad modo perfectiori in nostro statu & conditione tibi possibili operandum, ac omne illud exequendum, quod illi placuit nobis imponere, & præcipere. Ad hoc te hodiernâ die, exemplo Magni Apostoli, S. Matthæi, resolvas, & ejus apud Deum intercessione, impetrare coneris pro te, & pro omnibus, qui sacris sunt initiati ordinibus, aut hisce quatuor Temporibus initiabuntur, Gratiam & Spiritum Apostolicum, quo excitati vitam ducant Apostolicam, & Apostolico fine gaudentes, Coronâ non destituantur in æternitate Apostolicâ.





SERMO LVI.

PRO FESTO S. MICHAELIS.

De Devotione habendâ ad Angelum Cuſtodem.

I. Dei Bonitas providens Nobis de Angelo Tutelari, & de ejus bono officio nobis exhibito.

II. Quantum illi, in recognitionem tot bonorum ab eo receptorum, debeamus.

Omnes ſunt Adminiſtratorii Spiritus in Miniſterium miſſi, propter nos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, Hebr. 1. *v.* 14.

ANgeli miſſi in Miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, intendunt potiſſimè Nos, ut illis aſſimilemur, ad ſeptem inducere; utpote: ad munditiam Cordis, & puritatem Converſationis. Nam, ſicut Angelus ab omni Corpulentiâ & carneâ conditione immunis *Spiritus, Carnem & Oſſa non habet*: Ita Vir juſtus caret omni admixtione carnalis delectationis. Virga Pœnitentiæ omnem in ſe carnalitatem conſumens, ut Angelus Domini ſummitate Virgæ, quam manu tenebat, tangens Carnes cõſumpſit. Secundò, Angelus inducit ad limpiditatem Divinæ Cognitionis; Ut enim Intellectus immediatè Deo cognitione clarâ conjungitur: Ita intellectus viri, juſtâ influentia occulti luminis illuſtratus, Deiformis redditur, *in obſequium Chriſti & fidei, in captivitatem redactus.*

Luc. 24. Iud. 6. v. 21

1. Cor. 10.

Inducit Tertiò ad humilitatem ſubjectionis. Nam ſicut inferior Angelus ſubeſt ſuperiori, & obedit ſine murmuratione & indignatione: quia ſuperior præeſt ſine Tyrannicâ inferiorum oppreſſione: Ita juſtus ſuis ſubeſt præpoſitis, ſine ullâ reſiſtentiâ & contradictione, acquieſcens Conſilio principis Apoſtolorum, animam caſtigans in obedientiâ charitatis, & fraternitatis amore ſimplici ex corde diligens, & ex Dilectione obediens reciprocâ dignus dilectione.

1. Petr. 1. v. 22.

Inducit quartò ad Rectitudinem Intentionis. Sicut porrò Angelus, ut dicit S. Gregor. in omni ſuo opere Deum inſpicit, & nihil aliud, quàm Divinæ voluntatis Regulam diligit, vel requirit, ita Divino nutu peragens, ut mentis aciem ab ipſo non deflectat: Pariformiter vir juſtus juſtè intendens ambulare, nunquam ſuam intentionem vel actionem

nem debet deflectere facere à Divinæ voluntatis intentione ac placito, acsi videntis faciem intueretur continuò, nullâ intentionis dissimilitudine ab eo debet removeri. Hac opinione habitâ de Davide, illi loquebatur Mephiboseth: *Domine, mi Rex, Tu sicut Angelus Dei es: Fac quod placitum est Tibi: quia qui Deum*, ait S. Bonaventura, *verâ intentione Cordis diligit, ab ipsius voluntatis beneplacito non recedit.*

2. Reg. 19. v. 27. S. Bonav. de Eccles. Hierach. c. 1.

Quintò inducit ad sedulitatem & diligentiam Ministerii, ut more Angelico missus in ministerium propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis, suo ministerio sedulò ac diligenter insistat. Viri enim Angelici illi sunt, qui Doctrinæ verbo, & vitæ exemplo, alios ad Deum convertunt & alliciunt: *Qui enim converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, animam ejus salvabit à morte.*

Iacob. 5. v. 20.

Sextò excitat ad continuitatem contemplationis dulcedinis, ut taliter se homo circa exteriora occupet, *ut Devotionis*, monito S. P. nostri Francisci adhærens *Spiritum non extinguat.* Unde ait S. Bonaventura: *Quando extrinsecus per bonorum exercitationes operum fatigatur in corpore, intrinsecus reficitur in mente.*

Septimò tandem inducere omnibus modis conatur Angelus hominem ad fixum & stabilem motum dilectionis Divinæ, quò continuò inhæreat & adhæreat Deo. Ideò sæpiùs leguntur Angeli apparuisse in specie ignis. Exod. 3. *Apparuitque ei Dominus*, id est, Angelus, Moysi, *in flammâ Ignis, in medio Rubi.* Et in Psalmo: *Qui facis Angelos Tuos Spiritus, & Ministros Tuos ignem urentem.* Hoc igne Cor accensum ardet, & non comburitur: quia nullâ adversitate frangitur, nullo mortis metu, aut etiam quavis aliâ apprehensione cujusvis mali ab illo, quem diligit, separetur, in illo fixus & stabiliter firmatus. Ad hoc sunt omnes Angeli Administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; ut videbitur.

Exod 3. v. 2

PUNCTUM I.

ADora imprimis, vel maximè, Dei Bonitatem, qui nobis, à primo nostro in hunc Mundum ingressu, providit de Angelo tutelari, sub cujus directione, tutelâ & moderamine, vitam institueremus, Deo gratam, hominibus ædificatoriam, nobis proficuam ac utilem; qui singularissima continuò erga nos exercet charitatis, Benevolentiæ & Benignitatis opera, præcepto Domini ad amussim obediens factus. *Angelis suis* porro, psalmistâ teste, *mandavit de te, ut custodiant te omnibus viis tuis.* Psal. 90. v. 11. Siquidem Angelus nobis præfixus & præsignatus, instruit nos, ut pædagogus suos docet Discipulos. Necessaria ad salutem nos docet, nos ad bona impellit & excitat opera, singularem nostri gerit curam, dum Corporis, vel animæ periculo subjacere Nos, animadvertit, furias Dæmonum contra Nos frenat & constringit, eorum in nos malignitati adversatur, ac insultus, quibus nos ad peccatum inducere tentant, repellit, & prorsus rejicit. Orationes nostras repræsentat & offert Deo ipse affectione ardenti pro nobis. Dum cadere nos, & pec-

& peccare contigerit, interius nos admonet & redarguit, fœditatem peccati nobis ob oculos ponit, malos culparum exitus ostendit; ab illis ut nos avertat & verâ earum detestatione resurgere faciat. Nobis curâ & sollicitudine particulari assistit in Morte, nos in illo ultimo conflictu, ex quo dependet æterna felicitas, vel infelicitas contra Diabolum secundat, adjuvat & propugnat. Morte superatâ, ac Agone ultimo & conflictu gloriosè devicto, cum Gaudio animam nostram deducit & conducit in Cœlum, si illa sua puritate & omnimodâ innocentiâ, digna illo fuerit. Vel, si adhuc pœnarum persolvendarum subjacet obligationi, comitatur ad purgatorium, ubi illam crebrius visitat, & consolatur in suis pœnis, usque dum Divinæ satisfecerit justitiæ. Illam tunc magna cum exultatione in Locum felicitatis æternæ deducit. Illud Deus nobis variis sacræ scripturæ passibus repromisit. *Ecce Ego*, ait, *mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in Locum, quem paravi.* *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus indigentiis tuis, in omnibus desideriis tuis: Alioquin facile est tibi incurrere vias mortis, ut videlicet aut de necessitate in obstinationem, aut in præsumptionem de cupiditate prorumpas.* *An præsentem esse dubitas, quem non vides? Adsunt, Adsunt tibi; non modò tecum: sed etiam pro te; Adsunt, ut protegant; Adsunt, ut prosint.* In quem sensum loquens S. August: *Ambulant*, ait, *nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes,*

Exod. 13. v. 20.
S. Bern. Ser. 18. super qui habitat.

quàm piè, quamque honestè in medio nationis pravæ conversemur, quantoque desiderio ac studio quæramus Regnum Dei & justitiam ejus. *Pretiosum depositum nobis commiserat, fructum Crucis suæ, precium sanguinis sui: Non est contentus custodia hac tâm parùm tutâ; Adjicit aliam, utpote Angelicam.*

S. Bern. ser. 12. super qui habitat.

Magna Dignitas Animarum! ut unaquæque habeat ab Ortu Nativitatis ad custodiam sui Angelum delegatum! Deo, quantum in te est, gratias referas, quòd præter Gratias internas, quibus te prævenit, roborat, & adjuvat, te tali voluerit exteriori Auxilio, & quasi propugnaculo, munire. Ex quo concludas, primò: quanti Deus tuam faciat & æstimet animam, quantoque eam Amore prosequatur, ut illi creaturam ita excellentem, spiritum felicem & beatum ad tui defensionem & tutelam assignaverit, qui illi semper & sine intermissione invigilet, nunquam ab illa recedat, illi continuò intendens & attendens; quod summum est beneficium semper bene recogitandum, ne ingrati inveniamur. Concludas secundò: humilitatem & admirabilem Charitatem nobilissimæ hujus Intelligentiæ, nostris se servitiis ita applicantis, & quasi dedicantis, seseque eò usque deprimentis, ut non dedignetur suscipere curam parvulorum infantium & lactentium; cujusmodi nos sumus, impotentissimi ac debilissimi in omnibus spiritualibus, quasi modò geniti, imò vix geniti; Ideò summè egemus illo Angelico auxilio.

S. Hieron: in Matth. c. 5.

PUN-


PUNCTUM II.

CONsidera secundò: ex tantæ obligationis recognitione quantum illi debeamus, Primum, quod illi debemus, est, illi respectum debitum reddere. Alterum est, illum amare. Gratias illi, tertiò, quas possumus, maximas referre: quartò, illi obedire, & obsequi in omnibus. Et, tandem, oculos ejus purissimos non offendere, ulla actione in convenienti vel inhonesta. Illud totum optimè S. Bernardus expressit. *Quantum tibi debet hoc verbum*, inquit, *inferre reverentiam, adferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præsentia: Devotionem pro Benevolentia: Fiduciam pro Custodia? In quovis Diversorio, in quovis angulo angelo tuo reverẽtiam habe. Tu ne audeas, illo præsente, quod, vidente me, non auderes. An præsentem esse dubitas, quem non vides? quid, si audires? quid si tangeres? quid, si olfaceres? &c.* Bene recogita has tuas obligationes. Suntné justæ? vide, an illis, ut oportet, satisfacias? vide, an non quotidie plures, erga hunc Cœli Principem, committas defectus & negligentias? non illi reddens; quod debes, vel ut debes. Hæc recole, & diligenter emenda. In posterum alium te erga illum exhibe, considerans ejus Dignitatem, nexum, quem inter te & illum voluit Deus intercedere, perpendens, non obliviscens, quantum ejus egeas opera, adjutorio, & directione, quo illum amore prosequi debeas, bona, quæ ab eo recipis, & affectum, quo in omnibus intendit te dirigere bonis. Ideò monet te scriptura: *Observa eum, ait, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittet te cùm peccaveris, & est nomen meum in illo: quòd audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis & affligam affligentes te.* Omnes porrò divinas voluntates ut adimpleamus, inducit, & excitat, unicè quærens, ut nos Deo placeamus, & in omnibus satisfaciamus.

S. Bern: in Psal. qui habitat.

Exod. 23. v. 21.







SERMO LVII.
PRO FESTO S. DIONYSII.
De obligatione honorandi hunc Franciæ Apostolum.

I. Rationes, ob quas specialiter oportet honorare Sanctos, qui primò in nostris Provinciis sanctum annunciarunt Evangelium.
II. Quanta passus sit S. Dionysius, ut plantaret Fidem Parisiis.
III. Quam ea de Causa obligationem debeamus?

Illi sunt viri misericordiæ, quorum Pietates non defuerunt; hæreditas sancta nepotes eorum, Ecclesiast. 44. *v.* 10.

ECce viri, inquit Spiritus sanctus, (loquens de viris Apostolicis, qui in aliquo loco plantârunt Evangelium) qui nati & destinati sunt duntaxat in bonum, aliis ut benefacerent; pietates & beneficia eorum nunquam intermoribunt, vel finem invenient. Hæreditas eorum tota sancta est, ex semine sancto procedens. Viri siquidem Apostolici, spiritu animati Apostolico, omnes quos in Christo generant, medio semine verbi Dei eodem animant spiritu, eadem Charitate, & virtutum eminentiâ exornant, & in Bono stabiliunt, & firmant; Ideò cum semine eorum permanent bona.

PUNCTUM I.

COnsidera primò obligationem, quâ particulariter obligamur, eos honorare sanctos, qui in nostris Provinciis primi sanctum annunciârunt Evangelium. Eaque primò de causâ: quia nostri sunt veraciter Patres spirituales, qui nos in Christo Jesu genuerunt, missi à Deo nobis specialiter, ut è tenebris infidelitatis ad lumen nos fidei adducerent, quod de se Apostolus, ac de omnibus suis in eo munere coæqualibus testatur. *Nam si Decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos Patres: Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* 1.Cor.4. v.15. Eodem affectu paterno loquens Galatis, *Filioli mei*, inquit, *quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Gal.4.v.19. Hi ergò primi nostri per Evangelium Primogenitores, ut Patres, à nobis honorandi sunt, amandi, & suspiciendi. Et eò magis, quò vita, quam ab illis accepimus, nobilior & excellentior est.

Hi secundò à nobis honorandi sunt, ob labores, tolerantias, persecutiones, quas pro nobis, ut annunciarent Evangelium, etiam usque ad profusionem sanguinis, subierunt; Cujusmodi meminit Apostolus ad Corinthios: *Ut quid periclitamur omni hora? quotidie morior propter vestram Gloriam, Fratres, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* 2.Cor.15. v.30.

Tertiò illi à nobis sunt honorandi: ob curam & sollicitudinem, quam gerunt adhuc in Cœlo pro nobis, suis apud Deum suffragiis, & precibus, bona Cœlestia, Gratias ac Divina impetrantes Charismatum dona, nec non temporalia beneficia, utilia nobis, & necessaria petentes; quod Princeps Apostolorum expressit in sua Canonica: *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* 2 Pet.1.v. 15.

PUNCTUM II.

Ex dictis inferas obligationem, qua Francia tota, & particulariori modo populus Parisiensis astringatur hodierna die, magnum S. Dionysium omni honore, observantia & amore prævenire, prosequi, & afficere: quem Deus modo ita mirabili attraxit ad se per prædicationem S. Pauli, & cui ita altas & profundas suorum secretissimorum Mysteriorum dedit, & infudit cognitiones, per quem tot prodigia, & miracula, pro idolorum eversione, ruina, & plenaria exstirpatione, tot in locis, civitatibus, & provinciis patravit; qui tot pro plantanda in hac famosissima Civitate sancti Evangelii fide, & divina introducenda Doctrina & Religione, verbera perpessus, tot flagella expertus crudelissima, fornacis igne examinatus ardentissimo, cruci affixus gloriosissimè cum sociis suis, capitis obtruncatione vitam finivit. Spiritu Apostolico animatus, cum Apostolo liberè dicebat: *Ego non solùm alligari, sed etiam mori paratus sum, propter nomen Domini Iesu* Act.21. v.13. Et ad Romanos: *Optabam ego ipse, esse Anathema à Christo pro fratribus meis,* Rom.9.v.3. tali ardens charitatis ardore, triumpho glorioso mundum, Diabolum, & mortem superavit; pro vita mortem in monte hoc, qui ab eo tempore Mons Martyrum dictus est, fortiter subivit. Ita adhæserat Christo, & suo Magistro Apostolo in vita, ut nec in morte ab illis potuerit separari, utriusque mortis similitudinem sua morte referens. Ita ejus menti prædicatio Apostoli spiritum impresserat Apostolicum, quo animatus, nec vitam, nec munus Apostolicum unquam deseruit. *Quidam,* Act.17. v. 34. inquit scriptura, *viri, adhærentes ei, crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita.* Deum, ô Parisienses, laudate, exaltate, & gratias agite, quòd tot hodierna die S. Dionysium cumulaverit donis, tot gratiis prævenerit, tot repleverit bonis. Et quòd illo medio Mediatore ad veræ Religionis perveneritis notitiam, tracti è tenebris ignorantiæ & erroris. Huic magno Sancto, Prædicatori vestro, Apostolo & Patri, quas potestis maximas persolvite gratiarum actiones, quod occasione vestri tanta sustinuerit. Et si scire desideratis, illi quid reddere possitis, ob tot & tantas obligationes strictissimas, quibus illi

obstricti estis, subjuncta seriò ponderate.

PUNCTUM III.

CConsidera tertiò, recognitiones, debita, & obligationes, quas justè requirunt à nobis illi, qui primi nobis sanctum annunciarunt Evangelium, non esse alias, quàm primò, ut non simus duntaxat Christiani nomine, sed & re ac opere, actiones nostras, vitam & opera, maximis directi & excitati Evangelicis, exequentes, componentes & perficientes, prout illi nos docuerunt verbo & Exemplo, opere & sermone; duplici continuò hâc linguâ nobis loquentes & instantes. Secundò: ut, quemadmodum illi totâ vitâ ob Christi Jesu causam & amorem passi sunt, non apprehendentes, vel æstimantes Tyrannos, Dæmones, & mortem ipsam, pro defensione Evangelij, & pro veritatibus in eo contentis, & repertis. Idem & nos faciamus, quandocunque quæstio movebitur, & erit illas propugnandi & practicandi occasio. Et quoad Ecclesiasticos; Cùm illi sint, qui propriè succedunt in munere & functionibus horum virorum Apostolicorum, necesse est, illorum Exemplo, ut nulli rei parcant pro Animarum Conversione, pro ignorantiarum exstirpatione, & hæresium eradicatione. Et ut in omni occasione potius sint parati omnia subire tormenta & mortem ipsam pati, quam quicquam fieri permittere contra Deum, vel ejus honorem. *Si Filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite,* (Joh. 8. v. 39.) ita Christus Scribis ac Pharisæis loquebatur, illos redarguens, quod de solo nomine Filii Abrahæ vanè gloriarentur, carentes Abrahæ operibus. Si Filii & Christi imitatores sumus, decet nos & opera Christi facere, in viis ejus ambulare & mandatis insistere. *Semper*, inquit Apostolus, *nos in mortem tradimur, propter Iesum, parati potius mortem pati, quàm Iesum non sequi.* (2. Cor. 4. v. 11.) Illo animatus spiritu Tobias Amicis & Cognatis sibi insultantibus, & illudentibus, illos redarguens, dicebat: *Nolite ita loqui, quoniam Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant.* (Tob 2. v. 18.) Ecce quid sancti à nobis requirunt? vis eorum in Cœlo Coronam augere? verùm magis, vis tibi Coronam lucrari & comparare? Ecce: Media tibi proponuntur, illa adhibe, illis utere & non abutere, aut negligas omninò ad insipientiam tibi, & æternam damnationem.

Vide nunc & bene animadverte, si hucusque nomen Christiani in Baptismate receptum jure possederis, si nomini omen adjunxeris, si ejus significationem in te verificaveris, si vitam tuam ad Christianismi Regulas composueris, sancti Evangelii Legibus mores conformaveris, si ita tuorum Patrum virtutes hæreditaveris, ut qui eorum fidei hæres existis, quid ad eorum facias imitationem, consideres, quid patiaris, quid pati aut facere intendas. Erubesce, & confundare, quòd sis ita ab eorum spiritu, ab eorum sensu, & ab eorum virtutibus, ac ab omnibus, quæ tibi in bonum, in sapientiam & in salutem annunciaverunt, elongatus. Pete illorum

rum à Deo interventione, merito & deprecatione, illas spiritus primitias, qui tanto id à te requirunt desiderio, testante
Phil. 4. v. 1. Apostolo: *Itaq;*, ait, *fratres mei charissimi gaudium meum & corona mea, sic sta-*
1. Thess. 2. v. 19. *te in Domino.* Et alibi: *Quæ est enim nostra spes? aut gaudium? aut corona Gloriæ? nonne vos?* *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Heb. 13. v. 7.

SERMO LVIII.

PRO FESTO S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

De qualitatibus & Conditionibus virorum Apostolicorum ex descriptione quatuor animalium, quæ vidit Propheta Ezechiel.

I. Duæ primæ notatæ conditiones Ecclesiasticis applicatæ.
II. Tertia eodem modo applicata.
III. Quarta cum Reflexione.

Similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum, Ezech. 1.

HIsce quatuor animalibus, S. Gregorio testante, intelliguntur prædicatores, & alii ministri Evangelici, pacem in se possidentes, pacē ubique inducentes, conservantes, & promoventes, ut filii Pacis, quos monet Apostolus: *State*, ait, *ergò succincti lumbos*
Eph. 6. v. 13. *vestros in veritate, & induti loricā justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii Pacis. In omnibus sumentes scutum fidei.* Ita porrò in se firmati in bono Pacis, in viâ salutis, cæteros firmare continuò allaborant, ut magis ex elucidatione subjunctâ clarescet.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: inter plura, quæ Propheta in hisce animalibus mysteriosis advertit, quatuor potissima & præcipua, quæ per quandam analogiam reperiri debent in viris Apostolicis, spiritu Apostolico ductis & animatis. Primum est, quod unumquodq; horū animalium quatuor habet facies, & pennas quatuor. *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni.* Ut ostendatur, quod oporteat prædicatores vivam habere fidem, per faciem significatam, & elevari per contemplationem in Deum, quæ nobis

per pennas denotatur. Suntque omnino uniformes in modo volandi, ad denotandam uniformitatem, quam habere inter se debent prædicatores, confessores, & alii animarum directores, tam quoad veritates speculativas, ex honestate fidei credendas, & recipiendas quam quoad veritates practicas suscipiendas & retinendas ex honestate operis, juxta Legum & Regularū Evangelicarū præscriptionem. *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni. Quid per faciem, nisi notitia, & quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Quatuor facies uni: Quia si quæras, quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat? Hoc nimirum sentit, quod Marcus, Lucas, & Ioannes. Et quatuor pennæ uni, quia Dei omnipotentis filium Dominum nostrum Iesum Christum simul omnes concorditer prædicant. Et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes pennâ contemplationis volant. Sed quæ virtus esset, si fidem atq; contemplationem Domini habentes, ejus prædicatores sancta opera non haberent?*

Fides porrò, per contemplationem denotata ad nihil servit, seu utilis est sine bonis operibus. Ea de causâ adjungit secundo, quod hæc animalia habebant pedes rectos. Pedes eorum, pedes recti, ad demonstrandum, quod viri Evangelici cedere, & succumbere nunquam, nec minis, nec respectibus, nec alteri cuivis mundanæ considerationi debeant, quo minus in recto veritatis tramite persistant firmi, & solidati, quia, cum eorum actiones aliis esse debeant regulæ, & directiones, ita, illæ sint rectæ & sine ullo defectu, est necesse. Quod S. Gregorius clarius exponens: *Sequitur, ait, pedes eorum, pedes recti. Quid per pedes, nisi gressus actuum designantur? Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur quia omnium opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi, quæ reliquerunt, reflectuntur.* Inflexibiles ergo esse debent hi viri Evangelici in morali, Christiana, & vita Politica, omni nimirum virtute, polita & exornata, nihil fuci aut deceptionis continente, veritatibusque Evangelicis ita solidati, ut ab eis in nullo dimoveantur unquam interno seu externo actu. Hæ sunt qualitates, virtutes, & perfectiones, quas in S. Luca modò reperimus perfectissimô, qui ita profundè sanctæ incarnationis mysterium penetravit, qui ita de eo altè locutus est, ita in fide firmus, & indeclinabilis, ut omnes ad eandem firmitatem ac indeclinabilitatem exhortaretur, permoveret, flecteret, ac in ea planè firmaret.

PUNCTUM II.

TErtium, quod Propheta in hisce animalibus animadvertit & exprimit est, quod eorum oculi essent lucentes & scintillantes, quasi æs candens in fornace ignis ardentis. *Et scintillæ, quasi aspectus æris candentis.* Ut ostendat, viros Apostolicos non duntaxat debere in suis prædicationibus enitere & clarescere apud populum famâ & æstimatione: verum oportere ulterius, quod vita illorum tota sit inflammata, & verba, velut scintillæ, quæ igne amoris divini corda suorum auditorum inflamment, ita ut de illis verificetur, ac veraciter dici

queat

queat, sicut de S. Joanne, quod sint lucernæ ardentes & lucentes.

Hæc S. Gregorius luculentius declarat & exponit: *Æris metallum*, ait *valde sonorum est. Et rectè voces prædicantium æri comparantur, quia in omnem terram exivit sonus eorum. Bene autem æs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat & ardet, ardet enim desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio accensa. Sed de candente ære scintillæ procedunt, quia de eorū exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Rectè autem prædicatorum verba, scintillæ appellata sunt, quia eos, quos in corde tetigerint, incendunt.* Hæc porrò procedentia ex corde omnino divinæ charitatis igne ignito, flammam spargunt, & spirant ignem ubique inflammantem corda audientium.

PUNCTUM III.

QUartum, quod Propheta vidit, fuit manus hominis, quæ sub pennis horum animalium apparebat, per quam bene intelligitur, vel humanitas Salvatoris & Domini nostri, qui corda nostra elevat, per contemplationem, ad se, & ad Deum, divinaque degustanda, vel vita activa contemplativæ subjecta, & subordinata. *Quid per manum*, subjungit S. Gregorius, *nisi contemplativa vita, signatur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est, virtus operis sub volatu contemplationis. Quo bene in Evangelio duæ illæ mulieres designantur, Martha scilicet, & Maria, sin vero in hoc loco homo redemptor noster accipitur: manus hominis sub pennis eorum est, quia, nisi Dominus homo fieret, qui mentes prædicantium ad cœlestia sublevasset, illa, quæ apparent, animalia non volarent. Nec immerito manus hominis esse sub pennis* Heb. 1. v. 3.
dicitur, quia de eodem redemptore nostro scriptum est: Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ. Ejus ergo manus corda nostra portat, ejus manus in contemplatione nos sublevat. Nisi enim, ut dictum est, omnipotens verbum propter homines homo fieret, humana corda ad contemplandam verbi excellentiam non valerent. Quod maximè denotat nexum, unionem, & uniformitatem Ecclesiastici cum Christo Jesu Salvatore nostro. Et quemadmodum oporteat eos sese in actionibus, & vitæ activæ exercitiis impendere, si participes esse voluerint laborum & gratiarum Apostolorum, ut veri eorum successores & viri Apostolici in ministerio Apostolico.

Ultimum tandem, hac in Prophetia, notatu dignissimum, & seria ponderandum maturitate, est, quod hæc animalia non revertebantur, cum ambularent, retrorsum non respiciebant, aut recedebant. Ex eo, quod eorum quodlibet ante faciem suam gradiebatur. *Non revertebantur, cum ambularent.* Quod nobis innotescere facit, quod homines Dei & amici, dum cœperint semel bene agere, in bono proficere, & virtutem colere, retrorsum regredi non debent. Non debent retrò respicere, verum magis semper in vitæ perfectione sumere augmentum, res transeuntes & temporales contemnere, & suspirare ad cœlestes & æternas, exemplo magni Apostoli, sancti Pauli: *Ea, quæ retrò sunt obliviscens, & in ea*

in ea, quæ anteriora, ajebat, *sunt, me extendens, sequor ad palmam supernæ vocationis.* Et ita S. Lucas, ejus discipulus, & socius peregrinationis ingrediens semel stadium virtutis, viam aggressus perfectionis, & crucem Jesu Christi semel amplexatus, illam ita fortiter tulit, & constanter amavit, toto vitæ suæ decursu, ut Ecclesia hodierna nos certificet in oratione, quam in honorem sancti hujus ad Deum & Christum dirigit, quod continuo & sine intermissione mortificationem crucis in corpore suo portaverit. *Ita unumquodq; ante faciem gradiebatur. Pennata animalia, videlicet prædicatores sancti, cum incedunt, minime revertuntur, quia sic à Terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, ut ad ea, quæ reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur, quasi enim per quandam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora. Quod contra de reprobis dicitur, qui reversi sunt corde in Ægyptum. Qui cur non revertantur indicat, cum subjungit: Unumquodq; eorum ante faciem suam gradiebatur. Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia ad illa pergentes invenimus, & illa recedentes, quasi post dorsum relinquimus. Unde magnum illud pennatum animal, quod usq; ad cœli tertii secreta volaverat, ait, unum vero facio, quæ retrò sunt, oblitus, sequor ad anteriora. In anteriora enim extentus eorum, quæ retro sunt, oblitus fuerat: temporalia dispiciens, sola, quæ sunt æterna, quærebat.* S. Gregor. homil. 3. in Ezech. Te nunc, ô anima mea! examini serio subjicias super hoc ultimum, in quo si defeceris, pete à Domino Deo tuo, & pete instanter, & constanter pete, pete ore, & vel maximè corde pete, ac veraciter pete, pro te pete, pro aliis petere necesses; pete pro Ecclesia universa per intercessionem sancti Lucæ, cum Ecclesia accede petens & supplicans oratione hodiernâ ad honorem sancti hujus instituta. *Interveniat pro nobis, quæsumus Domine, sanctus Lucas Evangelista, qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore, pro tui nominis honore portavit.*

SERMO LIX.

PRO FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

Desumpta materia ex Evangelio.

I. Cur Dominus & salvator noster suos elegerit Apostolos?
II. Omnia præcepta sub brevitate tradit.
III. Reflexiones faciendæ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, Joan. 15. v. 17.

Hisce paucis verbis sub dilectionis præcepto omne comprehendit præceptum, quia, Apostolo teste, *omnis lex in uno sermone impletur, diliges proximum* Gal. 5. v. 14.

meum tuum, sicut teipsum. Et qui Deum diligit, omnia præcepta custodivit. Quem in sensum S. August. de laude charitatis: *Breve præceptum*, inquit, *tibi præcipitur: dilige. Et fac quodvis, sive taceas, dilectione taceas, sive clames, dilectione clames, sive emendes, dilectione emendes, sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis: Non potest de istâ Radice, nisi bonum, exire.* Ideò ait Christus suis Discipulis, Ecclesiæ suæ primis fundamentis: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Hoc porrò facientes non deficietis, ut in decursu innotescet.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, quod Dominus & Salvator noster volens post se personas relinquere, quæ imaginem vitæ suæ, & exemplar virtutis suæ perficerent super terram ambulantes, sicut ipse ambulavit, in opere redemptionis nostræ, quod venerat hic in terra, & in valle plorationis inchoare, laborarent, *adimplentes* cum Apostolo *in carne suâ ea, quæ desunt, passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* In eum finem elegit Apostolos, qui vitæ, actionum ejus, & omnis ejus conversationis trium annorum spacio, testes fuerant, observatores, & imitatores, in ejus schola edocti & instructi: Quibus & ipse eandem, quam acceperat à Patre communicandam illis, communicavit potestatem, & gratiarum, ministerio eorum proportionatarum, abundantiam, ne in ullo quicquam illis ad suum ministerium deesset, ut ipse testari dignatus est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* omnibus instructos Doctrinis, & gratiis roboratos, quibus omnia vobis commissa ea exequamini dexteritate, eo merito, & utilitate, quibus honorificetur ministerium vestrum, & sit acceptabile apud Deum & Patrem cœlestem, qui vos elegit, ut eatis, & fructum feratis, & fructus vester maneat.

Ioan. 20. v. 21

Tu non ambigis de potestate recepta in ordinatione, de gratia pariter data & adjuncta non dubitas, aut dubitare debes, nisi obicem voluntate malâ & ex proposito posueris. Verum, quem fructum ex hoc fecisti? quam retulit ex te Ecclesia utilitatem? In quo Christum imitatus es? In quo illi te similem exhibuisti? Omnes Apostoli ita suo erant conformes Magistro, ut facilimo ab iis, qui eos intuebâtur, notarentur negotio. Ita ambulabant, ut ille, ita, ut ille, faciebant; ita, ut ille, orabant; ita, ut ille omnis virtutis & boni Magister, quem adorabant, patiebantur, & cuncta adimplebant. Possetne quid simile de te in veritate, tui mentio dum ingeritur dici? Quod das exemplum populo? qualē vitæ tuæ commendationem relinquis? quam virtutis præfers speciem? Quam boni objicis imaginem? Et uno verbo ut concludam, qualem Christi virtutum imitationem ostendis? Et Christianus es, Minister Christi es, imitator Christi videri & esse debes: At qualis sis, tu considera.

PUNCTUM II.

COnsidera secundo, ad suos Apostolos ad hanc imitationem perfectam efformandos perfectè, quamvis Dominus

nus & Salvator noster præter suum in omni genere virtutum & perfectionum illis exhibitum irreprehensibile exemplum. multa iisdem, de cursu toto vitæ suæ decurrente tradiderit præcepta, illa tamen videtur ad duo, quæ nobis hodiernâ die in Evangelio denotantur & exprimuntur restrinxisse. Primum est, de dilectione proximi, illis expressum verbis: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Secundum est, de tolerantia, seu patientia, & de contemptu mundi. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit, & si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Primo obligat illos bonam in omnibus de proximo habere opinionem, ejus supportare & excusare defectus, illi in suis miseriis, & corporalibus & spiritualibus compati, in necessitatibus manum non subtrahere auxiliarem, & illi omnia in omnibus exhibere, quæ perfecta hujus præcepti observantia requirit & exigit. Altero obligat pro se omnia pati, & perferre, quæ tyrannorum malitia & furia unquam potuit excogitare, imaginari, & adinvenire, quæcunque illa sint, nullo dempto, vel excepto, & omnia, quæ in mundo sunt, nihil æstimare. Hoc omnium rerum mundanarum contemptu SS. Simon & Judas sese ita reddiderunt admirabiles, simul & laudabiles, ac summè imitabiles exhibuerunt, ut in eo à nobis & ab omnibus, salutem quærentibus, admirandi simul & imitandi sint: Dum alter illorum omnia Regis Babylonis, quem ad fidem Christi converterat, dona preciosissima sibi oblata recusavit, nihil omnino illa reputans, solùm ut Christum lucrifaceret, Deo placeret, & seipsum perfectè superaret. Hoc charitatis principio ductus, & motivo excitatus, sui maximi inimici, & persecutores crudelissimi. ut pœnas mortis suis condignas meritis, ex Regis justa sententia subirent, noluit, pro eorum liberatione supplex factus, eorum potius conversionem, quam perditionem desiderans. Et tandem virtutum harum efficacia admirabili, & maximo in vinea Domini reportato fructu, numero penè innumerabili filiorum, in Christo regeneratorum post se relicto, in vastissimis, quas Sanctum disseminantes Evangelium, peragrarunt, regionibus, gentibus innumeris, indomitis, & immanitate Barbaris, verbo salutis, non ferro mortis, subjugatis, & Christi jugo assuefactis suavi, suam glorioso terminarent vitam Martyrio, ut in actis eorum clarè exprimitur. *Cum innumerabiles filios Jesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminâssent, doctrina & miraculis, ac deniq; glorioso Martyrio simul, sanctissimum Iesu Christi nomen illustrarunt.* *in actis eorū*

PUNCTUM III.

QUoad hæc duo puncta quomodo tecum agitur? Quid in te ex his ante memoratis experiris? quid in veritate reperis? Noli tecum dissimulare, noli tibi blandiri. Non dissimulabit, qui te fortè brevi in veritate & æquitate judicabit. Nulli veritas blandiri potest. Quomodo diligis proximum tuum? quod illi præstas obsequium? In quo tuum fundas amorem? quo motivo ductus illum amas, & diligis? qua firmitate?

te? Et quoad mundi contemptum,(qui omnes sanctos fecit admirabiliores, quàm omnia, quæ patrarunt miracula; sine quo, S. Chrysostomo teste, transivissent, & habiti fuissent, ut falsarii & seductores) quid dicis? quid judicas? quid determinas? quem in te locum tenet? quam possidet partem? Hoc ex æstimatione, quam de bonis terrenis, de honoribus, de beneficiis, de voluptatibus habes, & in te experiris, recognoscas & determines. Amor horum omnium & cupiditas annon æquè apud te ardet, quam apud & inter seculares?

Et tandem ad tolerantiam, passiones, & pœnas temporales quam inclinationem, vel quam sentis in te repugnantiam? Hæc est pars virorum Apostolicorum, hæc eorum hæreditas, hæc spes salutis. Et si eorum coronis fieri particeps desideras, oportet etiam te eorum laboribus, pœnis, tolerantiis & passionibus participem existere. *Non est servus major Domino suo.*

SERMO LX.

PRO VIGILIA OMNIUM SANCTORUM.

De dispositionibus necessariis ad hanc festivitatem.

I. Cur Ecclesia hanc instituerit festivitatem omnium Sanctorum.
II. Media, hanc sanctificandi festivitatem, & fructum referendi inde, quem Ecclesia requirit.

Euxltabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis, Ps. 149. v. 1.

HÆc bene considera. Exultabunt, inquit, sancti in gloria, non dicit: Exultant sancti in gloria. De quibus sanctis loquitur, animadverte, de illis nimirum, qui, etsi nondum sint in gloria, nondum in glora exultent, suo tempore tamen in gloria erunt, suo tempore in gloria exultabunt, qui sunt isti? Sunt illi, qui lætabuntur in cubilibus suis: *Non in theatris*, inquit S. August. *non in nugis, non in foris*, non in vanitatibus, non in hujus sæculi honoribus, *sed in cordibus suis*, in secreto bonæ conscientiæ, in abscondito intentionis sanctæ, in agnitione propriæ deficientiæ, in fragilitatis propriæ sincera confessione, gloriantes quidem, cum Apostolo, testimoniæ bonæ conscientiæ, confidenter 2. Cor. 1. v. 12.

cum eo dicentes: *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in gratia dei conversati sumus in hoc mundo.* Sic *lætabantur in cubilibus suis, ut non sibi:* ait S. Aug. *tribuant quòd boni sunt:* sed soli Deo, à quo magis ad huc perfici, & sanctificari continuò desiderant, & ad hoc omni conatu allaborant usque dum ad gloriam perveniant. Ita se ad festivitates sanctorum celebrandas disponentes, ut ab æternali non excludantur festivitate: quem in finem instituit Ecclesia festivitates sanctorum & hanc maximè omnium sanctorum, ut patebit ex dicendis.

S. August. in Psal. 149.

PUNCTUM I.

CONsidera primò: quas ob causas & rationes, Ecclesia sancta instituerit festum omnium sanctorum. Primò sancta Ecclesia hoc omnium sanctorum instituit festum, ut suppleret unicâ hac festivitate pro omnibus festivitatibus: quæ non possunt totius anni decursu celebrari, ob numerum beatorum in cœlo regnantium innumerabilem, à nobis nullo modo comprehensibilem. Altera ratio fuit, ut repararentur hac unâ festivitate omnes defectus, quacunque ratione, in aliis, per anni totius decursum, festivitatibus commissi, vel per abusum divinorum, vel per profanationes sacrorum, vel per absentiam hominum divinis obligatorum servitiis, vel per indecentem celebrationem divinorum officiorum, per negligentiam, ignorantiam, malitiam, aut per commissionem similium defectuum; vel omissionem decentium ad dignam & debitam celebrationem dictarum festivitatum requisitorum. Tertia ratio, eaque potissima, vel ex potissimis una, ut obtineamus facilius, & efficacius effectum precum, supplicationum, & orationum nostrarum, multitudine pro nobis semper & sine intermissione apud Deum intercedentium intercessorum, impetremus: ut oratio hujus festivitatis in honorem sanctorum omnium ab Ecclesia instituta & ad deum directa exprimit, *ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus, largiaris.* Hac oratione exprimit sancta mater Ecclesia unam ex causis potissimis, cur hanc omnium sanctorum festivitatem instituerit, ex quibus concludas, si Ecclesiastici sint astricti celebrare debitè, &, ut oportet, festum cujusvis sancti in particulari, populo ut dent exemplum bonum ad imitandum, ad Deo pro gratiis sibi & illis collatis gratias persolvendas, ad illos sibi amicos faciendos, & conciliandos, & ad petendum ac deprecandum, ut eorum precatu & interventione, illum queant portum attingere salutis, ad quem jam illi attigerũt, quâ ergò extraordinariâ devotione & nostri ipsorum præparatione, omnium simul sanctorum festum putas celebrare oporteat? Cùm inter illos maximè quorum affectu festivo, & cultu festum celebramus, & gloriosam memoriam facimus, quàm plurimi reperiantur, qui fuerint Ecclesiastici status & professionis nostræ, imò cogniti nobis, cognati, & parentes, & tales; quibus cum specialem

in mundo, dum inter mortales agerent, contraxerimus amicitiam? quale non gaudium hisce felicibus animabus esse debet, superatis jam hujus vitæ laboribus & difficultatibus omnibus, periculis subtractis universis, in loco constitutis securitatis perpetuæ, & æternæ quietis, suos videre amicos, gaudere, exultari, sibi congaudere, & conjubilare, in hoc sui triumphi die, & quodammodo in suis participare triumphis.

PUNCTUM II.

Considera secundò, media & modos hanc sanctificandi festivitatem, fructum ex illa, & utilitatem referendi, quam sancta mater Ecclesia in omnibus desiderat. Primum est, considerare, quâ ratione & modo, hoc sanctorum omnium festum retrò ante sæculis & temporibus celebratum fuerit, defectus animadvertere, illos verâ eluere confessione, remedia prævidere, & providere convenientia, & formare firmas resolutiones meliùs illa servandi & celebrandi, de cætero, nulli amplius daturi locum negligentiæ, torpori, aut ignaviæ. Secundò, omni intendere diligentiâ & conari conamine, se seper imitationem illis similem, quorum festivitatem celebramus, reddere & laborare suam sanctificationem magis & magis quotidie promovere & perficere, mortificationibus etiam voluntariè assumptis, pænitentiis, jejuniis, ac pietatis exercitiis, & perfectionis viis, quæ meliores & aptiores ad hunc finem assequendum judicatæ & probatæ fuerint, Job. 7. v. 1. *militia est vita hominis super terram*, in quâ vitiis superatis, magno conflictu & certamine, virtutes triumphant, hæc pars est Ecclesiæ militantis; hæc domui hæreditas, in quâ sumus; de quâ dicere possumus; quòd hodie sit ejus festivitas, sicut crastino die festivitas erit triumphantis Ecclesiæ & perendie erit Ecclesiæ festivitas patientis. Ecclesiæ militaris festivitas est in labore & pœnitentia: festivitas triumphantis est in honore, gloriâ, & festivitas patientis est in perpessione & tolerantia, quâ licet crucietur, ob certitudinem tamen futuræ gloriæ infallibiliter recipiendæ consolatur & gaudet, militans laborat & pœnitet; triumphans quiescit & gaudet, patientes ingemiscit & dolet. Tertium medium est, nobis facere violentiam, & vim inferre, sine quâ nec virtutem, nec perfectionem, nec gratiam, nec sanctitatem, nec gloriam vel beatitudinem prætendere, assequi, aut percipere possumus, hæc in nos ipsos violentia est regula & mensura, quâ nostrum metiri profectum debemus: ex eo quòd hæc sit generalis regula, & maxima infallibilis & indubitata, in quantum nos ipsos superabimus, in tantum proficiemus, & quò major erit vis & violentia, eò major erit profectus in sanctitate & gratiâ. Natura nostra corrupta per peccatum & deordinata supprimenda omninò est ut reordinetur, destruenda, ut reparetur, & mortificanda, ut vivificetur; Matth. 11. v. 12. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*



SERMO LXI.

PRO FESTO OMNIUM SANCTORUM.

De gloria Beatorum.

I. Quàm sit magna felicitas sanctorum?
II. Quales sint hujus gloriæ circumstantiæ?
III. Media ad hanc pertingendi.

Beati, qui habitant in domo tuâ, domine, Psal. 83, v. 5.

HIc Psalmista, factâ operum divinorum disquisitione seriâ & accuratâ, habitâ, ex hâc disquisitione, certitudine, nullibi inveniri posse verum gaudium, solidam lætitiam, & exultationem firmam, nisi in deo; ipsâ id probans experientiâ in se ipso, *Cor meum*, inquit: *& Caro mea exultaverunt in deum vivum.* Quia in nullo alio est veræ exultationis invenire materiam: At verò quia animadvertebat, hanc exultationem hac in valle dissimilitudinis, haberi & possideri perfectè & securè non posse à mortalibus, & adhuc à domino peregrinantibus; hujus peregrinationis affectus tœdio, optans jam esse in loco, quem cognoscebat & desiderabat, securæ & permanentis lætitiæ, & exultationis: exclamat, toto pronuncians affectu: *beati, qui habitant in domo tuâ, domine*: tanta asseveratione illos, qui in domo domini habitant, asserit Regius propheta beatos: quia revera illi soli verè beati, & alii nulli. Ut ex dicendis elucescet.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, & maximè eo die, quo Ecclesia gloriosam facit & recolit memoriam felicitatis omnium sanctorum in cœlo regnantium, quàm magna sit beatitudo, & felicitas, qua perfruuntur! hæc felicitas tanta est, ut, quemadmodum propheta Isaias & apostolus ajunt: oculus non vidit, nec auris audivit, nec intellectus, aut creata capacitas, simile quid unquam concipere potuit, aut poterit, quanta sit beatorum in cœlo felicitas. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus, iis, qui diligunt* Isaia 64. v. 4. 1. Cor. 2. v. 9.

ligunt illum. Hæc sanctorum felicitas tanta est, ut omnes hujus vitæ divitiæ, thesauri universi, omnes honores, universæ voluptates, delitiæ, & omnia hujus transeuntis peregrinationis desiderabilia, sint, in comparatione illius, velut umbræ divitiarum, bonorum imaginationes, & voluptatum, puræ, falsæ, & deceptivæ simul ac seductivæ, apprehensiones rei falsæ, non subsistentis & illudentis, *velut* in veritate: ut ait Psalmista:
Psal. 72. v. 20, *somnium surgentium, domine, in civitate tua*, ubi vera apparebit, & erit gloria, felicitas & lætitia: *imaginem ipsorum*, nimirum in mundanis, falsis, & transitoriis deceptorum; *ad nihilum rediges*, ostendens clarè & ipso effectu, illud totum nihil fuisse, quo illusi & decepti
Psal 71. v. 6. perierunt, *dormierunt somnum suum*: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, quia illud, in quo spem posuerunt, defecerat: ob hoc bene admonet Regius Propheta suo exemplo: sola cœlestia tabernacula esse desideranda, quærenda, & omnia
Psal. 83. v. 1 propter illa facienda: *quàm dilecta tabernacula, domine, virtutum?* Domine, inquit, virtutum, sine quo nec vis nec virtus esse potest: & solùm ibi securè possidetur, ubi ille erit omnia in omnibus, omnia operans in omnibus voluntatibus omnium in unum convenientibus. Quod solùm in beatis illis tabernaculis cœlestibus contingit, ubi omnia Domini sunt possessione immobili & perfectâ. Ea de causa gaudium ibi possidendum specialiter gaudium à Domino dicitur in Evangelio, dum servo
Matth. 25. v 21. v. 30. fideli remunerat fideliter: *Euge! serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*, & ibidem: *venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Ah! quam felices sumus, in finem tam nobilem creati? *ad tantam destinati felicitatem*! bonitati divinæ immensas & maximas, quas potes, referas gratias, teque ipsum, cum omnibus tuis, in gratiarum actionem offeras; &, ut ulteriùs & magis animeris ad desiderium, & ad requisitionem tanti boni; subjunctis accuratiùs intendas.

PUNCTUM II.

Considera secundò, quasdam singulariores status hujus felicissimi, tam ex parte animæ, quàm ex parte corporis, circumstantias, mirè statum hunc perficientes, nullo sermone exprimibiles; aut creato attingibiles conceptu, quod princeps Apostolorum, in suâ prima canonica expressiùs expressum reliquit: *Exultabitis* inquit, *lætitiâ inenarrabili & glorificatâ*: Anima enim 1. Petr. 1. v. 8.
primò Deum in se nudè, ut est, omni ænigmate & specie seclusâ, videbit, *videbimus eum, sicuti est*, inquit discipulus 1. Joh. 3. v 3.
ille, quem diligebat Jesus, clare porrò ejus videbit & intuebitur essentiam, omnia ejus attributa, operationes ejus, ac omnes ejus perfectiones, ineffabili gaudio, ut in se sunt, attinget ardore incomprehensibili, illum amabit: Anima imbuta erit repleta, penetrata, exornata, decoratá, sanctificata, & deificata ipsa deitate, ipsa essentiali sanctitate & pulchritudine originali, à qua omnis provenit pulchritudo, decor & sanctitudo;

tudo ; *cùm apparuerit, similes ei erimus.* Secundò: Corpus, in hac communicans felicitate, speciali decorabitur pulchritudine, radiabit, & resplendebit,ut & magis quàm sol, agile erit, subtile, liberum ab omni mortis incursu,ab omni informitatis impulsu exemptum,ac à quovis doloris accessu remotissimum. Sensus universi plenè in suis objectis proportionatissimis erunt satisfacti & satiati, oculus contemplatione corporum gloriosorum, & illius divinæ & indicibilis pulchritudinis, habitationis, respectu cujus omnia Regum palatia, & magnificentissima ædificia sunt velut carceres fœtidi & obscuræ latebræ, indicibili recreabitur delectatione: auditus jucundissimâ harmoniâ,& angelico mirè jucundabitur concentu: ac ita alii singuli sensus singulis suis & specialibus, replebuntur delectationum varietatibus: Idque pro complemento omnis felicitatis, gaudii, & exulta[illegible]nis inexplicabilis in omnem æternitatem, sine fine, quamdiu Deus erit. *Exultabunt sancti in gloriâ, & lætabuntur in cubilibus suis.* Hæc ruminans & admirans S. Greg: *quæ lingua:* ait: *dicere aut quis Intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia? Angelorum Choris interesse, cum beatissimis spiritibus conditori assistere præsentem Dei vultum cernere, &c.* quo sensu Psalmista: *Gloriosa,* inquit: *dicta sunt de te, civitas Dei.* Et alibi: *beati, qui habitant in Domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Hisce ita penetratis, perspectis & consideratis, jure merito ajebat Apostolus, omnia, comparatione hujus Gloriæ vilipendens & fastidiens. *Omnia arbitratus sum, ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Verùm quia non satis est, scire bonum, viam novisse, apprehendere felicitatem, nisi ad eam assequendam applicentur media, modi inveniantur & adhibeantur, de hisce inquirendum restat, subjunctis considerationibus.

S. Gregor. in Evang.

Psal 86. v. 3.

Psal 83. v. 5.

Philip 3. v. 8.

PUNCTUM III.

CONsidera: nulla alia dari media, nullam viam inveniri aliam, ad cœlos penetrandi, ac assequendæ felicitatis, & gloriâ potiundi æternâ, quàm illam, quam sancti tenuerunt; quàm eam, quam Christus in hodierno docuit Evangelio, à Prophetis prænunciatam, à sanctis Patribus & Patriarchis electam, & à nullis, nisi à malis, rejectam, quæ potissimè sita est in omnibus tolerantiis, vilipensionibus, mundi contemptu, & abnegatione omnium transitoriorum, & suiipsius. Audi vias Domini, sacro Domini & unici veritatis Magistri ore edoctas: *Beati pauperes; beati, qui persecutionem patiuntur, &c.* quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Quem hunc in finem adhibuisti laborem? quam unquam pœnam passus es? quas sustinuisti persecutiones? tantum bonum ut assequereris? quam tibi intulisti vim? quam fecisti violentiam? Non legisti aliquando, vel audivisti? *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* *Per multas quippe tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei: Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Inter sanctos Apostolos, hunc ut finem asseque-

Matth. 5. v. 3.

Matth. 11. v. 12.

Actor. 14. v. 22.

2. Tim. 2. v. 5.

assequerentur, *Alii ludibria & verbera experti sunt, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione Gladii mortui sunt. Circumierunt in molestiis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, & afflicti, quibus dignus non erat Mundus. Si tamen compatimur, inquit* Apostolus, *ut conglorificemur.* Conglorificatio ergò, teste Apostolo, supponit compassionem. Ergò & passio antecedit Glorificationem. Et tu credis, delicatè vivendo, solatiis terrenis insistendo te eò perventurum, ad gloriam scilicet & Cœlorum Regnum? Noli illudi: quia nemo unquã à deliciis terrenis & transitoriis pervenit ad æternas & permanentes. *Omnis quippe, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem Coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Unde subdit ulterius idem Apostolus: *Sic currite, ut comprehendatis.* Bravium non datur otioso & suaviter quiescenti, sed laborioso, & suo cursu alios prævenienti. Quicquid agis, quicquid pateris, quicquid laboras, etsi in omnem æternitatem egeris, passus fueris, & laboraveris, nunquam proximabis ad minimum hujus gloriæ gradum tibi promissum promerendum, nisi divina benignitas hanc tibi meruisset. *Existimo, quod non sint*, inquit verbum veritatis, *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Tolerantiæ, labores, & pœnitentiæ sunt tutæ & securæ ad cœlum viæ & semitæ salutis. *Hæc est via bona, ambulate in eâ.*

Hebr. 11. v. 34.

Rom. 8. v. 17.

1. Cor 9. v. 29.

Ier. 6. v. 16.



SERMO LXII.

PRO DIE COMMEMORATIONIS ANIMARUM.

De Purgatorio.

I. De tormentis extremis, quæ in Purgatorio animæ patiuntur.
II. Media, illis solatium adferendi, & sublevandi.
III. Quid facere nos oporteat, ut hæc evitemus tormenta.

Miseremini mei, miseremini mei saltem, vos, amici mei, *Iob.* 19. *v.* 21.

HIsce bene animæ in Purgatorio, quadam cum querrimoniâ intelliguntur requirere à vivis solatium & sublevamen, in sancto Job præfiguratæ, qui primus hisce verbis usus est, in summis constitutus angu-

ftiis. At illæ S. Job anguftiæ, quamvis maximæ, & majores fortè, quàm ullus purus homo, fi virginem beatiffimam in Paffione Filii fui demas, paffus eft hac in mortali vitâ, tamen refpectu pœnarum animarum in Purgatorio exiftentium & patientium, erant parvæ, & quafi nullæ. Ideò jure potiori hæ animæ hifce utuntur verbis, fe videntes in fummis tormentis, & cruciatibus, omnibus deftitutas folatiis & in oblivione apud omnes pofitas, deprecantes cum querimoniâ quadam, purè calamitatis fuæ declarativâ veritatis indicativa, & vel minimi folatii & levaminis impetrativâ, non indignationis, impatientiæ, aut perturbationis inordinatæ oftenfivâ, ut faltem illi, qui amici privilegio gaudere cupiunt, illis, mifericordiâ moti, fubveniant; Nam: amici in neceffitate probantur. *Frater*, inquit Salomon, *in anguftiis comprobatur.* Qui porrò opitulatur afflicto, tunc primò incipit effe Frater, ac fi recens natus effet: quafi dicat: Anguftiæ funt, quæ explorant, quis verus frater fit? quis verus amicus? hujus rationem dant feptuaginta, legentes: *Fratres in neceffitatibus utiles funt: Hujus enim rei causâ nafcuntur.* Hoc expertus Seneca: *Multum*, inquit, *mihi contulerunt ad bonam valetudinem Amici, quorum adhortationibus, vigiliis, fermonibus, allevabar.* Hujufmodi fublevaminis Cupidæ animæ in purgatorio degentes, fuos amicos appellant, à quibus poffunt juvari, & ut juventur, ipfo facto interpellant. In maximis enim funt neceffitatibus & Tormentis, ut ex dicendis innotefcet. Meritò ideò in hæc crebrius erumpunt verba: *Miferemini mei, miferemini mei faltem, vos amici mei.*

Prov. 17. v. 17.

Senec. in Epift. 78. Pineda in Job.

PUNCTUM I.

Ingrediaris fpiritu & animo hunc terrificum divinæ juftitiæ Carcerem, tenebrofiffimum & anguftiffimum, hoc eft, in purgatorium, & locum, in quo maximis & indicibilibus cruciatus animæ corpore exutæ, maculis adhuc reliquiarum peccatorũ fuorum deformes purgari & expiari debent. Ut ibi illas confideres nimiis preffas & anguftiatas tormentis & preffuris, lamentabilibus vocibus, ejulatu maximo hæc fine intermiffione iterare & reiterare verba, corda ferrea & adamantina movere & liquefacere capacia. *Miferemini mei: miferemini mei faltem, vos amici mei!* Intuere cum animi compaffione vehementiffima, quæ patiuntur, tormenta, pœnas indicibiles, quas tolerant, videntes: fe Dei vifione, bono incomprehenfibili, eo tempore privari, quo illius cognitionem habent, fummo illius adipifcendi junctam defiderio, idque ob rem nullius æftimationis aut momenti; videntes, fe retardari tantâ confufione, fuâ culpâ, dum ad portum appellere deberent falutis adipifcendæ, infiniti boni poffidendi, infinito penè affectu defiderati, ad quod defideriis inenarrabilibus adhelant. O quantus animi dolor! ô quanta mentis triftitia! ô quanta cordis deficientia! jure exclamant cum Pfalmiftâ: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei & pars mea, Deus in æternum.* Quia tanto ex hac retardatione à fummi boni poffeffione percipiendâ Pfal. 72. v. 26.

percipienda dolore cruciantur, ut verè deficerent, nisi speciali Dei manutenentia in illis conservarentur tormentis Experiuntur verè, quòd *spes, quæ differtur, affligat animam.* At, quanta illa sit pœna, quam ex tenebrositate carceris, quo detinentur, patiuntur, quis exprimere valeat? quanti sint cruciatus, quos ab igne illo percipiunt, qui ignis est igni infernali omninò æqualis, agitque, velut instrumentum divinæ justitiæ, continuò, sine intermissione, tanta vi, tanta vehementia & intolerantia, ut ignis noster in terris & Elementaris, comparatione illius pictus potius ignis & apparens videatur, quàm subsistens & realis. Et quod majus est; hæ omnes pœnæ, hi omnes cruciatus, omnes hi dolores inexcogitabiles, nullo modo sunt meritoria, aut remuneratione dignâ vel minimâ. Et tamen, teste verbo Domini: *Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem. Gravior erit ille ignis, quàm quicquid,* inquit S. August. *potest homo pati in hac vita.* Quis hanc divinam justitiam omnibus his bene ponderatis, non apprehendet? quæ peccatum quodvis minimum tanto punit rigore? Et manet nihilominus verbum Domini verax & immutabile: *Justus es, Domine, & rectum Judicium tuum.*

Prov. 13. v. 12. — *Matth. 5. v. 26.* — *S. August. in Ps. 59.* — *Psal. 118. v. 139.*

PUNCTUM II.

Considera secundo: quales ex hisce bene præmeditatis fructus haurire nos oporteat. Primus fructus, quem haurire debemus, est, magnam illarum ita in purgatorio detentarum animarum compassionem habere, & eò majorem, quò fortè nobis magis sunt conjunctæ, conjunctione vel sanguinis, vel affinitatis, vel amicitiæ specialis. Ibi porrò fortè cruciantur animæ nostrorum parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, aut illorum, quibus magna fuimus coniuncti in mundo amicitia, quibus obligamur ex multis ab illis acceptis beneficiis, aut etiam, quibus fortè peccandi occasionem dedimus, &, ad talem statum ut devenirent, causam dedimus. Ideò non duntaxat maxima circa illas teneri debemus compassione, sed & conari obligamur illis precibus, Eleemosynis, sacrificiis, & aliis bonis operibus, & virtutum exercitiis, solatium adferre & levamen, in suis illis ingentibus pœnis & cruciatibus. Non, ut consueverunt plurimi Ecclesiastici, dum pro defunctis justa persolvere contingit, cursim, sine attentione, devotione, & advertentia debita omnia peragentes, cursitantes in quo maximam committunt injustitiam, damnumque animabus illis irreparabile inferunt. Verùm magis hæc devotè, cum attentione, debita advertentia ad singula, & gravitate religiosa peragenda sunt, ut nobis fieri vellemus, si tali in pœna, earum loco detenti, cruciaremur, nullum permittere transire diem, in quo pro illis non oremus, aut aliud pium opus exerceamus. Si enim *honorat Dominum, qui miseretur pauperis:* quantùm illum honorabit, qui pauperrimis animabus in purgatorio misericordiam præstabit? illarum misertus? Ad hoc ideò hortatur pius Tobias: *Panem tuum, & vinum,* ait, *super sepulturam justi constitue.*

Prov. 14. v. 31. — *Tob. 4. v. 18.*

At quàm rari inveniuntur, qui illarum, ut par est, recordentur, compassionem habeant, illis auxilium ferre satagant. Ut meritò apud Prophetam conqueratur
Ezech 22. v.30. Dominus; *Quæsivi ex iis virum, qui interponeret sepem, & staret contra me pro terra, ne dissiparem eam: Et non inveni.* Alter fructus, quem ex hisce meditationibus elicere debemus, est, in hoc
2.Cor.9. v 6. mundo agere pœnitentiam. *Aut enim pœnitendū in hoc seculo*, teste S. Aug. *aut*
Luc.13.v.5. *ardendum in futuro. Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Et Dominus in Evangelio: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Aut pœnitendum, aut ardendum. Quod pœnitentiæ fervor non tollet, ardor ignis in pœna absumet. Hæc veritas certa est: ardore ignis purificante fiet salvatio, quasi per ignem.

Tertius fructus est, summum concipere & habere peccati venialis horrorem; cum pœnæ purgatorii sint duntaxat, ut nostros suppleant defectus, in actibus pœnitentiæ exercendis, commissos, puniant & tollant, ac leves ac veniales purgent peccatorum venialium ma-
Apoc.21. v.29. culas. *Nihil porrò coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum. Mundi sunt oculi tui*, inquit Apostolus, *ne videant*
Heb.1.v.13 *malum*, & : *ad iniquitatem respicere non poteris.* Unde jam & seriò considera, in quo usque modo defeceris in solatio miseris animabus in purgatorio existentibus ferendo? Si in orando defeceris, aut in modo orandi pro illis, ut oportet? si motus compassionis affectu pro illarum sublevamine laboraveris? Quam peccatorum venialium sentis horrorem? Quomodo illa caves? & eorum fugis occasiones? quam de tuis commissis peccatis agis pœnitentiam? Quomodo illa detestaris? verè melius & consultius est, purgari in mundo, quàm in purgatorio. Utilius est, frui in vita præsenti misericordiâ & benignitate, quàm in vita futura subjici justitiæ rigori. Et eò magis quòd parva in præsenti facta pœnitentia, patientiæ horula, exilis pœna, levis morbus, tristitia mediæ horulæ, anxietas brevis, iræ suppressio, negligentiæ expulsio, repulsio occurrentis vanitatis, & aliarum malarum & inordinatarum passionum parvula victoria plures veniales expurgabit maculas, & majores exsolvet pœnas, quàm fortè duorum vel trium annorum in flammis purgatorii detentio & satispassio. Status enim præsentis vitæ est status misericordiæ. Et status vitæ futuræ est status justitiæ. Hîc prædominatur misericordia: ibi primatum tenet justitia. *Horrendum est*, inquit Apo- Hebr. 10.
stolus, *incidere in manus Dei viventis.* v.31.
Satius, est aquâ purgari, quàm igne. Il- S. Bern. de
lud scitote, quia post hanc vitam in pur- Obitu Hu-
gabilibus locis centupliciter, quæ fuerint berti Mo-
hîc neglecta, redduntur, usque ad novis- nachi.
simum quadrantem. Hæc cum ita sint, roga cum S. Augustino: *Hic ure, Domine, hic seca: modò ut parcas, & in æternum parcas.*



SERMO LXIII.

PRO FESTO SANCTI CAROLI BORROMÆI.

De magnis bonis, quæ Deus operari dignatus per S. Carolum Borromæum.

I. Status miserabilis, in quem redactus erat Clerus & populus, tempore nativitatis S. Caroli.
II. Quibus sit usus mediis, ut tot malis mederetur.
III. Reflexiones.

Ecce sacerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulcit Domum, & in Diebus suis coroboravit Templum, Eccl. 50. v. 1.

QUod sacrum eloquium refert de Simone Filio Oniæ ipsum laudans & magnificans: quod in vitâ suâ fulserit Domum, & in diebus suis corroboraverit Templum; qui dictus etiam justus, eò quòd Deum piè coleret, & ejus summâ potiretur beneficentiâ: Hoc totum jure attribui potest & debet S. Carolo, qui in vita sua fulsit Domum Dei, quæ est *Ecclesia Dei vivi*, teste Apostolo, ad Timotheum; *Columna & Firmamentum veritatis*, & in Diebus suis corroboravit Templum; ea de causa ab Ecclesia universa meritò colendus, & speciali prosequendus devotione, ut ex dictis innotescet.

1. Timoth. 3. v. 15.

PUNCTUM I.

UT innotescat obligatio totius Ecclesiæ ad piam & religiosam memoriam sancti Caroli recolendam, memineris: quales abusus, deordinationes, defectus in toto statu Ecclesiastico irrepserant, sequela necessaria derivati eo tempore in universam Ecclesiam, & in omnes Christianos suis se ductoribus & pastoribus accommodantes. *Qualis* porrò, ut dicitur, *Rex, talis Grex.* Et, *Regis ad Exemplum totus Componitur orbis.* Illo seculo infelici potior pars Pastorum cœcâ laborabat ignorantiâ; vita ducebatur scandalosa; Hæresis jam, negligentiâ superiorum, & Pastorum, magnam partem provinciarum Christianarum pervaserat, & infecerat; peccata & iniquitates transiverant in consuetudines. peccare erubescebat nemo; quemque piè vivere, & bene operari pudebat. Omnis pietas, virtus omnis, & Religiositas omnis exulaverat ab hominibus.

mibus. Res eo usque devenerant in Diœcesi Mediolanensi, ut Presbyteri crederent, se non obligari ad confessionem, ex eo quod aliorum audiebant confessiones. Et pro communi utebantur proverbio, quod, qui damnari vellet, Presbyter fieret. Hæc desolatio extrema populi hujus jam quasi usque ad inferni fauces redacti, divinam permovit bonitatem, novum excitare S. Ambrosium, & huic miseræ & periclitanti Ecclesiæ in persona S. Caroli, dignissimi sancti Ambrosii successoris, subvenire, & spem dare, ad omnes errorum & hæresium dissipandas tenebras, ad omnes abusus tollendos, ad gratam veritatis lucem reducendam, ad bonorum operum disseminanda semina, ad virtutes plantandas, radicandas, & irrigandas, & ad omne bonum in Ecclesiam reducendum, omni vitio & malo è medio sublato, ad Domum Dei fulciendam, quæ jam proxima ruinæ videbatur & erat, & ad fulcris novis suppositis, firmandam & stabiliendam, quam prava doctrina, mores corrupti, & omne peccati genus quassare tentaverant, & omnino labefactaverant. Ea de causa misericors *Deus* à teneris eum *Spiritu* Sap. 10. v. 10 *intelligentiæ replevit, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum; dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Illum virtutum exhibuit speculum, & exemplar bonitatis & honestatis universæ, ut à malis timeretur, amaretur à bonis, ab universis veneraretur, verè dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est, sacerdotii fungens ministerio pontificali cathedrâ sublimatus, quasi lucerna ardens & lucens super candelabrum Ecclesiæ, curavit gentem suam, & liberavit eam à perditione, *quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis, & quasi sol fulgens, sic ille effulsit in templo Domini,* juxta Eccl. 50. v. 6 verbum Domini in Evangelio: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, nec ponunt lucernam sub modio, sed* Matth. 5. *super candelabrum, ut luceat iis, qui in Domo sunt.* Luxit S. Carolus omnibus in Domo Domini. Luxit doctrinâ, luxit pietate, luxit misericordiâ, luxit religione, luxit omnibus virtutibus, & bonorum omnium exercitiis.

Deo ergo, quas potes, persolve Gratiarum actiones, quod diebus istis, quibus Ecclesia maximè egebat, jam jam propendens in ruinam, talem & tam eximium excitaverit sanctum pro bono Ecclesiæ & universorum. Sed si ea fueris præventus gratia, illa fruaris felicitate, ut in seminario bene ordinato degas, hanc illi adjicias recognitionem, quam ipsi debet seminarii orbis universi, qui S. Carolum considerare debent & habere, vel, ut autorem, vel reparatorem sanctarum earum congregationum, quarum ipse primum dedit exemplar, quibus & regulas confecit, & tradidit omnium suarum actionum, & regiminis universi illarum directiones & ordinationes, cui nimirum Deus & Spiritum communicavit planè specialem, & in hunc finem accommodatissimum & omnino destinatum.

PUNCTUM II.

CONsidera secundo media, quibus S. Carolus est usus ad introducendam Refor-

Reformationem universalem & Cleri & populi. Virtutes & dispositiones, quæ in sancto Carolo, ad hoc magnum opus aggrediendum, reperiuntur, quadruplici queunt sub differentia seu respectu, in considerationem trahi. Primò, sub respectu ad Deum; alio modo sub respectu ad Ecclesiam; Tertio, sub respectu ad proximum; & tandem sub respectu ad semetipsum. Præcipua quoad Deum dispositio erat ardentissimus amor, quo illi continuò ita immobiliter adhærebat, ceu summo bono & amabili objecto, ut nova quotidie, omni hora, & momento, in eo produceret desideria, ad illius honorem, gloriam, & laudem magis ac magis propagandam, qui eum animabat ad res aggrediendas difficillimas, periculis & difficultatibus plenissimas, ut: ad se potentiæ opponendum seculari, ad malos & inveteratos abusus tollendos, ad perversas corrigendas consuetudines, & ad salutares & religiosos mores renovandos, à suo incœpto nullo modo desistendum usque dum finem intentum fuisset assecutus. *Hæc* porro *pura & defœcata intentio voluntatis*; quæ *nihil habet de proprio, sed totum divinum sic affici, Deificari est.* Ejus respectu totius Ecclesiæ dispositio erat zelus incomparabilis ad bonos efformandos & reformandos Presbyteros, ad seminaria instituenda, Collegia fundanda, ad totum clerum reformandum, ad renovandam plene & firmiter stabiliendam disciplinam Ecclesiasticam. Hoc est, quod illum excitavit tantâ cura & sollicitudine, non duntaxat ad sacri concilii Tridentini finem & omnimodam consummationem faciendam, verum etiam in tota sua diœcesi ad ejus ad amussim executionem & praxin introducendam. Hoc est, quod illum, illis divinæ sapientiæ in omnibus suis directionibus incœptis, & attentatis faciebat clarescere luminibus, ut omnia illi ad votum succederent, quæcunque inciperet, ordinaret & statueret, nec quicquam in illo posset reperiri non summè commendandum & laudabile; Ut videre est in sex Conciliis provincialibus, magno illo actorum Mediolanensium volumine comprehensis, ad omnem posteritatem meritò, pro regulâ speciali status Ecclesiastici & morum incorruptissimorum derivandis. Hoc est, quod ipsum animabat, ut poneret se murum pro Domo Dei, & jurisdictione Ecclesiastica, contra eos, qui eam sibi attribuere, & usurpare, injustè & cum Ecclesiæ & religionis præjudicio, volebant. Ob hoc ita ferventer orabat, ita ad Deum confidenter recurrebat, ita sæpe jejunabat, ita largus in eleemosynis erogandis erat, tot ubique de seriis, & ad commune bonum spectantibus negotiis correspondentias cum probatissimis, & sapientissimis habebat. Hoc est, quod illum ad tam exactè faciendas visitationes suas excitabat, tantaque circumspectione utebatur, ut in tota sua Diœcesi suspectum non pateretur librum, vel aliud quicquam, quod occasio esset, aut esse posset, erroris aut seductionis.

Quoad proximum nullæ aliæ illi erant cogitationes, quam illum per seipsum omni prævenire solatio & adjutorio in cunctis suis necessitatibus & spiritualibus, & corporalibus, & temporalibus adversitatibus. Nulli rei, ut illi subveniret,

veniret, parcebat quocunque modo, quavis hora & tempore, quo eguisset. Hoc motivo inductus tempore pestis suam exposuit vitam, seipsum toties propriis exuit vestimentis, pauperes ut vestiret, tot fundavit hospitalia, quibus ipse propriis ministrabat manibus. Sacrosancta Sacramenta in villis, oppidis & pagis administrabat, catechisabat, instruebat, verbum Dei magno fervore & fructu prædicabat, omnes ad viam salutis adducere & reducere, si qui forte deflexissent, satagebat. Omnibus in cunctis, ut proficerent, & meliores fierent, sese accommodabat, ac attemperabat, omnibus, uno verbo, omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret.

Verum quia illi, qui saluti proximi, animarum conversioni & profectui student, æquè animam possideant salvandam, ac alii, quibus salvandis intendunt, ac inveniantur nonnulli, qui nimio & inordinato amore proximi, allecti, illos ut lucrifacerent, se ipsos negligentes, perdiderunt & damnarunt: Hunc sanctum ex his omnibus periculis eripuerunt, voluntaria mortificatio suiipsius, humilitas, patientia, charitas, ac cæteræ virtutes, quantumvis nunquam cessaret quærere in omnibus bonum proximi, conversionem & profectum animarum omnium quidem, maximo verò sibi commissarum. Ejus mortificationes enituerunt, vel maximè in potu & cibo, in subtractione somni & quietis, in modo quiescendi, in crebris jejuniis & abstinentiis, in ciliciis & disciplinis, in fatigationibus, & laboribus annuarum Visitationum, in peregrinationibus, quas peditando faciebat, in summis etiam caloribus. Eximia ejus humilitas in eo elucescebat, quod sibi omninò nihil attribueret, ex omnibus his, quæ præstabat. Humilitas in vestibus apparebat, quia, licet Cardinalis esset, & Archi-Episcopus: vestimentis tamen sericis nunquam est usus. Humilitas in libris; Humilitas in omnibus mobilibus; Humilitas in omni occursu & conversatione ac in cunctis actionibus vitæ suæ ita emicuit, ut illa ipsi innata, connaturalis & propria videretur. Patientia, quæ specialis est animæ conservatrix & salvatrix, in eo primas obtinere videbatur, illa in eo dominabatur, persecutiones non æstimabat, illa præscribente, etiam in personam propriam redundantes. Hac munitus, Dei honorem & gloriam quærere non intermittebat, quibuscunque adversis non attentis, & patienter, imò & gaudenter toleratis & receptis. Infirmitates & morbos frequentes animo immobili & quieto recipiebat & tolerabat. In contradictonibus, in suis optimis intentionibus & laudabilibus propositis nullo movebatur motu inordinato iracundiæ aut indignationis. Videbatur jam fixus in illo, qui, immotus in se, omnia movet.

PUNCTUM III.

ET nunc, quid faciemus ad tantum exemplum? Brachiis complicatis ociosi stabimus? Justamné reprehensionem non apprehendemus à Domino verbo Domini contra desides & ociosos prolatam? *Nunquid fratres vestri*, inquit, *ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? Ideo ipsi judices vestri erunt.* Sumusne

musne majoris nobilitatis, Domus melioris, & eminentioris stemmatis, quàm sanctus Carolus? Fuimusne magis delicatè enutriti? Aliter instructi? & aliis imbuti principiis? Aliámne expectamus mercedem? & præmium aliud? Aliumne Deum habemus? Alias Gratias? Favores alios? Tanto tempore Presbyter fuisti; quid hucusque pro Ecclesiâ egisti? non requiritur à Te, ut quæ S. Carolus præstitit, præstes & facias: Verùm saltem ad minus coneris. Exemplo instruere populum, trahere ad bonum, & docere, Catechisare, Confessiones audire, visitare, Eleemosynas dare? Et si sis in dignitate constitutus, teneas primatum in aliquâ Communitate, Cathedram obtineas; quomodo, quæso, in vineâ Domini laboras? quo fructu? quâ intentione? quo zelo animorum? quo Dei Amore? quâ Tui depressione & humilitate? An Ecclesia nunc non æquè eget operariis; quàm illo S. Caroli tempore egebat? Nulline sunt abusus tollendi? Nulla extirpanda vitia? Mali mores & consuetudines nullæ corrigendæ? Pete à S. Carolo, vel S. Carolo interveniente, à Deo, portionem ejus zeli vel minimam ad disciplinam restaurandam, suam ut largiatur benedictionem hisce seminariis, sub suâ teneat protectione, ut omnes, qui ex illis prodibunt, capaces sint, opus Dei, quod cœpit ille, & ejus mediis prosequi & perficere.

SERMO LXIV.

PRO VIGILIA S. MARTINI.

Ex occasione Deordinationum, quæ hoc die in populo, & à populo committuntur.

I. Cœcitas deploranda hac die totius Mundi.
II. Quid Ecclesiastici ad medelam adferendam in eo facere debeant.
III. Motiva, quibus ad hoc inducantur.

Expergiscimini, Ebrii, & flete: Vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine; Ioel. 1. v. 5.

CONsiderans Propheta mala, quæ ex ebrietate procedunt, meritò conatur omnes ab illo vitio retrahere. Ex eo non tantùm, quod ebrius non sit capax ullius actionis humanæ & laudabilis; cùm omnis talis actio debeat ab homine humano modo procedere; quod in ebrio nequit fieri; cum ratione

uti nequeat: Verùm etjam, quòd ebrius cœcè in quævis vitia & scelera cadat; non aliter ac dormiens in mari agitatus variis fluctibus sursum & deorsum sæpe ignorans in periculo submersionis existit. Ita ebrius huc illucque titubando incedit, potu agitante ad varia cogitanda inducitur, & sæpe pro tunc ignorans incurrit periculum submersionis, hoc est, damnationis animæ & corporis, & pœnas, quas sæpè subire debet, vel in tempore, vel in æternitate, & sæpiùs & in tempore, & in æternitate. Ideò meritò monentur hi à Prophetâ, ut fletibus, ululatu, lachrymis, & aliis pœnitentiæ operibus, pro hujusmodi satisfaciant, & de cætero vitent. Quæ Prophetæ monitio adhuc hodiernâ die maximè habere locum, (ut ex dicendis patebit) videtur.

PUNCTUM I.

Videns & animadvertens insolentias, deordinationes & exorbitantias, quæ hodiernâ die committuntur, permittuntur & approbantur, quis primo intuitu potiùs habet ansam plorandi & deplorandi cœcitatem mundi, & mundanorum, quàm de eâ multum loquendi. Quæ enim major, & lachrymis majoribus deploranda cœcitas esse, aut excogitari potest, quàm falsis, damnabilibus & execrandis Dæmonis Maximis, illusionibus & fallaciis duci, seduci, & ita occupari, ut sanctæ, laudabiles, & religiosæ consuetudines Ecclesiæ sanctæ laudabiliter, & meritoriè inter Christianos introductæ, quibus aliâs in vigiliis sanctorum Martyrum sobria & charitativa instituebantur convivia, convertantur jam in recreationes insolentes, in comessationes & ebrietates, quales modo, prô dolor! passim in populo videntur & exercentur. Et hæ damnosæ, & execrabiles consuetudines ita stabilitæ videntur, & radicatæ, ut vix queant eradicari, destrui, & eliminari. Festum sancti Martini aliâs inter illas Martyrum solennitates annumeratum est, & in eo aliis solennius, quòd hujus gaudii majoris & festivitatis solennioris fundamentum esset firmius, ratione aliquorum miraculorum, quæ ad ejus sepulchrum fiebant, per mutationem aquæ in vinum. Verùm, quod tunc, intuitu pietatis & religionis fiebat laudabiliter, degeneravit in impietatem & profanationem. Et eò usque Res devenerunt, ut illud, quod ab initio fiebat, intentione superstitionum paulatim & pedetentim abolendarum, & sacrilegorum gentilium rituum extirpandorum (qui in suorum Deorum solenniis miros vanæ lætitiæ & sacrilegi gaudii modos exercebant, & excessus in hujusmodi faciebant damnabiles) videatur hujusmodi in præsenti non continuari nisi ad renovandos ritus, & praxes impietatis damnabiles. Quales olim cœnæ fiebant? Audi Tertull. *Cœna nostra*, ait, *de nomine sui rationem ostendit: Vocatur enim Agape, id quod dilectio penes Græcos est; quantiscunque sumptibus constet, Lucrum est; pietatis est, pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes refrigerio justo juvamus. Nihil immodestiæ admittit: Non priùs decumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur; Editur, quantum esurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis est utile. Ita satiantur, ut qui meminerint, etjam per noctem, Deum* *Tertull. in Apol.*

Deum adorandum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant, Dominum audire. Æqua oratio convivium dirimit. Eaque de causâ prohibuit expresè Concilium Antjssiodor. Vigilias S. Martini servare, hoc est, solenniùs, quàm fieri antiquitùs solitum erat. *Omninò*, inquit, *Et inter suprà dictas Festivitates, Pervigilias, quas in B. Martini honorem observant, omninò prohibere.*

Concil. Antissiodor in 578.

Duplicem hîc fac maximi momenti & ponderis reflexionem. Prima erit super astutiam, calliditatem, & querimoniam Dæmonis, qui ubiq; reperitur, calletq; media, mirâ fallaciâ & malignitate, suam ex omnibus trahendi & habendi partem, quam etjam quærit in sanctissimis nostræ Religionis rebus, & Actionibus participare; Ut dici queat jam, quod ad propositum de Apostolorum principibus in confusionem Christianorum ajebat quondam S. Leo: *Pudet*; inquit, *dicere; sed necesse est non tacere: plus impenditur Dæmoniis, quàm Apostolis.* Ob hoc callidissimus serpens & Dæmon pessimus inter Filios etiam Dei invenitur, & sese ingerit. *Cùm venissent Filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan.* Non ut Deo honorem debitum redderet, sed ut conquereretur pessimus Fratrũ accusator, & occasionem quæreret, S. Job tentandi, &, si possibile foret, in casum & lapsum inducendi. Altera Reflexio sit, eaq; seria, super malam, inveteratam, & multorum Annorum consuetudinem, animabus multùm nocivam, & toti Ecclesiæ in scandalum, illi ut te omnibus viribus opponas, ut illam, si tibi possibile fuerit, è medio tollas, & extirpes; Et ubi animadverteris novas hujusmodi consuetudines, vel etiam apparenter introducendas, quæ in Ecclesiâ præjudicarent, vel in minimo, saluti & & profectui animarum, continuò obvies, fortiter ponens te murum, pro domo Dei, ne radices ponant, sed continuò eradicentur, & extirpentur; juxta illud:

Serm. 3. de Apost.

Principiis obsta: serò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Vulneri porrò *vetusto & neglecto callus obducitur, & in eo insanabile fit, &c. Quid non invertat consuetudo? Quid non assiduitate duretur? Quid non usui cedat?* Verùm non sufficit, quòd Ecclesiastici sese opponant, ne novæ malæ consuetudines introducantur, sed & obligati sunt, omnem movere lapidem, ac vires suas impendere omnes, ut jam inceptæ & inveteratæ etiam omninò supprimantur & suffocentur.

S. Bern. 1. Consol. lib. 1. c. 2.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò: Quid conveniat, deceat, & oporteat, Ecclesiasticos facere, occasione eorum, quæ hodie fiunt in Ecclesiâ Dei, & practicantur in maximam animarum ruinam, & Christianorum confusionem. Primò præcedente Dominicâ, & aliis per totius Anni decursum occasionibus clamare debent validè, contra hujusmodi abusus, & pravas consuetudines, in suis prædicationibus, in Catechismis, in Cathedris, & pulpitis annunciantes Populo, rationum, autoritatum, & momentorum pondere magis quàm sermonum & verborum conglomeratione, & superflui-

ſuperfluitate, eam, quam Deo & ſanctis ejus faciunt, injuriam, illis inordinatis comeſſationibus, recreationibus irreligioſis, ac ebrietatibus; Et illi media & modos præſcribentes hoſce dies religiosè & chriſtianè tranſigere, Deo & Sanctis cultum debitum impendere. Ad hoc eos adhortatur Propheta: *Clama*; inquit, *ne ceſſes; quaſi Tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum.* Et Apoſtolus ad idem animans. *Eratis* enim *aliquando tenebræ*, nempe dum adhuc in ſeculo viventes illis vanis & perverſis cum mundanis indulgebatis lætitiis, ineptiis, & exceſſibus pravis, Nunc autem Lux in Domino, ad meliora converſi, & in ſtatu perfectiori, & eminentiori conſtituti, ut Filii Lucis ambulate. Lucentes, non habitu duntaxat & ſermone, ſeu Ceremonia exteriori; ſed opere, & veritate, in facto & exemplo, qualiter oporteat eos ambulare, qui Deo placentes, & Sanctos imitantes, illorum, ut oportet, præveniant & celebrent feſtivitates, quod Chriſtus non tacuit in Evangelio: *Mundus gaudebit: vos verò contriſtabimini.* Secundò caveant, ne diebus talibus inveniantur in ſocietatibus hujusmodi indulgentibus comeſſationibus, lætitiis mundanis, & ebrietatibus.

Eſaia. 58. v. 1.

Eph. 5. v. 8.

Joh. 16. v. 20.

Imò magis eo ſe pœnitentiis & extraordinariis exerceant, ſive ob exceſſus, qui eo contingunt, ſive ob illos, quos illi fortè aliâs commiſerunt, minùs in illis inſtructi. Ideò alios inſtruere meliùs ſatagant. Hoc eſt, quod Salvator noſter & Dominus in Evangelio ſpecialiùs recommendatum cupit, ſuis loquens Apoſtolis: *Amen, Amen dico vobis: quia plorabitis & flebitis vos: Mundus autem gaudebit. Vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Et ut meliùs penetres, & alios eò potentiùs inducas, ſubjunctis intendas attentiùs.

Joh. 16. v. 20.

PUNCTUM III.

Conſidera Tertiò: quàm exceſſus illi, qui die hodierna contingunt, ſint Deo injurioſi, ſanctis ejus, & nobis ipſis? Primò, ſunt Deo injurioſi; quia videntur reliquiæ ſuperſtitionum gentilium. Sunt hæ Feſtivitates, de quibus apud Prophetam loquitur, eas ſe pati non poſſe. *Neomeniam, & Sabbathum, & Feſtivitates alias non feram; Iniqui ſunt cœtus veſtri; Calendas veſtras & ſolennitates veſtras odit anima mea: Facta ſunt mihi moleſta; Laboravi ſuſtinens.* Sanctis, ſecundò, ſunt injurioſi. Verùm enimverò: Annon res eſt abſurdiſſima, inquit S. Hieron. Sanctos honorare velle conviviis, comeſſationibus, Lautitiis & vanis ac ſuperfluis recreationibus, & corporalibus oblectamentis? Quos ſcimus, Deo non fuiſſe gratos, niſi jejuniis, abſtinentiis, mortificationibus, ac in cibo & potu parſimoniâ? Ac ſanctus Martinus fuit inprimis aſſiduus in jejuniis, abſtinentiis & mortificationibus, quaſi maximus in mundo in proprii corporis macerationibus. Qui vinum nunquam bibit. Altè retinebat memoriâ, & efficaciter retinebat, quod legerat, in Evangelio: *Væ vobis, qui ridetis! quia lugebitis & flebitis. Valdè abſurdum eſt*, ut ait S. Hieronymus, *nimiâ ſaturitate velle honorare Martyrem, quem ſcimus Deo placuiſſe jejuniis.* Tertiò: Abuſus & exceſſus hujus-

Iſa. 1. v. 13.

Luc. 6. v. 25.

hujusmodi nobis ipsis sunt maximè injuriosi, nocivi, & mortiferi, ratione peccati, quod talibus committimus excessibus, quod nos reddit Deo inimicos, sanctorum suffragiis indignos, & magis illorum dignos maledictionibus.

Considera nunc, & vide: Annon fortè diebus hujusmodi, sicut hodiernâ die Deum offenderis, dum adhuc torrente mundano vanitatis, & concupiscentiæ Carnalis potabaris? Ubi pudet sæpè, non malè agere, & aliis, etiam pessimis, non conformari; ac cum impudentibus, ut ait S. August. pudet, non esse impudentem, & cum vanis, turpibus ac deviantibus non esse vanum, turpem ac deviantem. De quibus loquitur Apostolus: *In quibus*, ait, *& nos conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum.* Fuisti tu & in illis conversatus? Voluntatem carnis fecisti & adimplevisti? Veniam deprecare à Deo. Et ut satisfacias, conare, ac contentione omni contende, hanc in te primò expellere cœcitatem, & deinde in aliis, & in omni populo, media quærens possibilia; Illam de futuro evitandi in te, & in omnibus, Monito Apostoli subscribens: *Vos*, inquit, *qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu Lenitatis: considerans teipsum; ne & tu tenteris.* Væ, inquit Deus per Prophetam, qui vinum bibunt deliciosè & cum excessu, tempore, quo pauperes siti & fame premuntur & pereunt? quorum nullam habent compassionem, aut condolentiam. *Væ bibentes vinum in phialis optimo unguento delibutis, & nihil patiebantur super contritione Ioseph!*

Eph. 2. v. 3. Gal. 6. v. 1. Amos 6. v. 6.

SERMO LXV.

PRO FESTO S. MARTINI.

Quomodo S. Martinus fuerit in Ecclesiâ Lumen? Et qualiter luxerit?

I. Cur viri Apostolici lumini comparentur?
II. Quomodo S. Martinus hoc per totam vitam munere functus sit?
III. In quo illum imitari specialiter debeamus?

Nemo accendit Lucernam, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, Lumen videant, Luc. 11. v. 33.

HÆc ex Evangelio desumpta, multis mota causis & motivis, Ecclesia sancto Martino applicat, qui lucerna fuit lucens & ardens super candelabrum Ecclesiæ rectè constituta. Luxit sapientiæ luminæ,& charitatis igne arsit; sermone instruens,& opere ædificans. Vocatus, ut sacerdotio fungeretur in domo matris suæ, extitit fidelis & prudens dispensator; servus, non Dominus; passionum suarum custos assiduus, & populi apud Dominum advocatus. Positus à Domino, ut esset Principibus ad correctionem, plebibus ad eruditionem, afflictis ad solatium, nocentibus ad timorem, Clericis ad liberationem, superbis ad humiliationem, humilibus ad tutelam. Erat porrò ad mores compositus; fervidus in dilectione, mansuetus in societate, stabilis in promisso, fortis ad patientiam, pronus ad concordiam, rigidus ad censuram. Erat in judiciis rectus, in loquendo modestus, in jubendo discretus, in dispensatione industrius, in consiliis fidus, in responsionibus circum spectus, in cunctis perfectus. Lucens exterius omnigena virtutis splendore, & interiùs ardens ignis divini ardore; Ut deductio subjecta convincet.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Cur viri Apostolici in Evangelio lumini comparentur? Hæc causa potissima est inter alias, quòd, sicut lumen duas præcipuas habet qualitates, seu virtutes, quæ sunt: inflammare,& illuminare: ita etiam necesse est, ut Ecclesiastici, ad exemplum Domini & Salvatoris nostri Christi Jesu, qui est verum lumen mundi, & lux veritatis, & qui aliis illam communicat, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ut ipse testatur; *Ego sum*, ait, *Lux Mundi*; &, participatione. Vos estis Lux Mundi. Ego sum ex me, per essentiam, Lux Mundi: Vos estis, ex meâ largitate, & adventitiè, Lux Mundi. *Non potest Civitas abscondi supra montem posita.* Ideò viri Apostolici comparantur lumini; quia ejus participant proprietates. Lucent enim, & ardent, ut populos illuminent suâ sapientiâ & doctrinâ, & inflamment exemplari vitâ, sanctâ conversatione, & opere, ac veritate. *Matth. 5. v. 14.*

PUNCTUM II.

COnsidera secundò: Quomodo Sanctus Martinus toto vitæ suæ decursu hoc Apostolicum munus perfectissimè adimpleverit? Non est necesse nisi ut recorderis, qualem vitam duxerit adhuc Catechumenus? quid Episcopus egerit? quas exercuerit virtutes? quid in ipso cœlo post mortem egerit? & agat adhuc de facto? Gratiæ, favores,& prærogativæ, quibus Christus Dominus Salvator noster eum prævenit, subsecutus est,& perfecit, clarè ostendunt, quod esset ille Lucerna ardens & lucens, quam Deo placuerat super candelabrum ponere & accendere, ut toti Ecclesiæ, pro bono Ecclesiæ, luceret; Et de quo verificabatur Elogium, à Christo S. Joanni Baptistæ datum: *Erat Lucerna ardens & lucens.* Necdum erat baptizatus, & opera fecit, quæ sibi facta & grata fuisse *Ioan. 5. v. 35.*

Christus

Christus è cœlo agnoscit & fatetur verbis subjunctis: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Ita S. Martinus, nondum baptizatus cœlo & Christo probante, operabatur, nondum Christianus, spiritu Christi animatus, Christi virtute roboratus, & ore Christi commendatus Episcopus contra voluntatem factus. Vita ejus fuit: Praxis continua charitatis, paupertatis & humilitatis, exercitium perpetuum mortificationis, tolerantiæ, & abnegationis, & studium omnium virtutum, in quo ita cucurrit, ut Brabeum gloriosè reportaverit salutis & gloriæ. Tantæ extitit patientiæ, ut, à suis etiam Familiaribus irritatus injuriis, ac variis vexatus modis, Limites modestiæ & mansuetudinis, verè Apostolicæ, nunquam excesserit. Orationi ita deditus erat, ut ab illâ cessare nullo modo posset. *Invictum ab Oratione spiritum non relaxabat.* Zelus domûs Dei, honoris Dei, & gloriæ Dei, in eo tantus, & ita potens erat, ut, omni idololatriâ in suâ provinciâ è medio sublatâ, & omninò extirpatâ, ad alias longinquas provincias & regiones se conferret, ad eas convertendas ad fidem Christi & agnitionem veritatis, omnibus exclusis erroribus. Merita ejus, virtutes ejus, & ejus prærogativæ, uno verbo, tantæ sunt, ita magnæ & excedentes, ut cœlum, terra, & infernus illas in admiratione habeant, de illis testimonium reddant honorificum & laudabile: Miracula ejus sunt in tanto numero, & tot, ut, *si omnia scriberentur*, Gregorio Turonensi teste, *non solùm libros, sed nec ipsum mundum capere posse existimem. O beatum*, canit Ecclesia, *Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum Regem, & non formidabat Imperii principatum!* ô eximium Lumen! ô Lumen luminosissimum Sancti hujus vita, quo omnes nostros defectus, imperfectiones omnes, & excessus universos clarè videmus, intuemur, & dignoscimus! Verùm, quid laudabilius? quid magis ædificatorium? & quid instructivum magis in sancto Martino invenitur, & elucet clariùs, quàm quòd in ultimo agone, cum morte conflictans, jacet super nudam terram nudus, Luctator optimus, inunctus oleo divinæ gratiæ, contra omnes suos hostes prævaliturus? ô qualem paupertatem! Cinere & cilicio coopertus jacet in nudâ humo, non in molli strato: quia, Christianum aliter mori non judicabat convenire. *Non decet Christianum*, inquit, *nisi in cinere mori. Et ego*, subjungit *si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi.* O qualem pœnitentiam! verùm, quod adhuc magis formidandum est; His omnibus non obstantibus, Dæmon non intermittit, ejus interesse morti, ut quærat & investiget omni modo possibili, unde illum accusare queat, coram justo Judice Deo, & Christo. At quid ad hoc ô anima mea! dices? quid tali constitutâ in statu facies? quid illi pessimo fratrum accusatori oppones? Audebisne, in illâ horâ constituta, ad illas redacta extremitates, te illi opponere, ut hic magnus sanctus sese opposuit? Respondere, ut ille respondit? Et justè redarguere, confundere, & rejicere, ut ille redarguit, confudit & rejecit? *quid hic astas*, ait, *cruenta Bestia? nihil in me funesti reperies.* Ecce! quantâ animositate, quâ confidentiâ, quantâ magnimitate,

Testimo-

Testimonio bonæ conconscientię confisus, illum pessimum animarum nostrarum insidiatorem redarguit? quantâ fortitudine, divinis gratiarum præsidiis munitus, repellit? quo illum animo, securus de divino favore & adjutorio, contemnit? Intrepidè loquitur, orę imperioso illum turpissimum Dæmonem, serpentem venenosissimum, & callidissimum hostem omninò confundit, & verbo unico deturbat, & retrudit usque ad profundum abyssi, ut ille omnis boni inimicus, in hoc sancto, suam expertus infirmitatem & confusionem, disceret, se nihil adversus servos Dei prævalere. Nunc, ô anima mea! te in eodem statu constituas, ac si hâc horâ & hoc momento tibi esset moriendum, tibi ex hoc ergastulo esset transeundum, ad aliam mansionem, ac si foret tibi comparendum coram Deo, judice justo, & æquo, tuorum factorum, verborum, & cogitationum rationem reddituræ, & justam super his sententiam expectaturæ. Quis tibi tunc timor erit? quæ spes? quæ mentis trepidatio? Ex parte una te recordatio tuorum peccatorum torquebit: Ex alterâ te inferni horror angustiabit. O quale exemplum! ô quale speculũ est S. Martini beata mors! ô qualiter hęc mors superbiam & præsumptionem nostram secretam, in cordis nostri penetralibus absconditam, detegit & manifestat? Vis S. Martinum imitari in morte? Sis ejus in vitâ imitator. Vitam degas illi similem, & dissimili exitu non gaudebis. Eâ de causâ sequentia indagine persequere accuratiori.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò: In quo te deceat & oporteat, sanctum imitari Martinum? Estne in ejus, divinæ gloriæ in omnibus quærendæ, procurandæ, & augmentandæ zelo? Estne in ardore salutis animarum? In suis pœnitentiis & mortificationibus? Estne in profundissimâ ejus humilitate? In charitate ejus ardentissimâ? In ejus in pauperes misericordiâ & compassione? Eritne in perfectissimâ ejus, in perferendis injuriis, patientiâ? In extremâ paupertate ejus? Hisce veritatis & virtutis luminibus utaris, ut cognoscas, quid tibi desit, in quo te oporteat emendare, quid declinare te deceat, quid eligere, quid prosequi, & in quo perseverare debeas, usque in finem? Hanc ob causam tibi sancta mater Ecclesia sanctum Martinum hodiè proponit recolendum, ut credas firmiter, & nullo modo dubites, nullum te sancto Martino honorem posse exhibere majorem, nullum illi gratius reddere posse obsequium, quàm ipsum imitari, in aliquâ ejus virtute, vel in omnibus, saltem affectu, ubi deest, effectum ponendi, facultas; Et cavere, quantum poteris, ne ejus Festivitas ab aliis profanari contingat, ut consuevit à pluribus. Ad hoc obligaris, non duntaxat cũ præjudicio & interesse tuæ salutis, sed et ex vigore tui statûs Ecclesiastici, in quo te decet & oportet, Lumen esse aliorum, illos ut doceas verbo & exemplo, ac linguâ operum simul ac sermonum instruas, Christo te adhoc invitante, adhortante, & præcipiente: *Sic luceat Lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, ut glorificent Patrem vestrum, &c.* *Matth. 5. v. 16.*

SERMO

SERMO LXVI.

PRO FESTO PRÆSENTATIONIS V.B. DOMINÆ NOSTRÆ.

De oblatione nostri ipsius Deo faciendâ, exemplo virginis beatæ, Dominæ nostræ.

I. Cur virgo beatissima trimula sese Deo in templo offert?
II. Quibus illa conditionibus hanc facit oblationem?
III. Quid facere nos deceat, ut nos, ejus exemplo, offeramus?

Fili, præbe mihi cor tuum, Proverb. 23. v. 26.

Hic divina instruens sapientia ad bonum, ad prudentiam, scientiam, bonitatem, & disciplinam, docet, primò omnium, ipsum cor esse illi præbendum, illud ut bonis repleat desideriis & affectionibus: Quia cor est, in quo debet fundari omnis bonitas, perfectio & sanctitas. Ideò ad sanctitatem & ad perfectam conversionem invitans populum Israeliticum, David Rex: *Cernitis*, inquit, *quòd Dominus Deus vester vobiscum sit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, & subjecta sit terra coram Domino, & coram populo ejus: Præbete igitur corda vestra, & animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum*; nempe, præ omnibus rebus maximè appetatis, maximiq; faciatis. Ut ibi meritò esse debeat cor vestrum, hoc est, omnis cordis affectio, cogitatio, sollicitudo, studium omne & cura. Ubi enim est cor, eò omnia alia diriguntur. Eâ de causâ qui servire Deo cupit, primùm illi debet cor suum offerre, omnem suum Thesaurum reponendo in Deo. *Vbi enim est thesaurus tuus: Ibi est & cor tuum.* Et ob hoc divina sapientia ad sui cupiens trahere amorem, vult sibi primò cor præberi, quo habito, totum habebit. Fili, ait; præbe mihi cor tuum, cui hodiernâ die obedivit perfectè virgo beatissima.

1. Paral. 22. v. 19.

Matth. 6. v. 21.

PUNCTUM I.

Considera primò: Cur virgo beatissima, Domina nostra, hodiernâ die adproperat ad templum sese Deo oblatura, & ejus divinis servitiis omninò consecratura? Non est ex eo, quòd illa ignoret, quòd sit Dei totaliter, sicut re-

Deut. 32. v. 20. liquæ creaturæ, non ignorans verbum Domini: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui fecit te, & creavit te?* Et ipse Dominus: *Ego*, inquit, *Principium & finis*. Principium omnia principians, & esse tribuens; & finis, ad quem omnia dirigenda sunt. Hæc virgo beatissima probè intelligebat, eaque de causâ, non duntaxat tantâ festinatione Templum petebat: verùm inspiratione altiori, instinctu impulsa diviniori, & illapsu à Deo præventa intimiori, illâ ætate tanto ardore currit ad Templum trimula jam Spiritûs sancti sacrarium, solemniori sanctissimæ Trinitatis professionem protestatione factura, ut illi se, jam firmissimè ligatam funiculo triplici, firmiùs voto triplici superaddito, reobligaret; nos, & omnem, omni seculorum revolutione, posteritatem suo instruens exemplo, hominem à teneris annis Deo ac divinis servitiis omninò dedicandum, & consecrandum, ipsius Dei mandato ad hoc obligatum. *Diliges Dominum.* (*loquitur Deus Moysi, & in eo, omni homini, præceptivè:*) *Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ anima tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ.* Estne res aliqua, nos potens impedire ab hac donatione plenariâ nostri ipsius Deo faciendâ, nos omninò in manibus ipsius resignantes, ad omne adimplendum ejus beneplacitum? Si ita maturè, quò obligabamur, hanc nostri ipsorum oblationem non fecerimus, vanis implicati & perituris saltem modò ad exemplum datum, ad gratiam oblatam, ad tempus & occasionem nobis comodissimã, nõ faciemus? Adhucne procrastinabimus? Egemusne ulteriori consilio, deliberatione ulteriori, maturiori resolutione? Ecce! Ille est Creator noster: Deus noster: Pater noster. Ille est Conservator noster, Redemptor noster, Sanctificator noster. Ille est Magister noster, Ductor noster, Finis noster. Ille est via nostra, quam nos tenere, ne deviemus, est necesse. Ille est veritas nostra, quâ instruamur, ne decipiamur, & vita nostra, quâ mortẽ omninò evadamus. Ille, uno verbo, est totum bonum nostrũ, quo repleti quietamur, aliunde nihil desiderantes, aut desiderare potentes. Et mandatum ab eo accepimus, ut toto corde illum diligamus. Ille suum nobis ad hoc dedit Filium dilectũ. Adhoc nobis vitam æternam repromittit, in nobis vivere desiderat, ut in illo, & per illum viventes, nunquam deficiamus, nunquam vitâ excidamus. Illi in Baptismate consecrati sumus. In confirmatione ejus dedimus nomen militiæ, Sacramento illi nos in omnibus astringentes. Quæ ulteriora motiva requirimus, ut illi nos plenariè consecremus, totaliter tradamus, & in omni plenitudine, nihil nobis reservantes, incorporemus, uni facti cum illo, & in illum, quantum fas est cogitare, transformati? Verùm, cùm hoc virginis sacratissimæ Exemplum, quo ad hanc voluntariam nostri ipsius oblationem inducimur, sit nostra in eo Regula & Directio, accuratiùs ruminandum, & devotiùs recogitandum nobis venit, ejus ut spiritum copiosiùs attrahamus, totum illud salutis negocium, ne in aliquo aberremus ab eo, quod nos decet, & Deus à nobis requirit.

Deut. 6. v. 5.

PUN-

PUNCTUM II.

DIsce proinde ab illâ; quæ prima est in eo genere oblationis, & primitate provisionis, & primitate dignitatis, & primitate omnimodæ perfectionis & Excellentiæ. Et vide, ac animadverte seriò, quibus illa circumstantiis, affectibus, & ceremoniis suam hanc Deo exhibeat oblationem, quâ se totam Deo reddit, nullâ factâ reservatione, aut in re oblatâ, aut in modo offerendi? Prima ergò circumstantia, seu conditio, quâ virgo sacratissima suam exhibuit oblationem, fuit profundissima humilitas, divinæ innixa magnitudini, & sui nihili consideratione, regulata. Hoc est sacrificium, quod illa suiipsius fecit, in quo est velut hostia oblata, quæ destrui debebat, seipsam coram supremâ Majestate deprimit, abnegat, & quantum possibile est, annihilat. In suum redacta nihilum, totum Deo ipso facto tribuit, cui se totam debitam agnoscit. Sic decet & omnes, *ut se ei totos reddant*, ait S. Hilarius, *Cui se totos debere recolunt originem & profectum.* Altera circumstantia & conditio, fuit summum desiderium, supremæ & divinæ Majestati in omnibus placendi, & illi summo universorum Monarchæ obsequendi, quod suâ primò testificata protestatione, quâ protestata est, quòd sicut agnosceret, se non habere, nec esse, nec vivere, nisi ab illo, & per illum: Ita etiam totum suum esse, & vivere, non velle se impendere, nisi propter illum, & in ordine ad illum, hic in tempore, & in æternitate, possidendum. Secundò: idem testatissimum reliquit, suo vitæ degendæ modo, continuo timore in Deum, & divinâ sublevatione, omnes ejus sermones, cogitationes omnes, actiones universæ spirabant solùm divinum servitium divinum honorem, amorem, laudem, gloriam, & in omnibus exaltationem, *Ita ut*, quemadmodum certus loquitur, & verè loquitur, quidam Doctor, *indesinenter sic esset affixa Deo, ut in eâ nihil esset, mundanus quod violaret affectus.* Tertia conditio & circumstantia, & perfecta sui, vitæ suæ, & omnium actionum suarum in manibus Domini resignatio, ut omnes suas in illâ adimpleret voluntates, ut claris, Angelo sibi apparenti, ad se à Deo misso, expressit verbis: *Ecce! Ancilla Domini: Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et tandem tenetur communiter, quod illa tunc perpetuæ emiserit Votum virginitatis, & quòd prima illa fuerit, quæ se tali astrinxerit Voto. *Non* enim, ut loquitur S. Augustinus, *Virgo diceret: quomodo fiet istud? nisi Deo virginem se antè vovisset.* *Luc. 1. v. 38.*

PUNCTUM III.

TRes Actus, ad ejus exemplum, fac, & resolutiones firmissimas totidem formes. Primò, omni animi submissione & humilitate possibili, oblationem tuiipsius, aliâs Christo Jesu ac sanctissimæ Matri ejus factam, renoves, ejus te de novo tutissimæ committas tutelæ & protectioni, eamque humilimè roges, ut ipsa te præsentet, & gratiam impetret, fideliter ut ejus Filio Jesu Christo, & illi servias. Dic, & intus dic, & ipso facto dic: *Servus tuus sum ego: Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Fac cum servo tuo, secundùm misericordiam tuam,* *Psal. 118. v. 125.*

 & justi-

& justificationes tuas doce me. Secundò: protestare, Te, in omnib⁹, & per omnia, Deo & Christo Jesu velle placere, quantum tibi possibile, sicut virgo beatissima illi studuit in omnibus complacere, quæ nullam exercebat actionem, nullum verbum proferebat, & cogitationem admittebat nullam, nisi pro divino servitio & pro divino beneplacito adimplendo. Dic cum Regio Propheta: *Tuus sum ego: Salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.* Et cum Doctore gentium: *Domine, quid me vis facere?* Tertiò: Gratas habeas à modò omnes, quas unquam circa te faciet divina voluntas, dispositiones, & in tempore, & in æternitate, sive quoad sanitates, sive quoad infirmitates, quoad paupertatem & divitias, quoad abundantiam & penuriam, quoad tolerantias & calamitates, & quoad omnia similia. Maneas in omnibus firmus in illo, qui vocavit te, illi perfectè in cunctis subjectus & obediens. Dic cum Psalmistâ: *Paratum cor meum, Deus; paratum cor meum.* Paratum ad prospera; paratum ad adversa; paratum ad omnia; *Omnia potens in eo, qui me confortat.* Illi renoves, si in sacris fueris, castitatis votum, quod emisisti, dum sacro Sub-Diaconatûs ordine initiatus es. Et tandem omni conamine allabora, sub hoc tibi, in monte perfectionis & omnis sanctitatis, exemplari demonstrato & præfixo, tuum opus perficere, salutem tuam operari, & omnium tibi commissorum, te præbens in omnibus exemplum, & magnis, & parvis. Parentibus, ut suas educent proles à teneris in timore Dei, exemplo S. Tobiæ, qui Filium suum *ab infantiâ Deum timere* docuit, *& abstinere ab omni peccato.* Et prolibus; ut suos honorent, timeant, & ament parentes, illis se in omnibus bonis obsequiosos præbentes, memores verbi sapientis: *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ.*

Psal. 118. v. 94.
Act. 9. v. 7.
Psal. 56. v. 8.
Philipp. 4. v. 13.
Tob. 4 v. 10.
Prov. 22. v. 6.

SERMO LXVII.

PRO FESTO S. CATHARINÆ.

De triplici coronâ, quâ exornatur S. Catharina in Gloriâ.

I. Directio Dei in suis maximis operibus & factis.
II. Quâ ratione S. Catharina triplicem meruerit aureolam, virginitatis Martyrii, & Doctoris?
III. Ad quid S. Catharinæ obligemur, in qualitate Patronæ?

Quæ stulta sunt Mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia,
1. Cor. 1. v. 27.

Verba

VErba hæc miram Dei circa S. Catharinam indicat dispositionem; quippe quâ eam elegit stultam Mundi, in vanâ mundanorum & vanorum reputatione; sapientem cœli, in verâ cœlestium & verè judicantium æstimatione, ut confunderet sapientes secundùm carnem, hoc est, carnali, & terrenâ sapientiâ, quæ inimica est Deo; Teste Apostolo: Quoniam *sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subjecta.* Ideò Dominus loquens per Prophetam; *Ecce ego*, ait, *addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo peribit enim sapientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentum ejus abscondetur.* Ut nulli sit usui ad animas Christo lucrandas & adjungendas. Eâ de causâ admirabundus Apostolus inquirit de hujusmodi sapientia; Ubi, inquit, Sapiens? hoc est gentilium Philosophus, terendis libris exercitatus? Ubi Scriba? Judæorum Doctor? Ubi conquisitor, curiosus indagator naturæ, & arcanorum hujus seculi, seu Mundi? Etsi totam ætatem perscrutandis naturæ occultissimis Mysteriis tanto studio impenderint: nemo tamen illorum fidei nostræ Mysteria potuit assequi. Fuerunt hi apud vanos & mundanos in admiratione & honore; cujusmodi fuerunt Musonius, Dion, Epictetus, Damyces, Diogenes Junior, Apollonius, ut etiam vivi, Ephesi, & alibi, statuâ donarentur, Teste Plutarcho, Philostrato, & aliis apud Baron. & mortui, inter Deos referentur. Et hi omnes evanuerunt in sapientiâ suâ, verè apud Deum stultitiâ; Ideò, quia non cognovit Mundus per sapientiam Deum, placuit Deo, per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes; quod hodiernâ die in S. Catharina verè verificatum cernitur, ut in decursu elucescet.

Rom. 8. v. 7.

Isai. 29. v. 14.

Baron. Anno Christi 75.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Qua ratione divina directio & præordinatio excellentissimè simul & verissimè reperitur & verificatur in S. Catharinæ persona, qua hodierna die, speciali dignatione, Deus uti dignatus est, ut Imperiũ & superbiam Dæmonis prosterneret, & extirparet. Idololatria Alexandriæ firmè stabilita radices jecerat ita profundas, ut Christiani omni suæ Religionis exercendæ carerent libertate & facultate; persecutio publico promulgata & confirmata edicto crudelissimè grassabatur; manus ejus evadebat nemo. Omnes, qui nomen Domini invocabant, qui Deum quærebant, colebant, & laudabant, suo supprimebat furore & sævitia. Inundaverant aquæ diluvii omnis crudelitatis, tyrannidis & iniquitatis super terram; & videbatur jam revelatus & prodire homo peccati, filius perditionis, & sessionem sumere intendere in loco sancto. Erat tanta desolatio, ut nemo Dei nomen nominare, nedum invocare auderet. Huic Deus ut obviaret malo, hunc ut sisteret torrentem Idololatriæ detestabilis, ut illud tyrannidis & universæ malitiæ diluvium dissiparet, ut omnes hujusmodi Satanæ funestas & furentes adinventiones, insultus, & irruptiones repelleret, dissiparet, & annihilaret, nõ usus est potentiâ Principum, non sapientum industria, sed Filiolæ humilis & vir-

ginis pudicæ ſimplicitate, ut verè cum admiratione liceat requirere cum Propheta. *Vbi nunc ſunt ſapientes tui? annuncient tibi & judicent.* O quale ſpectaculum! videre in Regia civitate, in curia Imperiali, unam juvenculam ſolam, omnibus deſtitutam amicis, & ſubſidiis temporalibus, ipſum aggredi Imperatorem, ſuo in palatio Imperatorio, in corona ſuorum Principum, ſuis ſtipatum vigiliis, apparitioribus, & cuſtodiis circumvallatum, liberè redarguere, ſuam illi objicere, in tempore ſacrificii, impietatem, & idololatriam, crudelitatem improperare, tyrannidem damnare, minas illi intentare, & terrere. Videre juvenculam, annorum decem & octo toti Græciæ ſapientiæ illudere, irridere, & confutare ſua ſimplici veritate, & vera ſimplicitate, omnem ſapientum hujus ſeculi aſtutiam rejicere, rationes enervare, argumenta diſſolvere, ac principia univerſa, virtute & ſimplicitate fidei, evertere, & prorſus extirpare. O quàm veritas vera, gratiæ juncta fortis eſt! quàm potens! & quàm inſuperabilis! *Verè magna eſt veritas, & prævalet. Non eſt in judicio ejus iniquum, ſed fortitudo, & Regnum, & poteſtas, & Majeſtas omnium ævorum. Benedictus* Deus *veritatis*, Cujus virtute omnia domantur, diriguntur & perficiuntur! Ob hoc Dominus per Prophetam; *perdam*, ait, *ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi ſapiens! ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſeculi? Nonne ſtultam fecit* Deus *ſapientiam hujus Mundi? Nam quia in Dei ſapientiâ non cognovit Mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes: Quia, quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.*

Iſa 19.v.22
Eſdr.3 c.4. v.41.
1.Cor.1.v.21.

PUNCTUM II.

DIſcrepantias & diverſitates ſanctorum ex diſcrepantiis præmiorum, & & coronarum dignoſcimus. Quibusdam enim redditur corona paſſionis, & Martyrii aliis corona omnimodæ incorruptionis, & virginitatis, aliis laureæ Doctoris, & Magiſterii, & cæteris, pro diverſitate meritorum, aliæ, & diverſæ redduntur juſtitiæ, & æquitatis coronæ. At S. Catharinæ omnes tres laureæ, ſeu coronæ debentur, & redduntur, quod illi ſuper omnes ſui ſexus mentes beatas particulare, & proprium eſt. Non enim tantum cum Martyribus, quorum meminit ſapiens, eorum in futuro gloriam innuens. *Fulgebunt*, ait, *juſti & ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrent*: coronâ triumphali glorioſi triumphi redimita triumphaliter fulgebit. Et cum virginibus, quæ ob communicationem puritatis, & integræ innocentiæ cum Agno: *Ipſum ſequuntur Agnum, quocunq; ierit. Et cantabunt quaſi canticum novum ante ſedem Dei*, coronâ gaudebit virginitatis: Verùm etiam cum Doctoribus, & majoribus Eccleſiæ luminaribus, ſapientiæ laureâ decorabitur, fulgebitque cum illis, qui multos ad juſtitiam erudierint, *ſicut ſtella in perpetuas æternitates*. Haſce prærogativas triplices & ſpeciales, ſpecialiter divinâ providentiâ S. Catharinæ conceſſas, cœleſtes favores, & gratias in gloria, liquores ſimiliter tripli-

Sap.3.v.7.
Apoc.14.
Dan.12.v.3.

triplices è sacro ejus corpore emanantes, significârunt; utpote sanguis, in ejus effusus glorioso martyrio, lac, in decollatione capitis ejus exiliens, & oleum, ex ejus profluens sepulchro; sanguis in ejus effusus martyrio invictam animi ejus fortitudinem ad triumphalem usq; martyrii coronam sustinentem indicavit. Lac ejus omnimodam corporis puritatem designavit. Et oleum è sacro ejus sepulchro effluens divinæ ejus sapientiæ, & ardentissimæ charitatis symbolum fuit, de illâ verè verificatur, quod S. Ambrosius de S. Agnete asseruit. *Habetis in una hostia duplex martyrium pudoris, & religionis, & virgo permansit; & martyrium obtinuit.* Quia verò hæc triplex martyrium obtinuit, & lauream triplicem ex triplici triumpho reportavit, triumphans de mundo, de carne, & de Diabolo. Nitens enim puritate mentis, & corporis omnes carnis spurcitias impolluto calle transivit, & charitatis igne succensa, mundi universas contempsit fallacias, ac spiritu repleta sapientiæ Diaboli astutias omnes elusit. Sciens siquidem spiritum sapientiæ in malevolam animam non intrare, nec habitare in corpore subdito peccatis, utriusque hominis nitorem conservabat quàm diligentissimè, charitate Dei, quâ ardebat, continuo impulsa, nunquam otiabatur à bono, doctrinæ Apostoli subscribens per omnia: *Si linguis*, ait, *hominum loquar, & Angelorum, charitatem non habeam, nihil sum.* Visne scire media, quibus huic sanctæ, honorem, ut par est, & ut obligaris, exhibeas, cùm illam elegeris in patronam? subjuncta accuratius 1. Cor. 13. v. 1.
consideres, & considerando praacticare omni allabores diligentiâ.

PUNCTUM III.

PRimum medium, quo hanc sanctam maximè honorabis, est, ut exemplo ejus luminibus scientiæ, cogitationum, & intelligentiæ ad quæ vi tui statûs, & conditionis obligaris, humilitatem jungas, & castitatem. Humilitatem jungere debes, quia, cum tota Ecclesiasticorum scientia fundetur, & innitatur fidei, notitiæ omnes, quas hujus virtutis fidei beneficio habemus, non debentur, nec communicantur, nisi humilibus, juxta verbum Domini: *Abscondisti hæc à sapientibus, & revelâsti ea parvulis.* Justè ob hoc legisperiti à Christo redarguuntur in Evangelio. *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis*: vanitati, non veritati inhiantes. Non audiveratis verbum sapientis vos instruentis, & vanitatem vestram vobis ob oculos ponentis. *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas; quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* Nempe sub sole manens, terrenis inhians, cœlos non penetrans, & in vanitate suâ vanus cum vanis se exaltans, ut humilietur, & pereat. Hoc ergò barathrũ, ut evadas, omnia vana deserens, veris adhæreas, & illis acquiescens, teipsum quantum potes, humilies, quia quò magis te humiliabis, eò magis solidaberis, & exaltaberis. Humilitatis sociam & sororem, ab eodem progenitam parente, Matth. 11. v. 25. Luc. 11. v. 25. Eccles. 1. v. 25.

ejusdem

ejusdem & nobilitatis, & elegantiæ, castitatem amicam, & domesticam, sis sollicitus, ut habeas. Hâc porrò singulariter sapientia delectatur, illi libenter cohabitat, & sine illâ non invenitur. *In malevolam enim animam non introibit sapientia*, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Castitas ergò duplex animæ scilicet, & corporis comes est sapientiæ, & contubernalis; una sine alterâ non consistit, sit igitur in mente puritas, hoc est, aversio ab omni peccato, & munditia in corpore, hoc est, elongatio ab omni carnis inquinamento. Et in eo S. Catharinam patronam dignè coles, & imitatione honorabis, te in eo conhonorabilem constituens. Eâ de causâ Angeli hodiernâ die (quibus scientia, & puritate assimilamur) corpus S Catharinæ honorificentissimè deferunt in montem Sinai, ne tam pretiosum depositum tot divinis favoribus, & benedictionibus Deo sacratum, manibus, & attactibus profanaretur humanis.

Sap. 1. v. 4.

Alterum medium, quo hanc summe honorabis, est imitari animi ejus magnitudinē, robur mentis, fortitudinem, & constantiam, constanter, & generosè te opponens abusibus, cœptis divino honori præjudicaturis, maximis deordinativis magnatum, & pravis, ac perversis mundi consuetudinibus, cum patientiâ tolerans oppositiones omnes, & contradictones, quæ tibi accidere eo in negotio, & Dei ministerio potuerunt, non intermittens, in Ecclesiis, pulpitis, Cathedris, & per domos, cum Apostolo, omnes instruere; in privato, & in publico, veritatem annunciare, vanos & malos abusus condemnare, mores bonos introducere, paratus semper potiùs vitam profundere, quàm fidelitatem Deo promissam in baptismate. Confirmatum in sacramenti confirmationis susceptione, & juratum, quo ad continentiam, in Subdiaconatûs initiatione, perdere, nec vel minimæ contra hoc emissum castitatis, & continentiæ votum, occurrenti, vel apparenti tentationi, cedere. Audi Apostolum, qui Evangelium, omnem veritatem, per revelationem Jesu Christi, didicerat: *In nullo*, ait, *terreamini, ab adversariis, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro ipso patiamini.* Ecce! Apostoli monitio, consilium, & exhortatio: quâ exhortamur, qui Christi sumus, & esse debemus, ob Christi honorem, fidem, & amorem defendendum, & promovendum, nullis cedere adversariis: Quâ autem ratione nos cautè oporteat ambulare, ut votum illibatæ puritatis servemus, monet nos alibi idem: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Nunc te in hisce tribus præcipuis capitibus diligenter exanima. Vide, & animadverte seriò, an, & quo jure has tres prætendere possis coronas? quos sustinuisti insultus? quam pugnam micuisti? quam reportasti victoriam in carnis certaminibus, ut laureâ virginitatis exornari merearis? quos subivisti labores? quas studiorum exercitationes adhibuisti? quot noctes scientiam tibi, ut comparares, duxisti insomnes? quot in orationibus ad Deum, & religionis actibus suspiria emisisti, ut tibi sapientiæ lumen desursum, (*unde omne datum optimum, & donum*

Philip. 1. v. 29.

2. Cor. 4. v. 7.

num perfectum provenit, daretur, quô omnes ignorantiæ tenebras dissipans Doctoris lauream accipias? quæ tormenta pro Evangelii Christi & fidei defensione subivisti, quos tolerâsti cruciatus, quot carceres, & catenas consecrâsti, quot ignes superâsti, naufragia quot passus es, quot virgas sustinuisti, & uno verbo, quid unquam, coronâ martyrii dignum, in te expertus es? omnes doleas occasiones tibi tua maximâ culpâ excidisse, quibus tot neglexisti, vel potius rejecisti, merendi, & te ad hujusmodi disponendi coronas, gratias, & favores; à Deo meritis, & intercessione sanctæ hujus, tuorum pete veniam excessuum, & gratiam require, & efflagita, ita, exemplo ejus, hîc in tempore certandi, ut cum illâ tandem, termino accedente mortalitatis, coronari merearis in æternitate, nunquam verbi Apostoli immemor, non dari coronam, nisi legitimè certanti, nec mercedem reddi, nisi in vineâ ad vesperum usque laboranti, nec salutem ulli concedi nisi in finem usque perseveranti. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* 2. Tim. 2. v. 5.

SERMO LXVIII.

PRO VIGILIA DEDICATIONIS.

I. Quid sit Dedicatio?
II. Cur omni anno Dedicationis memoriâ renovetur?
III. Quid Ecclesiasticis convenit facere, ut se intentioni Ecclesiæ conforment, hac in solennitate.

Dominus in templo sancto suo. Psal. 10. v. 5.

DOmiuus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus. Hîc per templum Domini, In quo Dominus habitat, quod Dominus sanctificat, animam justi intellige, Apostolo docente, *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Cor. 3. v. 16. Dominus ergò in animâ justi residens, residet in templo sancto suo à spiritu sancto, & sanctificato. *In cælo sedes ejus.* Idem repetitum intelligis, inquit S. August. quo sensu Deus per Prophetam. *Cœlum sedes mea est, & anima justi sedes est sapientiæ.* Isa. 66. v. 1. Unde etiam *cœli enarrant gloriam.* Psal. 18. v. 1. Id est, Apostoli, & justi Evangelistæ, inquit S. Au-

gust. Animæ itaque justæ & virtuosæ, & Angeli sancti cœlum dicuntur, ut scribit Gabr. 2. quo sensu Hugo: *In cœlo* ait. *maximè habitare dicitur, quamvis sit ubiq; quia per cœlos intelliguntur Angeli, & homines justi; in quibus maximè Deus habitat*. ut in templo sancto suô, sibi specialiter consecrato: ut videbitur.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, ut tibi dignitas, & magnitudo, & excellentiæ festi hujus innotescat, quid per verbum Dedicationis, sit intelligendum. Dedicatio porrò propriè est destinatio, & consecratio specialis, quæ fit loci unius, antè profani, & usui cuivis applicabilis: ut de cætero soli divino cultui, & divinis servitiis Deo exhibendis destinetur; Hoc est, ad preces nostras divinæ majestati in eo offerendas, ad Deum laudandum & glorificandum cum Angelis, qui astant continuò ante Dominum. Ad res sacras ibidem peragendas, celebrandas, & distribuendas, ad omnia Religionis nostræ mysteria obeunda. Sacra hæc ceremonia Deo loca sacrandi suam ex antiquo testamento trahit originem, ubi Deus præcepit Moysi, ut ædificaret sibi tabernaculum, illudque cum omnibus in eo contentis utensilibus, consecraret: ut inquit, inde velut è medio, populi mei eorum preces exaudiam facilius, illisque omnes meas notas faciam voluntates, ut sciant, quid mihi acceptum sit omni tempore; *facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum, unde præcipiam, & loquar filiis Israël.* Et Dominus Salomoni: *Sanctificavi domum hanc, quam ædificâsti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

Exod. 25. v. 8.

3 Reg. 9. v. 3.

Ex his concludas, perspiciens evidenter, qua in veneratione sit festum hoc Dedicationis habendum, quo honore dies ille sit prosequendus, qui dies est, quo Deus dignatus est sumere Ecclesiæ hujus possessionem, suam in eâ mansionem facere, illamque constituere aulam suæ audientiæ, ut preces nostras, vota, & supplicationes audiat, & exaudiat, nobis ut loquatur, aures nobis loquentibus aperiat, orationes nostras non rejiciens, nos consoletur, confortet, instruat, nobis in medio altarium nostrorum media, & modos concedat, & suggerat, quibus dulci ejus præsentiâ frui possimus, omni tempore, ut in omni occasione, adversitate, & occurrentiâ, ejus auxilia, favores, & subsidia experientes agnoscere, verè dicere possimus, cum Patriarchâ Jacob: *Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli, & vocabitur Aula Dei.* Hujus Dominus apud Prophetam mentionem faciens: *Holocausta eorum, & victimæ placebunt mihi super Altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Hanc dignationem divinam admirans Salomon: *Si cœlum, & cœli cœlorum non te capiunt: quantò minùs domus ista, quam ædificavi? sed ad hoc tantùm facta est, ut respicias orationem servi tui, & obsecrationem ejus, & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te. Verè non est alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.*

Genes. 28. v. 17.

Isa. 56. v. 7.

2. Paral. 6. v. 18.

Deo gratias, quas potes, persolve maximas.

ximas, ob singularem bonitatem, misericordiam, & bonitatem suam. Et plenus admiratione dic, & exclama cum Salomone: *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram?*

PUNCTUM II.

CONsidera secundò: Cur Ecclesia voluerit annuatim renovari memoriam Dedicationis loci cujusvis, divinis Deputati servitiis & cultibus? Prima ratio fuit, ut omnis populus gratias ageret Deo pro summo, quem facit & exhibet nobis, honore, & beneficio, quòd dignetur in medio nostrî mansionem facere; quod Patriarcha Jacob agnovit, & confessus est. *Verè*, ait, *Dominus est in loco isto; & ego nesciebam*; pavensque: *Quàm terribilis est*, inquit, *Locus iste? non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Genes. 28. v. 16.

Altera ratio fuit: Ut nobis ob oculos poneret respectû & reverentiam, quam omnibus locis sacris & divinis servitiis deputatis debemus; Cujus ita facilè obliviscimur. Hæc porrò est vera Christiani Nota, Ecclesias & loca sacra, cum reverentiâ & devotione frequentare. Quemadmodum enim, qui Aulas frequentant, Aulicis exornati moribus, Aulici dignoscuntur; Et qui militiam sequuntur, militiaribus exercitiis addicti, milites dicuntur & sunt: Ita, qui Ecclesias frequentant Christiano more, & devotione, Christiani agnoscuntur. De Apostolis, post Christi ascensionem, legitur, quod, ingressi Jerusalem cum magno gaudio, *erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum*; Luc. 24. Act. 2. legitur, quòd *erant perseverantes in communione fractionis panis, & orationibus.* Actor. 2. Petrus & Joannes *ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Act. 3. Ita erant loca sacra Deo antiquitùs in reverentiâ & honore. Ideò non sine ratione conqueritur Origenes, Homil. de Rebeccâ, dicens: *Vix Festis diebus ad Ecclesiam*, inquit, *proceditis, Et hoc, non tam desiderio verbi, quàm solennitatis*; Christianos redarguens de suâ tepiditate, in frequentandis locis sacris, & illis reverentiam deferendo, debitam. Rationabiliter igitur Ecclesia ordinavit annuam memoriam Dedicationis cujusvis sacri loci: Ut omnibus innotescat, quàm deceat locis sacris deferre reverentiam & honorem. Tertia ratio fuit, ut in nobis, & in omnibus Christianis, renovetur memoria suscepti Baptismi, & in eo recepti effectûs sanctificationis, & spiritûs Christianismi nobis, per Ceremoniam Dedicationis Ecclesiarum, significati. Et ut non simus immemores, quòd, sicut hujusmodi loca, suâ Consecratione & Dedicatione, ab usu profano translata ad usum sacrum, de cætero tantùm servitiis divinis & cultui Religioso sunt accommodanda, & nequeant, sine magno sacrilegio, profanis applicari usibus: Ita etiam animæ semel, Baptismi susceptione mediâ, Deo dicatæ, & Trinitati sanctissimæ consecratæ, Filii Dei sponsæ effectæ, & Templa spiritûs sancti, non possunt, sine enormi sacrilegio & adulterio abominabili, se prostituere, & peccato consentire. Hoc ut præcaveamus, monet Apostolus: *An nescitis*, ait, *quoniam membra vestra Templum sunt spiritûs sancti, qui* 1. Cor. 6. v. 19.

Act. 7. v. 48. in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? *Deus, qui fecit mundum, &c. non in manufactis Templis habitat, sicut dicit Propheta: Cœlum mihi sedes est.* Sedes autem sapientiæ est anima justi. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Cor. 3. v. 17.

PUNCTUM III.

Considera tertiò: consequenter intentioni, Directioni, & Constitutioni Ecclesiæ conformiter, in Festivitate Dedicationis, quod Ecclesiasticos facere decet & convenit, ut se plenè, ex exigentiâ suæ conditionis & status, huic sanctæ Ecclesiæ intentioni, & placito conforment & accommodent: Bene considerandum est ergò, quòd primò oporteat eos magnum habere zelum, pro honore & reverentia Ecclesiis & & locis sacris debitâ, conservandâ & promovendâ, nunquam ex consuetudine, vel cum quadam inadvertentiâ, & præcipitatione, impetu velut quodam, impulsi, Ecclesias, & Deo sacrata loca, intrantes: verùm, magnâ cum advertentiâ & reflexione loci, quem ingrediuntur, in eo semper, magnâ modestiâ, hominis utriusque compositione religiosâ conversantes, ipso opere Laicorum irreverentias impediant; Opere & veritate illis innotescere faciant, locum illum esse terribilem, non duntaxat, ob summam Dei Majestatem, ibi residentem simul & præsidentem: verùm etiam ob justas pœnas, quas justè de illis sumit, qui hujusmodi loca sacra non debitâ frequentant reverentiâ. Ad quod ipse Dominus inducit & monet: *Pavete*, ait, *ad sanctuarium meum*. Et in Exodo: *Ne appropinques*, inquit Moysi, *huc: Solve calceamentum de pedibus tuis: Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Ob hoc Christus Dominus & Salvator noster ejiciebat vendentes & ementes de Templo. *Intravit Iesus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes, &c.*

Levit. 26. v. 2

Exod. 3 v. 5.

Matth. 18.

Secundò, Ecclesiasticis convenit vel maximè, & decet illos, renovare promissiones factas in Baptismate, in confirmatione, & in sacrorum ordinum susceptionibus; Dedicare se, & consecrare, affectu novo, novo spiritu, & intentione, Deo, & divinis servitiis, irrevocabili sui, & omnium suarum rerum donatione; Et, quantum in ipsis est, procurare idem in omnibus fidelibus; Animas illorum, quæ sunt vera spiritus sancti Templa, è tenebris ignorantiæ eripere, vero veræ fidei & sapientiæ introducto lumine, & à peccatorum sordibus omninò expurgare, nitore divinæ gratiæ medio.

Examina te nunc sine dissimulatione, ut res est, super omnibus defectibus, quos contra reverentiam & honorem, quem locis sacris, Templis Dei, & Ecclesiis debes, commisisti; Hos omnes, ut hoc sancto recurrente die Festo Dedicationis, emendes ac recuperes; omne meritum inde perditum, & gratias amissas, novo fervore, excitatus, reinvenire allabores; Veniam omnium tuarum infidelitatum, ingratitudinum & negligentiarum humilimè à Deo pete & efflagita. Animam tuam, ab omnium sordium & peccatorum pulvisculis, etiam levissimis, expurges, reparaturus in eâ locum dignum suæ divinæ Majestati, & acceptabilem habitationem,

Apostoli

Apostoli monitionem secutus: *Annon cognoscitis*, inquit, *Vos ipsos: quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis.* Et alibi: *Si quis*, inquit, *Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

2 Cor. 13. v. 5.

1 Cor. 3 v. 17.

SERMO LXIX.

PRO FESTO DEDICATIONIS.

De sanctitate Ecclesiarum.

I. Cur Ecclesiæ dictæ sint Domus & Tabernacula Dei?
II. Fructus ex hoc Dedicationis Festo eliciendi.

Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus! Apoc. 21. v. 3.

TAbernaculum non est diminutivum; sicut nec Cœnaculum. Est autem Tabernaculum tectum Castrense, quod veluti Taberna quædam sit; Et, ut S Hieronym. inquit, semper mutatur, & huc illucque transfertur. August. Tabernaculum Belli Res est: Unde Contubernales milites dicti sunt, tanquam simul habentes Tabernas. Est enim propriè pugnantium, & contra hostem militantium; quo sensu bene Templum Domus Dei, seu Ecclesia, dicitur Tabernaculum. Et hoc est duplex: unum, materiale, ex lapidibus, lignis, & aliis materiis constructum, ad Dei cultum, in orationibus, hymnis, canticis, & aliis divinis servitiis situm. Hujus meminit Psalmista: *Vox*, ait, *Exultationis & salutis in Tabernaculis justorum* quos nempe Dominus suscepit, ne caderent, factus illis in salutem. Ideò nubes illud operit. *Cunctis diebus, quibus stabat nubes super Tabernaculum, manebant in eodem loco:* Utpote firmi in se; Domino illos contra hostes firmante. Aliud spirituale, quod est cor humanum ad Deum Factorem suum conversum. Cujus meminit Apostolus ad Corinth. *Qui*, ait, *sumus in hoc Tabernaculo, ingemiscimus gravati, eò quod volumus expoliari.* De quo accipi potest & illud Apocalyps. *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis.* Ut illos suis auxiliis roborando, adhuc contra suos hostes pugnantes, contra Mundum, Carnem & Dæmonem, ut prævaleant, & fortiter pro suo tentorio Castrensi propugnando, certantes,

Psal. 117. v. 15.

Num. 9. v. 18.

2 Cor. 5. v. 4.

tantes, triumphantes, & victoriosos, coronâ militiæ cœlestis redimitos, in voce Exultationis & salutis, ad locum æternæ quietis & pacis perpetuæ Tabernaculum vocatos, aggregari faciat militiæ cœlesti, in Tabernaculis sanctorum, jucundâ æternitate recreandos, & jucunditate æternâ perfundendos æternaliter.

PUNCTUM I.

CONsidera primò: Cur Ecclesiæ Christianorum appellentur Domus, Tabernacula, & mansiones divinæ? Prima ratio est, quia, etsi Deus sit ubique, omnia, suâ immensitate implens, replens, & comprehendens, nullibi ipse comprehensus, ut ipsemet in
Ierem. 23. v. 24. scripturis sanctis asserit: *Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus*: Est nihilominus in locis sacris, sibi dicatis, & consecratis, modo particulari, & omninò singulari, debetque ibidem particulariter, reverentiâ honorari, recognosci & adorari. Ibique expectat à nobis sibi respectus debitos, vota, victimas, honores, quos illi debemus, vultque ut ibi præsentiam suam consideremus, specialiùs, preces illi fundamus devotiùs, illum attentiùs colamus, & omne genus servitiorum illi reddamus affectu humiliori, & mente exhibeamus puriori. De illo, ut ne in minimo dubitaremus, ipse
2. Paral. 7. v. 12. & seqq. nos certificavit: *Elegi*, ait, *Locum istum mihi in Domum sacrificii. Si clausero cœlum, & pluvia non fluxerit; & mandavero, & præcepero locustæ, ut devoret terram; & misero pestilentiam in populum meum; Conversus autem populus exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam: Et ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum. Elegi enim, & sanctificavi mihi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum.* Secundò adhuc Deus est ibi particulariori ratione. Ibi porrò divina conferuntur & administrantur Sacramenta. Ibi plenaria peccatorum fit remissio, & hominis cum Deo reconciliatio. Ibi Pater misericordiarum suum Filium prodigum & perditum expectat. Ibi videns illum longè, misericordiâ motus, occurrens, cadens super collum ejus, eum in osculo pacis, cum gaudio recipit stolâ primâ induit; dato in manum ejus annulo; & calceamentis in pedes ejus. Tunc dicit servis suis: *Adducite vitulum saginatum, & occidite; & manducemus &* Luc. 15. v. 23.
epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est. Verè equidem reviviscit, & invenitur, qui transit è peccato ad gratiam, è statu damnationis ad statum salvationis, factus ex servo peccati servus Dei, ex hærede inferni cohæres Christi. Ibi Deus loquitur nobis, & nos sibi loquentes audit, & orantes exaudit. *Oculi mei*, ait, 2. Paral. 7.
erunt aperti, & aures ibi erectæ adorationem ejus, qui in loco isto oraverit. Nemo v. 15.
ibi fraudabitur à desiderio suo, nihil non obtinere poterit; quia Domus mea, Domus non duntaxat orationis, sed & exauditionis, vocabitur. *Ubi fuerit cor-* Matth. 24. v. 28.
pus: Congregabuntur & Aquilæ. Eâ de causâ petit sibi Dominus Deus apud Prophetam Aggæum ædificari Domum, quæ ipsi sit acceptabilis, in quâ glorificetur. *Ascendite*, ait, *in montem, portate* Agg. 1. v. 8.
ligna, & ædificate Domum: & acceptabilis

bilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Ascendite in montem Libanum, inde *ligna* cedrina, & trabes exſcindite, & Jeroſolymam *deportate, & Domum* Domini, jam ſub Cyro fundatam *pergite ædificare*, & perficere: *Erit* illa *mihi acceptabilis*, & grata, & proinde orantes in eâ, vel verſus eam, ut olim promiſi, exaudiam, & ſic *glorificabor*, dum in eâ, magnificè colar, & ex eâ vobis gloriosè ſuccurram, & benefaciam. Ita omninò ſtatuit Deus, licet ubique ſit, ubique honorari, timeri, adorari & orari debeat: Vult tamen ſpecialiter id ſibi in Eccleſiâ, in loco à ſe ſibi, ad ſe laudandum, conſecrato & deputato, fieri. *Domus*, ait, *mea domus orationis vocabitur.* Ibi coli, ibi orari, ibi magnificari, & adorari vult. Ibi orantes vult exaudire, peccatores ibi juſtificare, roborare debiles, conſolari mœſtos, omnibus, ad ſe Ibi in ſpiritu humilitatis recurrentibus & perſeveranter orantibus, vult exauditionis gratiam præſtare. Ibi oculi ejus erunt aperti, & aures ejus erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit.

Luc. 19. v. 46.

PUNCTUM II.

CONſidera ſecundò: quos fructus & emolumenta elicere debeamus ex Dedicationis recurrente nobis feſtivitate. Primum quod Deo debemus, (ut illi correſpondeamus amori exceſſivo, quam nobis oſtendit, & teſtatur in eo, quòd ita nobis in Templis & Eccleſiis noſtris præſtò ſit, ſine intermiſſione paratus ſemper ſuccurrere) eſt, ipſum, quàm ſæpè poſſumus, in illis viſitare; in illis ipſum honorare, ipſum magnificare, adorare, & rogare. Noſtras illi manifeſtare neceſſitates, petere ejus auxilium, nos totos illi ex animo committere, omnem ſpem in illo collocare; fiducialiter, ad ipſum, ut ad Patrem miſericordiſſimũ, in omnibus recurrere. Cùm propter nos duntaxat ſpecialiùs in hujus modi locis ſacris oculi ejus, ſemper ad nos videndos aperti ſint & aures ejus ad nos audiendos & exaudiendos erectæ ſint. Ex quo alterũ ſequitur, quòd magnâ cùm reverentiâ, timore, & modeſtiâ, quis debeat in Eccleſiis ſe habere & converſari; illas adire tantùm ad Deũ laudandum, adorandum, & ſupremæ ejus Majeſtati debitos honores reddendos; quo ſpiritu Propheta ſemper Tabernaculum & Templum Dei frequentabat. *Introibo*, ait, *in domum, adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo.* In eo præceptum Domini adimplens, Levitici 19. *Sabbatha mea cuſtodite, & ſanctuarium meum metuite, ego Dominus.* Hoc alibi agnoſcens Regius Propheta, *Domum tuam*, ait, *decet ſanctitudo.* Eodem ſpiritu excitatus ſapiens monet: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei & appropinqua, ut audias.*

Pſal. 5 v. 8.

Levit. 19. v. 30.

Pſal. 2 v. 5.

Eccleſ. 4 v. 19.

Et tu nunc, quomodo intras domum Dei? quomodo in eâ permanes? quomodo exis? quâ ſanctitate, quâ cordis puritate, & quâ mentis intentione intras domum Domini? Quã animi devotione, qua corporis compoſitione, & populi ædificatione, in illa permanes? Et tandem, quo auctus merito, quo renovatus fervore, & quo proficiendi in bonis exis permotus propoſito? Hæc noli levi manu tranſire, ſeriò tibi recogitanda ſunt. Tertium, quod te facere oportet, eſt, ex corde & animo tuo, qui Tem-

plum spiritûs sancti esse debet, Et tibi domus orationis, exulare facere omnes deordinationes, distractiones, & quæcunque commercia, quæ cum quocunq; peccatorum genere habere posses. Dic cum Domino & Salvatore nostro Christo Jesu: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negociationis.* Verum est quidem, hæc Salvatoris verba, primò, & literaliter, intelligebantur de Templo materiali Hierosolymitano, in quo illæ deordinationes & negociationes contingebant: At mysticè, spiritualiter, & sensu altiori referebantur ad cor nostrum, quod Templum Dei esse debet, & spiritus sancti sanctuarium; Ex quo exulare debent omnia commercia, quæ intercedere possent cum carne, cum mundo, & cum Diabolo, in quovis genere peccati; & quicquid divinæ potest displicere Majestati, ut reddatur gratum & acceptum ad inhabitandum, ac ad omne in eo adimplendum Dei beneplacitum, sine impedimento ullo, vel minimo.

Joan. 2. v. 16.

Tuumne cor semper ita invenitur purificatum, omni ab illo exulante cogitatu maligno, ut sit Dei continuò beneplacitum, habitare in eo? mansionem facere in eo? & ab illo nunquam dimoveri? Vide, & bene animadverte, ne fiat aliquando spelunca latronum, id est receptaculum amorum inordinatorum creaturarum, quæ tibi rapiunt, furantur, & disperdunt, quæcunque habere deberes, Deo ut placeres, & illi unicè adhæreres, ac inhæreres, Unicè ut esses dilectus illi, & ipse tibi. Num ejus apud Prophetam querimonia in te cadat? considera: *Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in quâ invocatum est nomen meum?* Et apud Evengelistam: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Jer. 7. v. 11.

Vide nunc, in quibus horum omnium Deo exhibendorum servitiorũ defeceris? medelam de futuro ut adferas salutarem. Fac resolutionem firmam, & stabile propositum, omni conamine allaborans, ab hoc die, ab hac horâ, & momento, illud executioni, modo possibili perfectissimo, mandare, ut ab temporali & transitoriâ dedicatione transire tibi detur ad æternũ, & permanentem dedicationem, quæ solennizabitur perenniter, in magno illo æternitatis die. Quò tendunt omnes nostræ preces, laudes omnes, servitia universa, & omnes omninò affectiones, ac desideria.

Ah! quàm dilecta sunt ista Tabernacula! quàm fortunata est illa civitas, in cujus medio Deus pacis continuò videtur, sicuti est, omnia pacificans, quietans, & satians? *Ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus eum eis erit eorum Deus Templum*, ait Joannes, *non vidi in eâ: Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est Agnus.* *Apocal. 21. v. 3.* *Apocal. 21. v. 22.*

Urbs Jerusalem beata, dicta pacis visio, &c.

Verba hujus melliflui hymni singula, quodam sapore spirituali, mirificè tibi dulciscenti, degusta & decanta, totâ hæc decurrente octavâ, sintque materia tuarum meditationum & discursuum, quibus recreatus in spiritu, in hæc vehementissimi desiderii, cum Prophetâ, magno affectu & mente devotâ, suspirans, prorumpe verba:

Quàm dilecta Tabernacula tua Domine virtutum concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. *Psal. 83. v. 2.*

SER-

SERMO LXX.

PRO FESTO SANCTORUM PATRONORUM IN GENERALI.

De modo, bene illorum Festa celebrandi.

I. Cur omnes Ecclesiæ sunt Deo consecratæ, sub Invocatione alicujus Sancti?
II. Quantum intersit, sanctis Patronis devotum esse?
III. Servitium, & obsequium, quod illis reddere debemus.

Hic est Fratrum amator, & qui multum orat pro populo, & pro universâ sanctâ Civitate, 2. Machab. 15. v. 4.

SAncti in cœlo regnantes, non cedentes in charitate Apostolo adhuc viatori, qui cupiebat, anathema esse pro
Rom. 9. v. 3. fratribus suis: *Optabam enim*, ait, *Ego ipse anathema esse a Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, secundùm carnē*; solliciti de bono, salute, profectu, & commodo fratrum suorum, in spiritu, secundùm generationem in Christo Jesu spiritualem, quâ mundantur & rege-
Eph. 5. v. 26. nerantur, *per lavacrum aquæ in verbo vitæ*, assiduè in conspectu divinæ Majestatis assistentes, pro illis interpellant & supplicant, ut à malis præserventur, & in bonis proficiant & conserventur; Illorum necessitates, pericula, orationes & suspiria optimè cognoscentes; vel per intuitum essentiæ divinæ, in quâ omnia, velut in speculo voluntario, quæ ad se spectant, clarissimè vident, Joan. 3. *quod* Ioh. 3. v. 11.
vidimus, testamur, &c. Vel per specialem revelationem, vel relationem An- Daniel. 10.
gelorum ultrò citroq; commeantium, v. 14.
vel per propriam notitiam & Inspectionem illi statui convenientem. Cur enim statui illi non concederetur talis modus, cognoscendi necessitates sibi specialiter commissorum, vel se interpellantium; quales sunt Ecclesiarum patroni electi, qui illis præsunt, & maximam curam, illarum, & hominum viatorum ad illas spectantium, habent? út eruitur ex scripturâ: *Qui vicerit, & custodierit opera* Apocal. 2.
mea usq; in finem, Dabo illi potestatem 26.
super gentes, & reget eas in virgâ ferreâ; sicut & ego accepi à Patre meo; Hoc re-

promisit Princeps Apostolorum, *Dabo operam frequenter vos habere post obitum commendatos*, Meritò ideò à nobis invocandi. 2. Petr. 1. v. 15.

Ad aliquem sanctorum convertere. Recordare Domine, Abraham, Isaac & Iacob, servorum tuorum. Ite ad servum meum Iob: Ipse orabit pro vobis: Faciem ejus suscipiam. Obsecro vos, ait Apostolus, *ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Sancti ergò, jam in cœlo regnantes, orant pro peregrinantibus adhuc in viâ, & maximè pro sibi commissis specialiter, quales sunt omnes degentes in Ecclesia, patrocinio certi sancti commissâ. De quo verè verificatur Thema sermoni præfixum: Iob. 5. v. 1. Exod. 32. v. 13. Ioh. ult. v. 8.

Hic est fratrum amator, & qui multum orat pro populo & pro universâ sanctâ civitate; Ut decursus dicendorum declarabit.

PUNCTUM I.

Considera primò, quod Deus non contentus, quod ipsemet indudus vestimento nostræ humanitatis, & mortalitatis contentus velamine, inter homines conversatus, ut illis esset Archetypon & Exemplar, visibile, & infallibile omnigenæ virtutis; non contentus, quod Angelos suos nobis dederit, ut nobis ductores, directores & Doctores forent in viâ salutis, ac assignaverit patronos ad imitandos, in Baptismate nobis nomen sancti alicujus imponens; Voluit ulteriùs, ut quævis Parochia, quævis Ecclesia, & quodvis sacellum particulâre, suum particularem haberet sanctum patronum, qui foret protector omnium hominum, tali in Ecclesiâ, seu parochiâ degentium. Eorum esset Intercessor, Advocatus, & Mediator apud Deum, & divinam Majestatem; Et cujus actiones, vita & conversatio illis foret directio & Regula, secure pertingendi ad beatitudinem, ac æternam adipiscendi salutem. Hujusmodi sunt functiones præcipuæ, officia, & actiones, quas sancti patroni subeunt, & exercent pro suis clientibus peculiariter sibi commissis. Ita S. Petrus continuam sollicitudinem & curam Ecclesiarum, Deo, sub suo patrocinio, consecretarum, habet. Ita S. Nicolaus de suis cogitat, illis subvenit, pro illis interpellat. Et cæteri Ecclesiarum patroni, in nullo, suo muneri, Advocati, Protectoris & Patroni desunt, suorum causas omni agentes curâ & sollicitudine. *Fidelis planè*, ait, S. Bern. *Et potens Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, sed divinam in eo reverentur homines Majestatem: Opus est mediatore ad mediatorem istum.* Quo sensu loquitur Moyses filiis Israel: *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos, ut annunciarem vobis verba ejus.* S. Bern. de verbis Apocal. signum magnum. Deuter. 5. v. 5.

Hic nos charorum parentum, fratrum, filiorum numerus expectant; de suâ immortalitate securi, de nostrâ salute sunt solliciti. S. Cyprian. L. de mort.

Admirare summam Dei bonitatem, misericordiam immensam, & infinitam charitatem, qui tibi tot media Excellentissima, salutis tuæ negociandæ, dat. Dat tibi ad hoc cœlum; dat terram, & terrena universa subjecit sub pedibus tuis, dat tibi suos Angelos; Dat tibi omnes sanctos, & cives Jerusalem cœlestis; Dat tibi seipsum; *Omnia vestra sunt:* Omnia

Omnia hunc in finem, ut Christi sitis, ut Dei sitis, ut sancti sitis, ut vitam & salutem habeatis.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò ex præmissis: Quantum intersit, conveniat, & importet celebrare bene, & ut deceat, Festum patronorum nostrorum, illos speciali prosequi devotione; honore & reverentiâ, illos prævenire, sese illis fiducialiter & confidenter committere. Cùm illi sint, qui pro nobis multum orant, sese opponentes flagellis, minis, & punitionibus nobis imminentibus, nos contra nostros hostes, visibiles & Invisibiles defendunt. Nos, ut Patres amantissimi, fovent, docent, & instruunt nos, ut pædagogi diligentissimi; nos, per omnes hujus vitæ & peregrinationis vias, deducunr & dirigunt, ut expertissimi viatores; & tandem, in ultimo certamine & agone, assistunt Nobis, nos animant, nos roborant & defendunt, ut fidelissimi propugnatores, commilitones, & defensores. Vellemusne tantum salutis nostræ assequendæ negligere medium? Tantam nobis oblatam gratiam, tutissimè ad portum vitæ securè pertingendi, rejiciemus? Non jam omnem impendemus laborem, ad debitè, &, ut par est, celebrandas festivitates sanctorum patronorum nostrorum, à quibus tanta bona recipimus & expectamus? Non omni illos devotione, reverentiâ, & dilectione prosequemur, ut illorum apud Deum suffragia, preces & auxilia, omni tempore, occurrentiâ, & occasione, opportunè experiamur? Si enim tantum oratio justi viatoris assidua valet apud Deum: quantum valebit oratio sancti & comprehensoris? Ob hoc hortatur scriptura, ut oremus pro invicem ad salutem assequendam. *Orate pro invicem, ut salvemini: Multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram; Et non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit: & cœlum dedit pluviam; & terra dedit fructum suum.* Iacob. 5. v. 16. & seqq.

His itaque bene consideratis, si desideremus Protectorem: Ubi inveniemus potentiorē, quàm in cœlo? Si consiliarium exoptamus, qui nos in nostris dirigat negociis, & maximè salutis, ubi sapientiorem reperiemus? Advocatum si requiramus: Ubi elequentior aut expeditior est reperibilis? Egemus amico fideli & constanti: Ubi constantior & fidelior amicus dabitur nobis? Cùm ergò hunc nobis sanctum Deus, suâ singulari providentiâ, dederit Protectorem, Consiliarium, Advocatum, & amicum; Ut talem omni observantiâ, devotione, & reverentiâ recipiamus, honoremus, colamus, & amemus, ipsi nos totaliter & cordialiter committentes;

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò: quid? & quantum his sanctis Patronis, sub tali qualitate, debeas & obligeris? Primum, quod illis debes, est, illos amare, & summè revereri. Alterum est, ut magnam ad Illos habeas confidentiam, in omnibus tuis necessitatibus, afflictionibus, & difficultatibus, ad illos fidenter recurrens, illis

tuas omnes actiones recommendans, non immemor, quòd sancti in cœlo omnia perfectè cognoscant, quæ statum illorum concernunt, & per consequens, quæcunque illis à Deo commissa sunt; & eorum subjecta potestati ac directioni; quòd maximâ in nos charitate ferantur; nos cupientes avidè in omnibus adjuvare, sintque maximâ in æstimatione apud Deum, & potestate, ut possint, quicquid voluerint. Unde bene S. August. *Non transeunt, eorum*, inquit, *interpellationes, nisi cùm transit gemitus noster.* Dum ergò ad illos ingemiscimus, pro nobis, ut impetremus, quod petimus, quod nobis necessarium est, & salutare, interpellare non cessant. Audiunt & intelligunt gemitus nostros, nostras deprecationes, suspiria nostra, Juxta S. Gregor. testimonium, *Quid de his, quæ scienda sunt, nesciunt*, inquit, *qui scientem omnia sciunt?* Tertium est, illos imitari, quàm perfectissimè possumus; Ob hocque inquirere, quid fecerint illi? quaq; vitæ degendæ usi sint consuetudine? Verbo Domini monitivo simul & præceptivo conformiter: *Aspice, & fac secundùm Exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Memor esto verbi Apostoli ad Corinthios: Imitatores mei estote; sicut & ego Christi. Ecce Regula, qua uti debes, ne erres! Ecce via, quam ambulare debes, ne devies! Cupis gaudere Sanctorum patrocinio? Considera S. Augustini doctrinam: *Debent*, ait, *aliquid de suis virtutibus in nobis recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare.* Quartum est, illorum Festum, ut oportet, sanctificare, celebrare, & honorare; ab omnibus abstinendo deambulationibus, ludis, societatibus, mundanis, & aliis omnibus divertimentis, seu diverticulis impertinentibus; Deo ut vaces, conciones audiendo, sacramenta frequentando, & opera alia bona exercendo, quæ tibi pietas, timor & amor Dei suggerent. Scias enim certè, & nullâ ratione dubites, juxta testimonium S. Ildef. *Non tantum illis prodest nostra laudatio, quàm nobis, ejus imitatio: Vera laudatio cordis, imitatio est operis.* Et, si sis Ecclesiasticus, abusus impedire, qui sæpe committuntur in locis publicis, in Festivitatibus sanctorum patronorum, ut: saltus, clamores, inordinatos excessus, superstitiones, nundinas, & negociationes publicas, quæ facilè inter homines serpunt paulatim, & invalescunt in populis. *Valdè* enim *absurdum est, nimiâ saturitate velle honorare martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis*, inquit S. Hieronymus. Vide nunc, & bene considera, quomodo antehac tuos sanctos honoraveris patronos? quomodo illis, quod debebas, reddideris? sive illi, cujus gaudes nomine? sive illi, in cujus Parochiâ seu Ecclesiâ regeneratus es in lavacro aquæ & verbo vitæ? sive illi, cujus festivam celebras festivitatem? In quo illos imitatus es? In quo illis conformaris?

S. Aug. in Psal. 85.

Exod. 25. v. 40.

Aug. serm. 30. de sanctis.

S. Ildef. serm. 2. de Assumpt.

Animadverte tuos in omnibus defectus; Imperfectum tuum videant oculi tui, & tollatur, emendatione sincerâ, ne appareat suo tempore in oculis Dei, severâ puniendum animadversione. De cætera autem tuâ emendatione hos tuos Patronos coneris lætificare, & conversione sincerâ recreare, quos tuâ malâ anteactâ vitâ, & conversatione inordinatâ, quantum in te fuit, contristâsti,

tristitiæ capaces si forent: Ergò, quantum illis tuis anteactis deordinationibus detraxisti, tantum de futuro, tuis laudabilibus & in meliùs mutatis moribus, coneris eorum beatitudinem, gloriam, & magnitudinem, accidentali quadam, & gratâ illis, gaudii & gloriæ accessione, in recognitionem omnium in te collatorum beneficiorum, augmentare. In omnibus, ob singularem, quam tui suscipiunt, curam, illorum intendas augere honorem, ac specialem in populis excitare in eos, & conservare devotionem: *Filius enim sapiens lætificat Patrem*: Proverb. 10. v. 1. Quod & petit à Philippensibus, Apostolus, dicens: *Implete gaudium meum*, Philipp. 2. v. 2.

SERMO LXXI.

PRO QUATUOR TEMPORIBUS.

De modo bene quatuor Tempora transigendi.

I. Cur Ecclesia quatuor instituerit tempora? Et quid sint?
II. Quantum Ecclesiasticis intersit, quatuor Tempora bene impendere?
III. Quid illis Temporibus eos facere oporteat, ut intentioni sese conforment.

Hæc dicit Dominus: Jejunium primi, & jejunium quarti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras.
Zach. 8. v. 19.

S. Bon. Diæt. salut. tit. 2. cap. 6. JEjunium triplex in sacro Eloquio commendatur: scilicet bonum, melius, optimum. Bonum est, quando quis jejunat ad honorem Dei. Optimum est, quando quis jejunat cum exercitio boni operis. Bonum igitur dicitur, quando quis jam post mortem peccati, per contritionem & confessionem, resurrexit, & in charitate existit, & jejunat pro peccatis, quæ fecit: Si autem charitatem non habet, bonum amittit, quod habet, quia dicitur: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam charitatem autem non habeam: nihil prodest. Offert enim quasi cadaver mortuum* Deo, qui 1 Cor. 13. jejunat in peccato mortali: Cùm debeamus *Deo offerre corpora nostra hostias viventes.* Ob hoc monet Christus; *Tu au-* Rom. 12.

Matth. 6. tem, ait, *cùm jejunas, unge caput tuum.* Scilicet, ait S. Bonaventura: Oleo virtuosæ compassionis. *Et faciem tuam lava.* Aquâ lacrymosę contritionis. Deo jejunat, qui pro ejus amore se macerat, & qui, quod sibi subtrahit, pauperibus Exod. 24. elargitur. *Optimum jejunium dicitur: Quando homo exterior jejunat, & homo interior orat*, ait S. Isid. Jejunium tale laudabile & meritorium: Et illo satisfit præcepto jejunii. Jejunium bonum significatur per jejunium Moysis; Jejunium melius significatur per jejunium 3. Reg. 19. Eliæ, *qui ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Jejunium optimum significatur per jejunium Christi: *qui, cùm jejunâsset quadra-* Matth. 4. v. 2. *ginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Hos antesignanos in jejunando habemus. Hos in nostris jejuniis imitari non pigeat, si illis in præmiis associari non dedeceat. Hæc siquidem sunt jejunia, quæ elegit Dominus. Ut latiùs ex subjectis videbitur.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: quod ex magno numero finium Excellentissimorum, quos Ecclesia habuit in institutione jejuniorum quatuor temporum, duo inveniuntur principaliores. Primus est, ut Christiani, examine & reflexione præviâ factâ super tres menses, qui ab unis quatuor temporibus usque ad alia fluunt, tria referant & offerant jejunia, Eleemosynâ & oratione. Concomitantibus, ad Deo satisfaciendum pro defectibus, peccatis, & excessibus, dictis tribus transactis mensibus. *Bona est*, Tob. 12. v. 8. Archangelo teste, *Oratio cum jejunio & Eleemosynâ, magis, quàm thesauros auri recondere.* Finis alter, quem habet Ecclesia, in institutione jejuniorum quatuor temporum, est, propter ordinationem Clericorum, quæ fit illis quatuor temporibus. Apostoli porrò, cæterique Seniores Ecclesiæ jejunârunt, quando jejunare & ad prædicandum mittere voluerunt discipulos Christi; ut habet verbum Domini: *Ministrantibus autem* Actor. 13. v. 2. *illis Domino & jejunantibus, dixit illis spiritus sanctus, Segregate mihi Saulū & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Hujus consuetudinis Ecclesiæ fit mentio, Cap. ordinationes 75. *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus &; Diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis jejunio septimi, & decimi.* Et Cap. 2. dist. ejusdem. *Ordinationes presbyterorum Levitarumq; tempore congruo, multis coram* Dist. 75. Cap. 3. *astantibus solenniter agite, & probabiles, ac doctos viros ad hoc opus provehite; Ut de eorum societate & adjumento plurimùm gaudeatis.* Hic est finis Ecclesiæ in institutione jejunii quatuor temporum, ut illô mediante idonei Ecclesiæ Ministri à Deo impetrentur. Si enim in rerum temporalium instituendis Administratoribus, summa circumspectio adhibetur, ut fideles inveniantur: quantò magis adhiberi debet deliberatio in instituendis Ministris rerum spiritualium. Et, si in eligendis pecorum pastoribus cura adhibetur: quantò magis in animarum curatoribus & pastoribus constituendis magna cura & diligentiâ adhibenda est? Consilio Jethro sacerdotis Madian,

Madian, Moyses usus humiliter, *elegit*
Exod. 18. v. 21. *Iudices viros potentes & timentes Dominum, in quibus erat veritas, & qui oderant avaritiam. Congregati sunt omnes*
1. Machab. 9. v 31. *amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ. Ex quo frater tuus Iudas mortuus est, similis non est ei; Nunc itaq; te eligimus hodie pro eo esse nobis Principem & Ducem, ad bellandum bellum nostrum. Sermo, quem di-*
Act. 6. v. 5. *xerunt Apostoli, placuit omni multitudini, & elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & spiritu sancto.* Meritò itaque Ecclesia universa, orationibus & jejuniis intenta conatur divinum favorem, & gratiam sibi conciliare, & Deum, ac Salvatorem Christum Jesum, qui est Pastor Pastorum, rogare ac supplicare, ut dignetur idoneos fideles, operarios, & bonos pastores Ecclesiæ suæ mittere, & præficere, utque in hujusmodi Electionibus & promotionibus quæratur duntaxat gloria Dei, & ædificatio proximi. Hoc suadet ipsemet Christus apud Mat-
Matth. 9. v. 38. thæum. *Rogate*, ait, *Dominum Messis, ut mittat operarios in Messem suam.*

PUNCTUM II.

CONsidera secundò: quantum consequenter intersit Ecclesiasticis, hos quatuor Temporum dies jejuniorum bene impendere? Non ex eo duntaxat, quòd eos oporteat reparare omnes defectus & excessus, totâ trium elapsorum mensium revolutione, commissos, contra Deum, contra semetipsos, & contra proximum, sive in suis functionibus & Ministeriis, aut aliter in aliis intercurrentibus incidentiis & occasionibus: Verùm magis, & principaliter, ex eo, quod zelo ardentissimo disciplinæ Ecclesiasticæ redintegrandæ, conservandæ, & promovendæ, ardere debeant; quod nullo modo fieri aut contingere potest, quàm per exactam & rigorosam optionem & electionem personarum, ad statum Ecclesiasticum, quæ vero spiritu Ecclesiastico excitatæ & animatæ; capaces sint, & quærant sincerè Ecclesię servire, Deo obsequium præstare, & proximo vitæ, verè Christianæ, exemplum dare; Quam electionem facient, & facere hisce quatuor Temporibus Episcopi debent, ut veri dispensatores Mysteriorum Dei. Quo sensu Apostolus, *sic nos*, inquit, *existi-* 1. Cor 4. v. 1.
met homo, ut Ministros Christi, ut dispensatores Mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelelis quis inveniatur. Simili modo monet suum discipulum Timotheum, *Sollicitè*, ait, *cu-* 2 Timoth. 2. v. 18.
ra teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. In quo Episcopi, in quatuor Temporibus, dum Dei & Ecclesiæ Ministros eligunt & consecrant. maximè attendere & intendere debent, ut dignè & rectè tractantes verbum Dei, tales eligant & consecrent, qui sint, in eo, & illorum imitatores; Quod & adjungendum fuit vel maximè; Quia nulla quatuor tempora transeũt, in quibus quidam vel primâ tonsurâ mediâ, nõ transeant in sortem Domini, illi peculiariter servituri; vel minoribus non initientur, vel sacris ordinibus omninò consecrentur Domino, renunciantes omninò seculo; Quod est causa legitima specialis instituendæ Festivitatis & jejunii pro illis servandi. *Dona Dei*, S.

Bernardo monente, *debita gratiarum actione non frustrentur, non gaudia, non pusilla. Nunquid non perit, quod datur ingrato?*

Verùm enimverò, si Judæi tantâ sollicitudine & curâ gratias sibi factas recognoscebant, quæ ordinaria & temporales erant, ut illas super fores domuum, & super vestes proprias scriberent, ut quivis de illis testimonium reddere posset. Quam illi nos recognitionem, & gratiarum actionem reddere possumus, ob spiritualem potestatem, & gratiam planè divinam, quæ in ordinationibus, pro totius Ecclesiæ bono, conferri consuevit? Ecclesia universa hanc gratiarum actionem agnovit ita justam, quòd ordinaverit, ut pontifices & Episcopi suæ servarent ordinationis anniversarium, ut tanti sibi exhibiti semper recentem haberent memoriam beneficii.

PUNCTUM III.

CОnsidera tertiò: Quid Ecclesiastici illo tempore facere debeant, se ut Ecclesiæ conforment intentioni? Primum, quod eos facere oportet, est inquirere, examinare, & perpendere omnes à se commissos defectus, errores, & culpas, tribus præcedentibus mensibus, in suis functionibus & Ministeriis Ecclesiasticis; ad illas, medio jejunio, & orationibus eum in finem ordinatis, & applicatis, expiandas, & omninò tollendas. Alterum est, spiritum sanctum invocare ferventer, aut aliquod pium opus, Deo acceptum, exercere: Ut Episcopis inspiret & aliis examinatoribus, quatenus Ecclesiæ provideant de qualificatis personis Ecclesiasticis, in decorem domûs Dei, & gloriam Salvatoris nostri Jesu, qui *constitutus est caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Eph. 5. 1. v. 23. *Multi ædificant parietes,* ait S. Hieronym. *& columnas Ecclesiæ substruunt, Marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur: At Ministrorum Christi nulla electio est.* S. Hieron. ad Nepot. Huic S. Ambrosius subscribens, *Magnâ* inquit, *Cura eligendus, qui domum Dei regendam accipiat: Si enim terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt: quantò magis cœlestium?* Tertium est, ut in referendis Deo gratiis assiduè versentur; Quod illis tali tempore, & occasione, suo singulari favore, hujusmodi contulerit prærogativas & sacros, quos receperunt, ordines; humilimè & instantissimè rogantes, ut suum in illis innovet & renovet spiritum Ecclesiasticum, & gratias ut multiplicet, quibus adjuti, potestate sibi collatâ, in bonum totius Ecclesiæ, & in majus suum meritũ, nunquã abutantur, verùm magis illis dirigantur, excitentur, & inducantur, in omnem veritatem faciendam, & voluntatem Dei adimplendam, Deum in omnibus honorificantes, & Ministerium suum non despicientes. Hoc est, ad quod suum charissimum discipulum hortatur Apostolus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* 2. Timoth. 1. v. 6. Et alibi: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per* 1. Timoth. 4. v. 14. *Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.*

Hanc ingrediaris & ambabus amplexaris manibus praxin, non duntaxat

hisce

hisce quatuor Temporibus: verùm etiam omnibus futuris Temporibus; Ut à Deo bonos impetres Ecclesiasticos, qui, spiritu suæ sanctæ vocationis animati, suo conformiter viventes statui, tuos suppleant defectus in omnibus. Ad hoc te Christus hortatur: *Rogate*, ait, *Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*; Matth. 9. v. 38.

SERMO LXXII.

PRO FESTO TRANSLATIONIS RELIQUIARUM.

Sancti Nicolai Episcopi Myræ.

I. Motiva, Reliquias sanctorum honorandi.
II. Abusus in illo vitandi.
III. Quem fructum inde haurire debeamus?

Erit sepulchrum ejus gloriosum, Isaiæ, 11. v. 10.

UT sancti in vitâ, gratiâ Christi adjuti, Christi Imitatores sunt in omni virtutum genere, *adimplentes ea, quæ desunt, passionum Christi*; cum Apostolo: *in carne suâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia*; Communicantes passionibus Christi, ut & glorificationum ejusdem participes effecti, illi omninò in omnibus, quantum fas est, conformentur; Ita & in morte ab eo non separati, in omnibus Christi & Salvatoris communicant honoribus, Ut, quod de Christo dicitur, de illis & participativè dicatur. Hæc est enim gloria sanctorum Christum imitantiũ, ut sicut illum dilexerunt in vitâ suâ, Ita & ab eo nec in morte separentur. Porrò Principis hujus & Regis Gloriæ non sola vita, (quam nobiscum, dum visus est in terris & cum hominibus, homo factus, conversatus est) fuit perillustris, Gloriosa, & admirabilis, sed & sepulchrum fuit gloriosum; Juxta verbum Domini per Prophetam: Et *sepulchrum ejus erit gloriosum*. Hebraicè & Græcè: *Erit requies ejus gloria*. Unde inquit Tirinus in hunc locum: sepulchrum hîc non tam locum significat, in quo positum fuit cadaver, seu, meliùs, corpus Christi, quàm ipsam mortem, dormitionẽ, seu requiem, quæ fuit causa sepulturæ. Mors quippe gloriosissima accidit, quâ, ut Triumphator Goriosus

Coloss. 1. v. 24.

Isaia, 11. v. 10.

Gloriosus inimicos suos, & ipsam mortem superavit. Anima enim ejus, simul ac expiravit, victrix apud inferos triumphavit: Et corpus honorificentissimo conditum est sepulchro, Angelorum præsentiâ & custodiâ, ut dignum erat, honoratum. Ita & sancti, imitatores, & amici Dei, quorum mors gloriosa est in conspectu Dei; Juxta Prophetam: *preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*; Ergò & hodiernâ die illud Prophetæ, aliâs soli Christo antonomasticè, & primariò applicandum, non incongruè, secundariò, & participativè, S. Nicolao applicabatur; Cujus vita, multis nobilitata virtutibus & miraculis, vitæ Christi conformissima, & mors preciosa in conspectu Domini extitit, nec sepulchrum difforme esse debuit. Optimè ergò de illo verificatur: *Erit sepulchrum ejus gloriosum*; Ut decursus dicendorum ostendet.

Psal. 115. v. 5.

PUNCTUM I.

Considera primò: Invitari nos à Deo ad hanc devotionis hujus praxin, infinitis miraculis & portentis, quæ dignatus est meritis & intercessione, ad sepulchra & sanctas reliquias servorum suorum, patrare & ostendere. Hæc luce meridianâ clariùs videmus & experimur certissimè, ad sepulchra SS. Martyrum, confessorum, & aliorum, quæ sunt, ut Concilia loquuntur, Fontes salutares, quos Dominus & Salvator noster Jesus Christus nobis misericordissimè reliquit: Ex quibus defluit omnigena consolatio in nostris sublevandis infirmitatibus, miseriis, & necessitatibus; Ibique invenimus scaturiginem omnis dulcedinis, quæ sanat morbos, cœcis visum reddit, tristitias dissipat malignas, tentationes superat, & omne malum depellit, virtute Christi Jesu, quæ in illis remanet. *Corpora sanctorum in pace sepulta sunt. Si opem ferre poterat umbra corporis Petri: quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis: quantò magis nunc gratia permanentis?* Illud vidimus in translatione sacrarum Reliquiarum sancti Stephani, primi Martyris; Et deinde, in S. Nicolai, Myrâ in Lyciâ Barium in Apuliâ translatione, patuit; unde oleum preciosum defluxit, cujus virtutum experimur in omni genere infirmitatum & morborum, si illi verâ fide utamur; In quo verificatur, quod canit Ecclesia:

Eccles. 44. v. 4.

S. August. serm. 29. de Sanct.

> *Ad sacrum cujus tumulum frequenter*
> *Ægra, quæ passim jacuere, membra,*
> *Viribus morbi domitis, saluti*
> *Restituuntur.*

Et illud Psalmi: *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*; Ex quo jam haud dubitare possumus, quòd Deus, juxta verbum suum, honoret cineres & ossa servorum suorum, qui fuerunt viva membra filii sui, & Templa animata spiritûs sancti; *Custodit Dominus omnia ossa eorum: Unum ex iis non conteretur*: Ex eodem motivo & principio dubitare non debemus, quòd suos Deus deputaverit Angelos ad S. Catharinæ corpus sepeliendum; Et, quòd luminaribus miraculosis corpora sanctorum honorat & manifestat, ut non permaneant in obscuritate sepulturæ communis & indecentis; Utque discamus, illa

Psal. 33. v. 21.

illa venerari, ob bonum corporum & animarum nostrarum, quarum salutem nos maximè quærere debemus.

O optime Deus! si tot nobis beneficia præstas & exhibes, ratione reverentiæ & honoris exilis, quem hisce sanctorum Reliquias inanimatis exhibemus: Quales præparabis gratias illis, qui se Imitatores exhibebunt harum sanctarum & magnanimarum animarum? *Ex contactu cadaveris Elisei Prophetæ mortuum suscitantis.*

S Clemens, lib 8. const. cap. 29. 4. Reg. 23.

Secundò: Cultus sanctarum Reliquiarum in usu fuit antiquis retrò seculis, Conciliorum ordinationibus & Decretis confirmatus, & praxi communi sanctiorum personarum, omni revolutione seculorum posteriorum, continuatus & roboratus. Exemplū S. Caroli Magni hoc in puncto bene ponderandū est, maximi utpote ponderis & momenti, quod in ejus vitâ videri potest.

Tertiò: sancti regnantes in cœlo, gloriâ & honore coronati, hunc sibi jure honorem deposcunt à nobis: Cùm illi nostri sint in cœlo, Protectores, & omnium vivorum, & viatorum Advocati, & Patroni apud Deū; illud videmus in exemplo Magni S. Dionysii Apostoli Franciæ, S. Sebastiani, S. Mauritii, & aliorum, qui petierunt honorabilem sepulturam. Primus petiit à Dagoberto, secundus â Lucinâ, tertius ab Avita,

Tandem hoc est medium, præstantissimum, ut illorum quis subveniatur intercessionibus, auxiliis juvetur, & sublevetur favoribus. Cùm enim charitate sint repleti perfectâ, & consummatâ, affluentissimè, simul & abudantissimè obsequia etiam minima, à nobis sibi præstita, recpompensant, & recognoscunt, reddentes mille pro uno, & pro decem centū millia, ac supra numerū, dū eorum sanctas & venerabiles reliquias, illas trāslationibus magnificis, & honorificatis ad loca decentiora deferentes, veneramur, & gloriosis prosequimur laudibus, & honoribus debitis exornamus, nostram suis orationibus ferventissimis excitant devotionem, nostros Deo repræsentantes illis exhibitos honores, nostros gemitus offerentes, & preces exoptantes ut simus, sicut ipsi, viva holocausta ante faciem Dei in omnibus, & super omnia Deo placentes. Ob hoc sanctus Ambrosius: *Honoremus*, ait, *beatos Martyres, Principes fidei, intercessores mundi, Præcones regis, cohæredes Dei. Sanctorum memoria est ad virtutem via, & sanctificationis stimulus.*

Serm. 92. S. Anton. in ejus vita.

Deum summa adora mentis humilitate, qui ita mirabilis; & admirabilis est in sanctis suis, Omnes ad idem excita, clama, & exclama cum Propheta: *Magnificate Dominum meum, & exaltemus nomen ejus.* Teipsum ad pedes immensæ ejus Majestatis prostratus, confunde, erubesce, de tantâ socordiâ, & tepiditate in bono. Disce te sanctificare. Væ illi, qui, tot exemplis pietatis visis, & posthabitis, nullum sentit affectum, & inclinationem, nisi ad vanitatem.

Psal 33. v. 4.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quantum Deus, & sancti ejus maximis inhonorentur abusibus, qui hisce diebus, occasione sacrarum Reliquiarum, videntur, & contingunt. Et qui arescere faciunt fontes, & scaturigines benedictionum, gra-

tiarum, & divinorum charismatum. Hi abusus fiunt, quando sanctæ reliquiæ reponuntur, & conservantur in locis in, decentibus, seris; & repagulis non clausis, & firmatis, vel sub custodiâ personarum sæcularium tantùm servantur, vel in domibus particularibus, sine Episcoporum licentiâ, & permissione, vel exponuntur, priusquam sint recognitæ, & approbatæ ab ordinariis, vel continuò relinquntur, expositæ sine respectu, reverentiâ, & honore debito, in altaribus, dum sanctissimum sacramentum patenter est expositum, sine lampade, vel cereo ardente; est & abusus maxim⁹, permittere, imò & procurare, ut deportentur per laicos, albis, aut pluvialibus indutos, maximè in publicis processionibus, contra Ecclesiæ ordinationem, quæ vult, & mandat, ut exponantur, per Presbyterum, vel Diaconum, stolâ, & superpelliceo indutum, & in processionibus, per Episcopos deferantur, aut, illis deficientibus, per præcipuos, & primarios ex Clero, Dalmaticis, vel pluvialibus, exornatos. In eo mandatum Domini servandum est: *Iustè*, ait, *quod justum est, persequeris.* *Non ululatus, non planctus, qui inter sæculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguis diversis examina concrepabant, translataq; Episcoporum manibus, & cervicem secretò subjicientibus, cùm alii Pontifices, lampades, aliosq; cereos præferrent, alii choros psallentium choros ducerent, in media Ecclesia speluncæ salvatoris est posita.* Pariformiter abusus est, immò peccatum grande, sanctas Reliquias exponere ad lucrum, & convertere fidelium eleemosynas in comessationes, in exorbitantes recreationes, & convivia inordinata; aut ad usus profanos, per avaritiam sordidam, loco, quòd ordinari debeant ad Ecclesias exornandas, ad sanctorum thecas, ac reliquiaria decoranda. Reliquiæ quoque, sine ordinariorum permissione, ad infirmos deferri non debent, vel officium de illis publicum, non interveniente Episcopi licentia, & concessione, fieri, & celebrari.

Deuter. 16. v. 20.

Hierony. de S. Paulo.

Concil. Mediol. in tit. Relig. n. 42.

Examina nunc in his animi tui inductionem, & directionem, in quo profeceris, vel defeceris, dijudica tuarum rectitudinem voluntatum, & puritatem intentionum, pietatis tuæ soliditatem, & affectionis erga sanctas Reliquias constantiam.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, qui fructus esse debeant ex jam præmeditatis in anterioribus te elicere oporteat. Primus est hodierna die in æstimationem singularem introire, & transire in sentimenta omninò particularia, circa venerationem sanctarum Reliquiarum recognitarum, & debitè approbatarum, ea ratione, ut inde tibi occasio, & causa detur, magnam reponendi confidentiam in intercessione eorum sanctorum, quorum repositæ sunt apud te Reliquiæ. Alter est, firmam facere resolutionem, non tantùm non communicare, in abusibus antè commemoratis, aut in aliis introducibilibus, malis hominum malorum adinventionibus; verùm magis, apud superiores ordinarios sollicitare, omni modo meliori, ut omnes hujusmodi praxes indecentes, vel superstitiosæ è medio tollantur, ac omninò supprimantur-

primantur, utens eum in finem mediis possibilibus, ex vero gloriæ Dei semper, & magis promovendæ, zelo, ac ex sincero affectu, sanctis honorem debitum, & reverentiam reddendi, quam â te, & ab omnibus jure reposcunt. Tertius fructus est, populum omni instruere diligentiâ modum venerandi Reliquias sanctorum, divinis conformem paginis, Conciliis, & perpetuæ traditioni, ut omnes impediantur profanationes, devotiones indiscretæ excludantur, quibus Reliquias sanctorum sæpè plus, quàm ipsos sanctos, quidem honorant, nō curantes, sanctos, imitari. Horū cultus, & honor ordinariè tantùm in exteriori quadam situs est cæremonia, sæpiùs inordinatus, cùm facilè relictis obligationibus, quas habent festis diebus, & Dominicis divinis in suo assistendi loco suscipiant peregrinationes indiscretas, ad certas Reliquias visitandas, sine sui Moderatoris consilio, & suæ conscientiæ curatoris permissu, & directione, sine animi præparatione, sine purâ cordis intentione, intuitu duntaxat cujusdam benedictionis temporalis, vel sanitatis corporalis potiùs, quàm animæ suæ salutis obtentu. Quantus fructus est, se excitare quadam sancta ambitione, hisce tot visis honoribus, & gratiis, quas Deus ipse facit servis suis, ad hujusmodi sibi suo tempore acquirendum, paribus certando cum sanctis virtutibus, & prærogativis; qui enim non se excitat affectu, & desiderio, ad imitationem sanctorum, quâ queat annumerari inter magnos Dei amicos, & servos singulari fidelitate, quâ divinis in omnibus correspondeat, & cooperetur gratiis, ac constanti perseverantiâ, quâ unicè in cunctis Dei gloriam quærat, ac promoveat, non est dignus nomine Christiani, minus nomine Ecclesiastici. Cùm omninò sit indubitatum, & extra omnis dubietatis aleam, quòd animus, & cor nostrum esse nequeat omni omninò honoris, & gloriæ desiderio vacuum; Ergo si ad veros, & permanentes honores, qui sunt virtutum, & bonorum operum præmia, non aspirat, haud dubiè erit mancipium vanitatis, seculi, & mundani honoris, qui, velut fumus gloriæ, transvolabilis, & momentaneæ durationis, in opprobrium sempiternum desinit. O qualem infamiam! ô qualem cœcitatem! ô insaniam detestandam! velle cum sanctis honorari in cœlo; & cum mundanis mundanè vivere in seculo! Audi Psalmistam, te invitantem, & docere cupientem: *Venite,* ait, *filii audite me: timorem Domini docebo vos, Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam â malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte â malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Quo,* sanctus Augustinus interrogat, *illam sequar?* Respondet, *Quo,* ait, *præcessit, Dominus enim pax nostra est.* An nōn meritò admirandum est, Sacerdotes Dei, Christi Vicarios, & Ministros Angelos illos visibiles, â Deo datos, ut viam Dei, alios in veritate doceant, vitâ, & doctrinâ, ut ad cœlestia dirigant, & erigant, non cogitare, nisi terrena, non desiderare, nisi transitoria, nisi mundana sapere? Non

Psal 33. v. 12. & seq.
S. Aug. in Psalm.

ſcientes diſcernere inter pretioſum, & vile; inter pulchrum; & deforme; inter bonum, & malum; malum dicentes bonum, & bonum malum, ita inhiare honoribus mundanis, ut res ſanctas, & Deo ſacras in ſuæ convertant inſtrumenta avaritiæ? An non res hujusmodi digna eſt admiratione, ſimul & compaſſione? Si alii itaque ſuas ament inordinationes, & deordinatas voluntates; his noli aſſimilari noli eſſe ſocius malorum in malo; tuos in cœleſtia erige cogitatus, voluntates ad divina, & ſuperna habeas continuò directas. Aſpectus, & viſitatio ſanctarum Reliquiarum ſit tibi motivum ad accendendum in te ardorem martyrii, ad augmentandum ſpiritum devotionis, mundi contemptum, & ardentem amorem in Chriſtum Jeſum. In illo ſita eſt Chriſtiana generoſitas, virtus Chriſtiana, Chriſtiana perfectio, qui Deum ita honorificat, laudat, & glorificat, dignus eſt audire verba hæc divina: *Quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum.* 1. Reg. 2. v. 30.

F I N I S.



Sermones,



Sermones, seu Considerationes prædicabiles super præcipua Evangelicorum totius Anni Mysteria,

PARS SECUNDA,

Pro omnibus Dominicis Anni.

SERMO I.

PRO PRIMA DOMINICA ADVENTUS.

De Extremo Iudicio.

I. Cur Ecclesia annum suum incipiat à consideratione Judicii Extremi.
II. Circumstantiæ hujus extremi judicii.
III. Examen, quod fiet, conscientiarum nostrarum, & media, ejus evadendi rigorem.

Videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & Majestate, Luc. 21. v. 27.

HOc erit ultimum signum Judicii extremi ipsius Judicis apparitio, quæ injiciet omnibus terrorem vehementissimum! Ob hoc dies Judicii dicitur mala, nō quia mala in se, sed quia multis amara propter amaritudinem futurorum in eâ. Quid enim magis amarum, quàm trudi in pœnas nunquam desituras? pati miseriam sine fine? sustinere tenebras absque lucis vicissitudine? Juxta illud S. Gregor. *Cujus vita moritur in culpâ, ejus mors vivit in pœna.* Quæ potest esse major erubescentia, quàm in conspectu omnium, Angelorum & hominum, aperiri conscientias singulorum: *sedit Antiquus dierum, & ecce libri aperti sunt.* Ideò dies formidandus est omnibus, ut videbimus ex dicendis.

Gregor. lib. 25. moral. cap. 9.

Dan. 7. v. 10.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Cur Ecclesia hodiernâ die nobis repræsentet, & ob

oculos ponit Dominum nostrum & Salvatorem, & judicem, & formidabilem, & objicit obtutui mentis nostræ, memoriam extremi judicii hac primâ Dominicâ Adventûs? Ecclesia id facit, ut in eo Dei & sui fundatoris Christi Jesu directioni & ordinationi sese in omnibus accommodet. Deus enim, ut nos à peccatis retrahat ad gratiam, motivo timoris uti consuevit: *Timor Domini*, ait scriptura, *expellit peccatum*. Huic Trid. subscribens: *Dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes; Deum sibi propter Christum propitium fore, illumq; tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Initium enim sapientiæ seu dilectionis sapit objectum trahens ad sui concupiscentiam & amorem. Secundò, Ecclesia id facit, ut filios suos avertat ab illâ vanâ confidentiâ, quâ plurimi illuduntur, & seducuntur, de divinâ bonitate & misericordiâ, illosque doceat, quòd, licet sit excessivus in suâ bonitate & misericordiâ: non tamen minùs in suâ justitiâ & æquitate severus. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Misericordia & veritas obviaverunt sibi*; quoddam quasi temperamentum facientes justitiæ & misericordiæ. *Misericors Dominus & justus, & Deus noster miseretur.* Bis ait S. Ambros. *Misericordiam ponit: semel justitiam. In medio justitia est, gemino septo inclusa misericordiæ:* quia misericordia tollit justitiæ rigorem. Hæc sunt duo divina attributa, ait Propheta David, pari passu in omnibus Dei operibus, ante illum præcedentia; inseparabilia, ut, quemadmodum Deus per unum nobis amabilis exhibetur, per alterum sit & appareat formidabilis.

Ecclef. 1. v. 27.
Trident. sess. 6. cap. 6.
Psal. 88 v. 15
Psal. 48. v. 11.
Psal. 114. v. 15.

Disce ex his, quòd, ad peccatores convertendos à suis peccatis, & ab iniquitatibus avertendos, primò oporteat incutere illis timorem spiritum timoris Domini in animos illorum inducere, & renovare. Illud est exemplum, quod Ecclesia tibi hodiernâ die, quæ incipit & finit annum suum per duo Evangelia de extremo judicio, proponit. Illud est exemplum filii Dei & Apostolorum in suis ad populos prædicationibus ad pœnitentiam invitantium, simul impellentium. *Pœnitentiam*, ait Christus, *agite; appropinquavit enim regnum Dei.* Qui enim pœnitentiam agit, sumit de seipso vindictam in hac vitâ, ne in altera Deus puniat de rigore justitiæ æternaliter. *Facite fructus dignos pœnitentiæ: jam securis ad radicem arborum posita est; cujus ventilabrum in manu ejus, & permundabit aream suam; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hîc urget fortiùs, ut pœnitentia acceleretur, & ut oportet, fiat fructum referens. Hanc praxin omnes sancti secuti sunt. *Omnes ubiq;* clamat Apostolus, *pœnitentiam agant: eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Justè enim judicabit, nihil dissimulabit, æquitas judicii servabitur.

Matth. 4. v. 17.
Matth. 3. v. 9.
Actor. 17. v. 30.

Hac praxi magnus ille S. Hieronymus sine intermissione utebatur in omnibus suis actionibus, in omnibus locis & temporibus, sive bibens, sive comedens, sive aliquid aliud faciens illi vide-

tur audire illam terribilem tubam insonantem in auribus suis: *Surgite mortui, venite ad judicium.* In eadem S. Franciscus cogitatione & meditatione exercitatissimus suis discipulis præcipiebat: Ut de novissimis præsertim sermonem populis facerent, hoc est, de Morte, Judicio, Inferno, Paradiso. Eadem & tu armatus cogitatione esto sollicitus sub custodiâ tuâ. Et ut magis spiritu timoris sancti animeris, sequentibus accuratâ insistas meditans meditatione.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò circumstantias hujus ultimi judicii. Eheu! Adventus filii Dei die illo formidabili differens & discrepans per omnem modum ab eo erit, quo venit in die Nativitatis suæ. Hic fuit summę mentis demissionis & humilitatis eximiæ. Alter erit supremæ Gloriæ & Majestatis incomprehensibilis. In primo suo adventu sese submisit judiciis hominum: sed in suo secundo Adventu veniet omnes judicaturus in propriâ personâ. Ejus primus introitus fuit infinitis prodigiis dulcedinis, misericordiæ, bonitatis, beneficentiæ, & benignitatis, cohonestatis & concomitatis: At hic secundus ejus adventus præcursores & antesignanos habebit seditiones, Bella, pestilentias, fames, Elementorum alterationes & perturbationes, quæ denunciabunt Orbi universo adventum judicii illius formidabilis, jam proximum instare præ foribus. Illud ipse Salvator
Luc.21.v.25. expressit in Evangelio. *Erunt*, ait, *signa in Sole & Lunâ, & stellis: Et in terris pressura Gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ supervenient universo Orbi,*

In primo suo adventu Christus erat ut infans, reclinans in præsepio, non loquebatur, nisi lacrymis; quod apertiùs expressit Evangelista: *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia eis non erat locus in Diversorio:* Luc.2.v.7.
In hoc autem suo secundo Adventu residebit in suo lecto, seu potiùs, Throno Justitiæ, facie igne iracundiæ & furoris flammescente. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube.* Luc.21.v.29.

Hîc rationem strictissimam ab omnibus hominibus, nemine excepto, magnis & parvis exiget; omnium suorum factorum & omissorum requiret computum rigorosissimum: *Tunc enim loquetur ad eos in irâ suâ; & in furore suo conturbabit eos.* Psal.2.v.5

PUNCTUM III.

IMagineris te, & repræsentes, ut pauperculum malefactorem reum Capitalem ante Thronum & Tribunal hoc severissimum: Ibi enim te oportet comparere. *Omnes* enim *Nos manifestari oportet ante Tribunal Christi.* 2.Cor.5.v.10. Quid hîc respondere poteris, quando tuæ omnes hypocrises, quando omnia tua peccata, quæ in locis secretissimis commisisti, quæ existimas noctis & tenebrarum beneficio occultata & abscondita; Tibi clarè & convincenter ponentur ob oculos? Scisne, quòd computus totius vitæ tuæ à te requiretur: Ratio tuorum studiorum,

orationum tuarum, recessuum, officiorum tuorum, tuarum functionum in susceptis ordinibus; etiam singularum cogitationum tuarum, imò vel unius verbi ociosi à te prolati, vel auditi, ratio reddenda erit rigorissima, utpote quo tempore, quâ occasione, quâ in societate, quâ intentione, quo in loco, quibus justificantibus, aut vitiantibus circumstantiis illud protuleris, vel audiveris proferri. Uno verbo, calculatio omnium momentorum, omnium actionum, ac quorumcunque, quæ totius decursu vitæ tuæ acciderint, exactissima fiet, nihil omittetur, *usq; ad novissimum quadrantem*; plenissimè enim omnia discutientur, judicabuntur, & punientur. *Redde rationem villicationis tuæ: Iam non poteris villicare.* Tempus villicandi, transiit, jam est tempus rationis reddendæ, de bonâ vel malâ villicatione. *Revelabo pudenda tua in faciem, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* Tunc porrò omnibus omnia nudabuntur & apparebunt. Ob hoc optat Moyses: *Utinam homines saperent, & & intelligerent, & novissima providerent!* Nihil in novissimis absconditum manebit: Omnia venient ad lucem dijudicanda: Ideo, *Crudelis dies, & indignationis plenus. iræ & furoris*, Dies ille appellatur: quia omnes omnium pœnæ & punitiones determinabuntur pro omni æternitate, & apparebunt. Eâ ratione dicitur. *Dies tenebrarum & caliginis; Dies nubis & turbinis: similis ei non fuit à principio, & post eum non erit usq; in annos Generationis & Generationis.*

Matth. 5. v. 26.

Luc. 15. v. 2.

Nahum. 3. v. 5.

Deut. 32. v. 29.

Esa. 13. v. 9.

Joel. 2. v. 2.

O quis horror! quis pavor! invadet tunc omnes peccatores? quis illis erit tunc pudor? Verùm, quod plus est per omnem modum, quando in qualitate Ecclesiasticâ omnium peccatorum populi reus convinceris, quis tunc pudor, & qualis confusio tibi erit? O si omnes peccatores Mundi crebrò recogitarent hanc diem omnis horroris & amaritudinis! sed si omnes Confessarii ob oculos semper haberent hujus judicii rigorem, dum alios dijudicant, non tanta negligentiâ, tepiditate, & somnolentiâ suum subirent ministerium, & prô dolor! faciunt. Hæc bene de cætero recogites, & bene rumines, dum simili Ministerio fungi tibi contigerit, si hujus Judicii severitatem evadere desideres. Disce, quòd primum, quod te facere oporteat, teipsum summè humiliare coram Deo, eandem Lectionem aliis præscribens & docens verbo & exemplo. Disce, verâ cordis contritione fugere à venturâ irâ, juxta exhortationem præcursoris Domini; *Quis demonstravit vobis fugere a venturâ irâ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Hic est optimus & securus modus effugiendi hujus judicii severitatem. Matth. 3. v. 7.

Alter modus evadendi rigorem judicii hujus, est suum recursum habere ad virginem beatissimam, ut suâ intercessione judicem tibi in mortis articulo reddat propitium & favorabilem; Tunc enim, ut loquitur Evangelium, sol, & luna, quæ tibi diem clarescere faciunt, Hoc est Filius Dei, ille sol justitiæ, & sancta ejus mater, præfigurata per lunam, qui tibi modo & de præsenti manum præbent auxiliarem, & viæ ductores sunt infallibiles in illo tempestuosi mari, tibi

tibi obscurabuntur, & non dabunt lumen suum: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Omnes Creaturæ, quæ tibi modo serviunt, armabuntur in favorem judicis adversum te: *pugnabit cum eo Orbis terrarum contra insensatos. Qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur.* Sap. 5. S. Gregor.

Tertius modus, hoc judicium evadendi est, sibi ipsi invigilare, intendere, & attendere in expectatione hujus horæ formidabilis, & timoris, ac tremoris plenissimæ. Illud est Apostoli Consilium in hodiernâ Epistolâ, dum ait: Tempus esse nos jam de somno surgere, non de somno naturali, sed de somno quo Mors & Judicium traduntur oblivioni, in quo homines maximâ vitæ hujus mortalis curâ sopiti delitescunt: *Fratres, Tempus est jam nos de somno surgere. Evigilate justi, & nolite peccare. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ.* Rom. 13. v. 11. 1. Cor. 15. v. 34. Psal 2. v. 12.

SERMO II.

PRO SECUNDA DOMINICA ADVENTUS.

Laudes quas Dominus & Salvator tribuit S. Iohanni Baptistæ referuntur: Cujus vita debet Ecclesiasticis servire, velut *Exemplar & regula vitæ instituendæ.*

I. Cur Salvator noster S. Joannem laudat?
II. In quo illum laudat?
III. Comparationes illius nobiscum.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? quasi dicat Christus: Joannes multùm alienus est ab inconstantiâ mentis, & impuritate affectus: quæ sunt magna impedimenta salutis, sicut recidiva. Constantia autem tantùm datur in bono, de quo S. August. *Amanda est*, ait, *justitia, & in hac justitia amanda Gradus sunt proficientium.* Et infra: *O amare! ô ire! ô sibi perire! ô ad Deum pervenire!* In eo laudatur S. Joannes à Christo, ut videbitur. August. serm. 17.

PUNCTUM I.

CONsidera primò: Cur Salvator & Dominus noster laudat S. Joannem? Primò, Christus laudat S. Joannem ex eo, quòd optima Fama ejus ab omnibus concepta eò usque, ut Messias reputaretur, multùm, per incarcerationem ejus ab Herode, quasi foret impius & malefactor, erat diminuta & labefactata. Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcerem. *Marc. 6. v. 17.*

Ex hoc Christo disce Lectionem utilissimam & laudabilem: quando animadvertes, reputationem, bonum nomen, & Famam alicujus periclitari, ejus virtutes noli subticere.

Laudat illum, Christus, secundò, in ejus absentiâ: illo modo declarans sinceritatem animi sui, & affectionis in S. Joannem, à moribus hominum modernorum omninò discrepans, qui, in præsentiâ proximi sui blandimentis & vanis adulationibus illum demulcent: in absentiâ vituperiis & detractionibus lacerant.

Tertiò laudat illum afflictum, derelictum, & incarceratum, ut ostendat, se non velle illis assimilari, qui blandiuntur, & amicitiam simulant ac testantur; dum prosperis fruimur, & abundamus in omnibus: At in adversis, in disgratiâ, & miseriis recedunt, non ampliùs agnoscunt, quos ante colebant. O quàm bonum, pati cum S. Joanne pro justitia & veritate, ut ita ore sacro laudari queant. *Dicebat* enim *Herodi: non licet tibi habere uxorem fratris tui.* *Marc. 6. v. 18.*

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, in quo Christus Dominus Salvator noster specialiter S. Joannem Baptistam laudet?

Illum singulariter laudat in tribus. Laudat illum à firmitate Constantiæ, à sanctitate vitæ, & vestimenti austeritate. Laudat à firmitate Constantiæ: *quid exiistis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Id est, hominem leviculum & inconstantem, qui ad quamlibet occasionem, mente & doctrina vacillet, reciprocet ac sententiam mutet? Nullo modo. Joannes talis non est. Ille palam loquitur veritatem: non veretur vultum potentis: non aspicit personam Regis: nullus illo constantior in bono; nullus in veritate stabilior, nullus in servitio Dei ferventior; nullus in vitæ austeritate firmior. Herodem Regem reprehendere non verebatur: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Non timebat, vi officii sui, palàm loqui veritatē, omnes veritatis & doctrinæ jaculis æquè feriens. Ignorabat, quid esset curvari, & à veritate recedere, ut potentium & magnorum placitis & inordinatis affectionibus condescenderet. Comminationes, Carceres, Catenæ, Vincula, nec mors ipsa, illum movebant, ut à recto dimoverent. Firmus ergò fuit, & constans in veritate & Doctrina. Ergò meritò & in eo à Christo laudatur. *Matth. 11. v. 7.* *Marc. 6. v. 18.*

Fuit Joannes laudabilis vitę sanctitate: qui justificatus in utero, in omni sanctitate & justitia vitam duxit. Ob hoc, relictis hominum societatibus, Civitatibus desertis, & communi conversatione cum hominibus rejecta, secessit in desertum, ut ibi solus Deo vacaret, remotus ab omni peccato, & peccandi occasione, ut Ecclesia de ipso canit:

Antra

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti
Ne levi posses maculare vitam
Crimine Linguæ.

Matth. 11. *Hic est enim*, ait Salvator, *de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Erat ergò Angelus Dei constans in bono & vitæ sanctitate. Proverb. 4. v. 18. *Justorum semita quasi Lux splendens, procedit & crescit usq; ad perfectam diem.* Dicere ergò Joannes poterat cum Propheta: Psal. 118. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti Cor meum.* Ob hoc plusquàm Propheta æstimatus à Christo & in se fuit. *Etiam dico vobis: Et plusquàm Prophetam.* Prophetæ munus summa exercebat fidelitate, purè ad Gloriam Dei majorem, etiam cum propriæ vitæ dispendio, nihil æstimans aut reputans in hoc mundo, suum modò adimpleret Ministerium. Vocatur Angelus ex eo, quòd velut Angelus, & beati spiritus non intendebat, nisi adimplere, in omnibus omnes voluntates divinas in exercitio sui Ministerii.

Laudatur à Christo, & vestimenti austeritate. *Quid exiistis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce, qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt.* At Joannes, qui elongatus erat ab omni mundo, elongatus etiam vel maximè ab Aulis & domibus Regum, & ab omni eo, in quo cum illis communicare potuisset. Longè ergò erat, & vehementer abhorrebat ab omni vestimentorum Matth. 3. v. 4. mollitie. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem erat locusta & mel sylvestre*, quod Ecclesia illi quoque attribuit:

Præbuit durum tegumen Camelus
Artubus sacris, strophium bidentes
Cui latex haustum, sociat a pastum
Mella locustis.

In his laudavit Christus S. Joannem, in quibus laudabilis erat. Et tu, in qua laudabilis es? in quo jure laudari potes?

PUNCTUM III.

FAc modo tui cum S. Joanne comparationem. Primò in illa firmitate Constantiæ & animi immobilitate, perseverandi in Resolutionibus firmis, quas quotidie facis, vel facere debes, ut te opponas murum pro Domo Dei, ut potentium attentatis inordinatis, Deo & Ecclesiæ ejus repugnantibus, zelo Domus & honoris Dei excitatus, obvies, contrarieris & repugnes. Et non illis nimiâ & damnabili indulgentiâ blandiaris, verùm magis illis, ut S. Joannes Herodi, intrepidè te opponas, & veritatem nõ occultes, dicas audacter: *Non licet tibi, &c.* Et super omnia, ut in Tribunalibus non deflectant à rigore justitiæ & æquitatis. Eheu! quàm es debilis, inconstans & flexibilis in bono, quod facere proponis? Minima occurrens difficultas te terret, faciens animum despondere. Preces & Minæ hominum te agitant, flectunt, & in omnem detorquent partem, velut arundinem vento agitatam. Nihil incipis aut incipere audes, timens, ne illos tangas, ne illorum incurras offensam, vel indignationem.

Quoad austeritatem, vilitatem. & rigidi-

giditatem vestium quid dicam? Multum abest, quòd pilis Camelorum, & cilicio, ut S. Joannes, induaris: Verùm vestes ex communi panno, intra limites honestatis & modestiæ non tibi sufficiunt. At quæris & curas interulas, & alias vestes, quæ etiam non apparent, ex subtilissimis & delicatissimis telis & materiis. Te vestimentis in materia & forma excessivis exornas, vanitatem in illis ostentans ad offensionem & scandalum, non decentiam quærens & necessitatem ad ædificationem, & bonum exemplum, Et illos laudas & æstimas, qui vano illo vestitu procedentes ad omnem vanitatem & superbiam sese exornant. Non duntaxat poteris Ecclesiam intrare vanos homines cum omni vanitate, luxu, superbia mollitie, ad sui & multorum ruinam, quos posses & deberes repellere, & qui ob hoc mererentur excludi, & repelli ab Ecclesiæ introitu: Verùm etiam gloriaris, tales te habere pœnitentes: Eorumque pompa in vestitu, vanitas, preciositas, ac nimia elegantia, & superfluitas, loco, quod tibi horrori esse deberent, tibi adferunt complacentiam, & eam satisfactionem, ut illos aliis præferas, qui ornatu simili non procedunt. Itaque verum est, quòd non sis duntaxat acceptor personarum, verùm etiam vestimentorum, ut pluris facias vestes, quàm homines. De hoc olim conquestus est S. Bernard. *Ipse habitus noster, quod & dolens dico; qui humilitatis esse solebat insigne, à Clericis temporis nostri in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostris Provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Quivis de seculo, quantùlibet honoratus, etiamsi Rex, etiamsi Imperator fuerit, nō tunc nostra horrebit indumenta, si suo sibi præparata modo fuerint: Mollia indumenta animi mollitiem indicant.* Et Concilium Aquense: *sit Habitus Clericalis simplex, exclusis omnibus sericis ornamentis.*

S. Bernard. Apol. ad Guill. Abb.

Concil. Aquens.

Poteſtne dici, quòd, cùm sis obligatus functioni Prophetæ satisfacere, qua Ecclesiasticus, hoc est, annunciare veritatem Evangelicam, populum docere & instruere verbo & exemplo, tuum exequaris fidelitate debita officium? Instruisne te? Catechisas te? Et impendis te ad minus, ut capax efficiaris ad tibi injunctum Munus, ut par est, exequendum? An ignoras, te Angelorum tenere locum? qualis ergò, & quanta est scientia tua? quales virtutes tuæ: Non respiras & aspiras ad aliud, quàm ad voluntatis Divinæ adimpletionem? Imitarisne paupertatem, humilitatem & zelum spirituum beatorum.

Considera, quid tibi ex omnibus memoratis qualitatibus, virtutibus, & perfectionibus desit? In quibus deficias? ut magna à Deo instantia petas, & per merita S. Joannis impetres, quem tibi hodierna die Deus posuit, & proposuit in exemplum.

Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt. Rom. 15. v. 4.

SER-



SERMO III.

PRO TERTIA DOMINICA ADVENTUS.

De honore ſancto Ioanni exhibito, & de ejus in recipiendo humilitate.

I. Unde Eccleſiaſtici, ad S. Joannis exemplum, debeant expectare æſtimationem, & laudes populorum?
II. Humile S. Joannis reſponſum ad ſibi factam Quæſtionem.
III. Comparatio illius nobiſcum.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es? Ioan.1.v.19.

QUod olim petitum eſt à Joanne, ſi hoc ſalubriter peterent homines à ſeipſis? In promptu foret reſponſio, quòd nimirum terra ſint in terram reverſuri; quæ recordatio multùm conducit ad perfectam ſuiipſius cognitionem. Quod in frontiſpicio ſcholæ Platonicæ inſcriptum erat Græco idiomate; *Nemo non Geometra*, id eſt, *Nemo Geometriæ ignarus accedat*, nimirum ad Philoſophiam Platonicam: idem accommodè ad veram Dei ſapientiam applicari poteſt: *Nemo non Geometra accedat*, qui nimirum ſeipſum, qui ſuam terram, ſuum microcoſmum, ſuum lutum, ſuum pulverem benè menſurare non poſſit. Prima enim veræ ſapientiæ rudimenta fuerunt, & ſunt, ſeipſum, velut in ſpeculo agnoſcere, antequam ad ſalutis ſcholam promoveatur. Unde eſt illud antiquiſſimum *Apollinis* Delphici: *Noſce Teipſum.*

PUNCTUM I.

COnſidera primò in hac Legatione; Unde Eccleſiaſtici, ad S. Joannis imitationem, expectare debent honorem & æſtimationem à populo? Si à Judæis requiras, quid illos attraxerit in deſertum, & duxerit, ut ſancto Joanni hodiernâ die Titulum & qualitatem Meſſiæ deferrent, invenies, illud quod Judæos ad Joannem attraxit, non fuiſſe ſuæ proſapiæ nobilitatem, non miraculorum multitudinem, non ſuæ Prædicationis

cationis claritatem, non ejus cum Magnis & Potentibus hujus Mundi conversationem, nec scientiæ ejus Eminentiam: sed sola vitæ ejus sanctitas, ejus pœnitentia, solitudo ejus, austeritas, quæ cum illo apud populum causarant & acquisiverant æstimationem. Hoc est allectio, illecebra & incitamentum, quo S. Joannes usus est, ut omnes Judæos ad se traheret & alliceret. O si omnes Ecclesiastici bene hanc veritatem apprehenderent, penetrarent, & imbiberent, quòd quantò magis à mundo elongabuntur, & recedent, tantò magis in æstimatione in mundo erunt & reportabuntur! Si non tam sæpe viderentur in Aulis Principum, in Magnatum domibus, in publicis ludis, in recreationibus secularium, in tricis negociorum temporalium, eòrum apud populum foret major æstimatio, honor major, reverentia major. *Moyses fugiendo potentiam, potentior factus est: factus est enim in Deum Regi Pharaoni. Rex erat Pharao, sed Deus non erat; Moyses factus est illi Deus, Regi ipsi terribilis, quem Rex metueret & timeret: sed hæc erat potentia sanctitatis. Et si tu vis Deus peccatoribus esse terrori, Regibus reverentiæ, ut tanquam Deo, tibi videantur esse subjecti; quia operaris in Dei nomine:* Contemne, *quæ sunt seculi, & Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis.*

S. Ambros. in Psal. 118. serm. 8.

PUNCTUM II.

Considera secundò S. Joannis humilitatem ex responsione data Legatis ad se missis. Recognoscit & agnoscit proprii oris confessione, quod non est. *Et confessus est, & non negavit, & confessus est, quòd non sum Christus.* Et quid est, confitetur, idque terminis ita humilibus, ita modestis, & præcisis, ut ne minimam ex illis elicere & attrahere queat vanitatem. *Ego sum*, ait, *Vox*, ac si diceret: Nihil sum, nisi sonus quidam, & vox simplex. *Ego vox clamantis.* Appellat se *Vox*, ex eo, quòd ejus officium erat duntaxat suis exhortationibus præparare corda hominum ad dignè Christum Jesum recipiendum. Appellat se *Vox*, ex eò, quòd vox ex se nihil fit, sed totum suum esse recipit ab illo, qui illam format. Ita nihil æstimabat in suis functionibus S Joannes, nisi quod à Deo, qui ipsum miserat, qui per ipsum loquebatur, & omnia in illo operabatur, proveniebat, Erat enim Vox Dei, Minister Dei, servus Dei. Tandem appellat se Vox, ex eo, quòd vita ejus, verba ejus, Exempla ejus, Doctrina ejus, victus ejus & ejus habitus, non erant nisi Vox, quæ annunciabat, prædicabat, & omnibus apertè promulgabat magnitudinem, Excellentiam & sanctitatem verbi Dei.


PUNCTUM III.

Facias hic super Teipsum reflexionem. Teipsum interroga hodiernâ die, hac horâ, hoc momento: *Tu quis es?* Dies Sabbathinus est dies Ordinationum, quo fortè antehac recepisti ordines, vel recipere desideras fortè aliquem. Permittesne, ut te interrogem, ac quæram: *Tu quis es?* Aspiras ad Ecclesiasticum Ministerium, si nondum fortè jam sis illi affixus Ministerio. *Sed quis es*

tu,

tu, qui proximè altare altissimi proximas? *Elias es tu*? Donum habes Orationis? & animi firmitatem? & robur? ut ponas te murum pro domo Dei, ut alter Elias? *Propheta es tu?* Es tu illuminatus, accensus & inflammatus ad veritatem Evangelicam populo annunciandam, & inculcandam, ut Propheta? probâstine, quæ esset voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta? Animadvertis in te omnia requisita ad munus tam formidandum, & officium ipsis Angelorum humeris tremendum? Verùm, si sis Presbyter: *Tu quis es*: A tempore characteris sacerdotalis. *Tu quis es?* quem in virtutibus habuisti progressum? quam in disciplina Ecclesiasticâ laudem meruisti? in quo profecisti? qualis es erga Deum? qualis respectu tui? qualis erga proximum? potesne saltem dicere, quòd sis vox: & quòd si non loquaris in publico, vita tua, actiones tuæ, tua exterior compositio, Tua cum proximo conversatio, Tua in Ecclesiâ assistentia & vigilantia, Tua à mundo elegantia sit vox? Hæc omnia in te loquantur? omnia in te sint vox suadens bonum, & retrahens à malo? sit in te vox vita, sit vox exemplum bonum. Et si ita sint, Felix es: quia ad illam tendis. Hoc apertè S. Hieronym. expressit, dum ait: *Omnia*, inquit, *in Clero debent esse Vocalia*. Verùm multum timendum est, illa non ita in te reperiri. Probes Teipsum. S. Joannes dicit: se non esse dignum solvere Corrigiam Calceamentorum Filii Dei. *Cujus ego non sum dignus*, ait, *ut solvam Corrigiam Calceamenti ejus*. Eheu! quid fecisset, si illum suscipere debuisset, producere, seu conservare, & aliis distribuere, ut, Tu quotidie penè facis? Justè in nos cadit reprehensio illa, quâ Judæos dignè redarguit: *Medius*, ait, *Vestrûm stetit, quem vos nescitis*. Verè illum quotidie manibus nostris tractamus, quem tamen ipso facto non novimus. Si enim illum verè novissemus, non ad illum accederemus, ut consuluimus, tam exili devotione, tam tepedo affectu, reverentiâ & humilitate ita parvâ. Pete à Deo veniam de tot commissis irreverentiis. De tot negligentiis, omissionibus & Commissionibus indulgentiam efflagita, propter honorem nominis ejus, Cui quotidie loqueris, qui continuò tibi præsens est, quem quotidie tractas. Replearis omni sensu humilitatis & modestiæ, quam Apostolus tantopere in suâ hodiernâ Epistolâ recómmendat. Hæc appareat in tuis verbis, in actionibus tuis reluceat, in habitu, & in incessu non occultè, in interiori tui dispositione locum inveniat. In Ecclesiâ adsit: in Domo non desit: in plateis comitetur: in publico & in privato illâ nunquam destituâris.

Modestia vostra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim propriè est, Philipp. 4. v. 5.



SERMO IV.
PRO QUARTA DOMINICA ADVENTUS.

De Vocatione & prædicatione S. Ioannis, qui nos disponit ad Festum Nativitatis Christi.

I. Necesse est, ut quis vocatur ad Ministerium verbi, seu prædicationis, exemplo S. Joannis, ut referat fructum.

II. Qualis sit prædicatio S. Joannis, & quomodo nos disponit ad Festum Nativitatis Domini.

Factum est verbum Domini super Ioannem in deserto, Luc. 3. v. 2.

SImilia Loca quærebat Præcursor Domini, utpote solitaria, à communi hominum tumultu remota, amica mœroribus & contemplationibus accommoda. Ex quo concluditur, quàm sit prædicatoribus vita solitaria utilis & necessaria. *Bonum est* enim *præstolari cum silentio salutare Dei.* (Thren. 3. v. 26.) Quiescit enim à passionibus suis, quiescit à concupiscentiis suis, quiescit à Mundo, & quiescit à Turbâ Creaturarum tumultuante. Et quodammodo dormit, somno vires vel reparando vel roborando, sedet sub cruce, sub insigni Junipero cum Eliâ, jacet sub scalâ cum Patriarchâ Jacob. Ita *factum est verbum Domini super Ioannem in deserto,* præstolantem in silentio salutare Dei, ut videbitur.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, paucis hisce verbis contineri vocationem admirabilem S. Joannis Baptistæ ad prædicationem & promulgationem Adventus Christi, iisdemque consequentia necessaria complectitur, Ecclesiasticos debere simili necessariò divinâ vocari vocatione, exemplo S. Joannis, ad suas functiones, ut par est, obeundas: Vi enim talis vocationis, illis subministrantur desursum à Patre luminum, vires cœlestes, & Gratiæ sibi necessariæ, ut suo statui competenter vivant, & operentur. S. Joannes fuerat jam multis retrò seculis designatus & denunciatus ore Prophetico, Messiæ, & Domini præcursor ante suam Nativitatem: *Ecce! Ego mitto Angelum meum, &c.* (Matth. 3. v. 1.)

Angelus

Angelus certificaverat, quòd non nasceretur nisi ut præmemoratum Prophetæ verificaretur & adimpleretur
Luc.1.v.27. Oraculum. *Ipse* ait, *præcedet ante illum in spiritu; & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in Filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.*

Ipsemet in suâ Nativitate solverat linguam Patris sui, novo ut miraculo confirmaretur: Apertum est autem illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum, Et, relatis gratiis divinis miserationibus, sermonem ad puerum recenter natũ convertens, *Et tu*, ait,
Luc.1.v.76. *Puer, Propheta altissimo vocaberis: Præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.* Et his omnibus non obstantibus totam suam transigit vitam in silentio, in recessu, in deserto. Et non exit ex deserto ad suum officium exercendum, ad
Luc.1 v.80. quod obeundum, sciebat jam se toties à Deo vocatum. *Puer erat in desertis usque in diem ostensionis suæ*; quâ novâ & extraordinariâ spiritûs sancti missus, ostensus est & apparuit, prædicans pœ-
Luc 1.v.2. nitentiam, & omnes ad se attrahens. *Factum est*, ait Scriptura; *Verbum Domini super Ioannem in deserto.*

Mirandum non est, prædicationes S. Joannis ita esse efficaces, tantam habere vim, & tot producere effectus. Et è converso, tot modernos prædicatores tam parvũ referre fructum, cùm maxima pars illorum illud munus injectione propriâ usurpet, sese ingerat, sine debitâ ad hoc vocatione prævia, affectu puro apparandi æstimationem apud populum, acquirendi famam, ad beneficia, Dignitates, &c, similia adipiscenda.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò Terminos prædicationis S. Joannis, & tibi ad debitam dispositionem ad Festum Nativitatis Domini celebrandum, applica. *Parate viam Domini*, ait, *rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Hisce tres nobis denotat dispositiones maximi ponderis ad Salvatorem & Dominum nostrum recipiendum in hac festivitate. Prima est, sese verâ pœnitentiâ erigere, omne, quod per peccatum deordinatum & destructum est, in nobis reordinando, & reparando: Rectas facite semitas ejus. Hoc ejus prædicabat desertum, hoc loquebatur Cilicium ejus, & vestis de pilis Camelorum. Hoc verba ejus denunciabant, dum sæpe Judæis dicebat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Altera dispositio est fervens desiderium, hunc supremum & summum universi Monarcham dignè recipiendi, ut absolutè regnet in nobis, ut cor, & animus noster omni Creaturarum affectu vacuus, & liber unicè repleatur sanctâ ejus Dilectione, affectione, & possessione: *Omnis vallis implebitur.* Illo sensu & affectu Ecclesia, suis precibus & suspiriis toties reiteratis rogat illum, quibuscunque potest modis, ut veniat ad nos justificandos, & in nos, ad nos sanctificandos in tempore, ne contra nos, ad nos judicandos & condemnandos opus sit venire: *O sapientia! ô Rex Gloriæ! Veni Domine, & noli tardare. Rorate Cœli desuper, &c. Crastinâ die delebitur iniquitas terræ, & regnabit super nos Salvator Mundi. Ut humiliaretur homo, hodie natus est Ioannes, quo incipiunt decrescere* S. August. serm.11 de Sanct.

 dies,

dies; eo die natus est Christus, quo incipiunt crescere dies. Magnum Sacramentum. Ideò celebramus natalem Ioannis, sicut & Christi: quia & ipsa Nativitas plena est mysterio. Quo Mysterio, nisi humilitatis nostræ, sicut Nativitas Christi plena est mysterio altitudinis nostræ. Tertia proinde dispositio est humilitas cordis: *Omnis mons & collis humiliabitur.* Dispositio hæc ita est necessaria, ut sine illâ impossibile sit, participē fieri & dignum gratiis & favoribus, quos Filius Dei nobis, mediâ suâ incarnatione, attulit, & quantum in se est, largitus est, & omnibus largiri cupit. Eâ de causâ se solis parvulis & humilibus, ut virgini beatissimæ, cujus humilitatem respexit, & ob humilitatem in matrem elegit, sancto Josepho, & pauperibus pastoribus manifestat & ostendit. Superciliosos verò Scribas & Pharisæos dedignatur, & indignos tali favore & gratiâ rejicit. O quàm timendum est, ne plures Ecclesiastici de illorum sint numero, quibus Christus hac die non se revelat, sed occultat! Doctores Legis, Scribæ & Pharisæi optimè sciebant, ubi Christus esset natus, illud docebant alios, & ipsimet non ibant, vitam & salutem alios instituebant; Et ipsi nec vitam, nec salutem quærebant, aut æstimabant.

O Anima mea! Erimusne tam infelices, reprobi & maledicti, ut aliis viam ostensuri simus, & ipsi illam non tenebimus? semitas, quas tenere oportet, scimus: præparationes, quas nos habere & adferre decet, sunt: pœnitentia vera, ardens desiderium, & profunda humilitas. Hæc ergò ipsâ Praxi demonstremus, & probemus opere. Hæc populo fideliter prædicemus, & annunciemus. Et hoc erit, perfectè imitari magnum sanctum Joannem Baptistam. Cujus Ecclesia nobis proposuit exemplum, & toto decurrente Adventus tempore prædicatio, ut verificentur in nobis verba Apostoli: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi & Dispensatores Mysteriorum Dei,* 1. Cor. 4. v. 1.

SERMO V.

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI,

De prædicatione S. Simeonis, concernente Dominum & Salvatorem nostrum.

I. Quomodo Salvator noster in scripturis petra scandali?
II. Quo sensu appellatur signum contradictionis?
III. Reflexio super has duas qualitates.

Ecce!

Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum, Luc. 2. v. 34. Quare multorum? & non omnium? Omnes enim homines ad unum usque resurgent. Omnes enim ad unum usque morientur. Hanc Doctrinam probant scripturæ passim. *Statutum est hominibus semel mori.* Et alibi: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.* Omnes ergò morientur. Sed & omnes etiam resurgent. *Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur.* Quomodo ergò dicitur Christus positus in ruinam & in resurrectionem multorum? Ex dicendis illud patebit. Hebr. 9. v. 27. Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 51.

PUNCTUM I.

AD intelligendum & penetrandum sensum verborum præfixorum, Considera, quòd Evangelium & scriptura sancta Dominum & Salvatorem nostrum appellet hoc loco, & alibi: *Petram scandali.* Non est, quòd sit ipso facto, ut effectu causa ruinæ cujusquam. Hoc enim dicere, blasphemia esset execrabilis: sed in illo sensu, quo Apostolus, loquens de Lege, dicit: quòd, etsi Lex esset sanctissima & justissima, fuerat tamen ad cognoscendum peccatum, & ad magis peccandum, quàm antè, occasio: Ex eo, quòd, à tempore stabilitæ Legis, concupiscentia magis invaluerat, furiosiùs impugnans & oppugnans, & ad conspectum Catenarum, quibus refrenanda & restringenda erat, magis inundavit, diffluens in omnia Genera peccatorum & criminum; quo sensu loquitur Apostolus: *Offenderunt in Lapidem offensionis; sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Rom 9. v. 32.

Et Propheta antè prænunciaverat. *Erit*, ait, *Dominus in laqueum, & in ruinam habitantibus in Ierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Esaia. 8. v. 14.

Quòd & confitetur Apostolus de seipso: *Concupiscentiam*, ait, *nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces. Occasione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, sine Lege enim peccatum mortuum erat: sed, cùm venisset, mandatum revixit. Itaq; Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergò bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed &c.* Rom. 7.

Ita Judæi accipientes ex vitâ & miraculis Christi ansam & occasionē, ipsum calumniandi, reprehendendi, & rejiciendi, offenderunt ad petram scandali, & seipsos propriâ culpâ perdiderunt ac damnarunt, juxta verbum Prophetæ: *Perditio tua ex te Israel.* Osea. 13. v. 9.

Verum ergò est, quòd Dominus noster sit petra offensionis. At quibus? Judæis, malis, perversis, Sacerdotibus Le-

gis ac omnibus illis, qui se ejus Evangelio submittere nolunt; Illis est petra scandali & lapis offensionis, qui ejus regulas vitæ reprehendunt, qui ejus abjiciunt Directionem, qui scandalizantur ex ejus voluntariâ depressione, exinanitione, & humilitate. Illis est lapis offensionis, qui crucem ejus stultitiam reputant, & quibus Doctrina, Leges, maximæ, & præcepta non arrident. Ideò ait ipse in Evangelio: *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Hos vocat Apostolus *Inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum; qui terrena sapiunt, Deum se nosse confitentur: factis autem negant.* Quàm autem hoc sit periculosum Evangelium expressit: *Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem verò ceciderit, comminuet eum.*

Matth. 21. v. 6.
Philipp 3. v. 18.
Tit. 1. v. 15.
Luc. 20. v. 18.

Nunc paululum examina, annon horum sis numero? si vita Christi Jesu non tibi appareat onerosa? si maximæ, principia & Doctrinæ non tibi videantur dolorosæ, & continua tormenta? si ejus humilitas & paupertas non tibi summè displiceant? Nemo est, qui illa speculativè & in theoriâ non approbet: At in Praxi, in Exercitio, & Executivè illa amplectenda sunt. Sis hîc continuò sub tuâ custodiâ, & advigilâ diligenter. Si enim ad hanc petram offenderis, & allisus fueris, irreparabiliter contunderis, & omninò comminueris. Et ut continuò in eadem perseveres cogitatione, sequentia ruminando prosequere,

PUNCTUM II.

Considera secundò ulteriùs alia S. Simeonis verba; dum de Christo Domino & Salvatore nostro loquitur, non est contentus dicere: quòd erit in ruinam & resurrectionem, seu felicitatem multorum. Verùm ait, quòd erit prodigium & scopulus, ad quem animæ multæ infeliciter allident, collidentur, & se perdent: quòd erit objectum omnium maledictionum & signum fatale, cui contradicetur, & materia odii, furoris & iræ malevolorum. *Erit in signum, cui contradicetur.* Reipsâ illum consideremus; Toto vitæ suæ decursu quantas sit passus persecutiones à mundo universo, ab omni statu & conditione hominum, à suis Contribulibus & Concivibus, à proximis suis, à suis Apostolis, à Sacerdotibus, à Scribis, & Pharisæis, à Doctoribus & Magistratibus, à populis & Nationibus, à Principibus & Regibus, denique ab omnibus, nullis exceptis. Omnes ad ejus concurrerunt passioné.

PUNCTUM III.

O quàm felices Ecclesiastici forent, si tenentes partes, & occupantes locum Christi Jesu, possent eo modo vivere, & mali illos pati non valerent! Tanti forent animi & firmitates, ut etiam toti mundo sese opponere, pro virtute & veritate, non vererentur, potentes impetus omnes maledictionum, calumniatum, & detractionum, sine ullâ relaxatione severitatis disciplinæ Ecclesiasticæ, sustinentes. Illud est, ad quod te oportet maximè attendere, si vivere vis elongatus à perversis seculi dogmatibus, & maximis, in regularitate & ordinabilitate, quam tuus vivendi status deposcit. Mundus sese tuis opponet intentionibus,

tionibus, proximi tui maximas tibi ingerent difficultates. Imò permittet quandoque Deus, ut personæ observantiores sui statûs, & strictiores Regularum tuos improbaturi sint vitæ degendæ modos. Hoc S. Bernurdus expertus fatetur: *Hoc faciunt*, ait, *inquis, cum quibus habito; si non facio, quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea, inquam, exi de medio eorum, ne aut in Vrbe notabiliter vivas, & Exemplo pereas aliorum.*

S.Bernard. Epistol.2. ad Fulco.

Verùm gloriosum est, illo modo impugnari, ac de illis esse reprobatis lapidibus, qui calcantur in mundo à mundanis pedibus: Illi enim suo tempore erigentur, & fient in caput Anguli juxta Psalmistam: *Lapidem quem reprobaverunt, hic factus est in caput Anguli.*

Psal. 117. v. 22.

Hi felices sunt, & erunt: sed non illi, qui debiles inducunt in casum & ruinam, sicut; prô dolor! hoc tempore multi, & fortè plurimi & pars maxima Ecclesiasticorum faciunt, qui suo Exemplo aliis scrupulum inducunt, & eos allidunt ad petram, quos suis casibus relevare & erigere deberent. *Propheta laqueus ruinæ factus est.* Et alio in loco: *Laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor, & victimas declinâstis in profundum.*

Osea, 9. v. 8. Osea, 5. v. 11.

Ex quo bene S. Bern. *Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei Gloriam. Gloria mihi est, consortem fieri Christi;* Cujus illa vox est: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

S.Bern. L. 2. de Cons. cap. 1.

Gaudeas, & speciali perfundare lætitiâ, si tibi hujusmodi patiendi contradictiones, & oppositiones occurrant. Quod S. Bernardus agnoscens dicebat: *Bonum mihi, si dignetur me Dominus uti pro Clypeo: Libenter excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Quis mihi det gloriari in voce illâ: quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam?* Ad hujus Exemplum hoc ipsum esse debet totius Gloriæ tuæ objectum: Hancque ob causam ait in hodiernâ Epistolâ S. Apostolus: quòd Deus à nobis requirat, ut illum Patrem appellemus & agnoscamus, ut nos doceat, quòd sit proprium Filiorum, à Patre hæreditare. Si ergò velimus, hæredes fieri Gloriæ ejus in Cœlo: oportet nos quoque hic in mundo hæredes ejus confusionis fieri. Propter quod misit Deus spiritum Filii sui clamantem: *Abba Pater. Itaq; jam non est servus, sed Filius: quòd si Filius, & hæres per Deum.* Gal. 4. v. 6.



SER-



SERMO VI.
PRO PRIMA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

De Parvâ adhæſione, quam ad Parentes habere debent Eccleſiaſtici, exemplo Chriſti Domini.

I. Cur Dominus & Salvator noſter hodiernâ die ſanctam ſuam Matrem reliquerit in tanto ex ſuâ abſentiâ dolore.
II. Quid verba illa denotant: Neſciebatis: quoniam in his. Et
III Comparatio noſtrî cum illo.

Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſeciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Luc. 2. v. 49.

VErba hæc ad Matrem ſuam ſanctiſſimam, ſanctiſſimè intendentem, & humillimè cum omni manſuetudine interrogantem, poſſent primâ facie videri dura: cùm relinquendo Matrem, ſine ejus ſcitu, videatur contraveniſſe ſcripturæ: *Malæ famæ eſt, qui derelinquit, & eſt maledictus à Deo qui exaſperat Matrem*: At ſi meliùs conſideremus, nec dura ſunt, nec in minimo ſacræ contrariantur ſcripturæ. Illis, porrò apertè docet: ſe ſuo Patri æterno magis obligari, quàm Matri: inſinuans per hoc: Proles quidem multum debere parentibus, Deo tamen multò plus; Et parentes propter Deum relinquendos. Ideò ait: *In his quæ Patris mei ſunt*, oportet me eſſe, & occupari. Patris ſui negocia vocat opera Theandrica, ſeu divino humana Meſſiæ propria: Verbi gratiâ: Docere cœleſtia, Sacramenta inſtituere, Diſcipulos formare: miracula edere, Mundum redimere. Ad hæc enim propriè miſſus fuerat à Patre. Unde in his nulli erat ſubjectus, & in his debuit derelinquere Matrem ſuam. In quo omnes, qui Deo ſe conſecrant, Chriſtum imitari debent, ut decurſus oſtendet.

Eccleſ. 3. v. 18.

PUNCTUM I.

COnſidera primò, quòd Dominus & Salvator noſter hodiernâ die reliquerit ſanctiſſimam Matrem in tanto & tam ſenſibili dolore, ex ejus abſentiâ, orto; & quòd illam ſolatio privaverit ſpeciali, quod illa habuiſſet, illum videndo compa-

comparere in loco tam honorificè, in Templo, in medio Doctorum. Non duntaxat fuit, ut illi patientiæ practicandæ occasionem daret, & sese divinæ omninò voluntati conformandi ansam præberet, nec ut nos doceret: Absentias ejus sensibiles patienter tolerandas esse, dum se à nobis abscondit, nos & fidelitatem nostram in suo servitio ut probet: Verùm principaliter id fecit, ut Ecclesiasticos doceret & instrueret, suo exẽplo, affectionibus & inclinationibus Naturæ renunciare, dũ nos à divino servitio retrahunt. Et ut ostenderet, quod eo ipso quòd servitio Altaris sunt Deputati, se debent retrahere ab affectionibus Parentum suorum, &, si foret etiam possibile, à conversatione. His dictum est, quod olim Deus Abrahamo præcepit: *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ. Obliviscere populum & domum Patris tui; & concupiscet Rex Decorem tuum* Et in Deuteronomio dicitur: *Qui dicit Patri suo & Matri suæ: nescio vos; & fratribus suis: ignoro vos; & nescierunt Filios suos: Hi custodierunt eloquium meum: & pactum meum servaverunt.* Et ut tandem profundius sensum hunc introeamus, & penetremus, sequentia accuratiùs ruminare conabimur.

Deuter. 33. v. 9.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò sensum verborum, quæ Dominus & Magister noster, Christus Jesus, dixit suæ Matri sanctissimæ: *Nesciebatis; quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Jesus Christus duodennis, nondum se nobis ostendit in Evangelio, necdum profertur quidpiam speciale, quod fecerit aut dixerit. Primum, quod è sacro ejus ore procedit, est verbum perfectæ Renunciationis omnium ad Parentes affectionum, & ad Patrem & Matrem adhæsionum. Hoc exprimitur in Evangelio: *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, &c. Nesciebatis, &c.* Ac si dicere vellet: Non veni in mundum, ut facerem meam voluntatem, nec ut meis placerem Parentibus: sed veni, ut facerem voluntatem Patris cœlestis. *Ego descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.* Et alio in loco: *Cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Non est ut meis satisfaciam appetitibus, & ut propria peragam negocia, quòd venerim in mundum, quòd hîc inter mortales mortalis ipse, voluntate, non necessitate, conversor: Verùm magis, ut quæram Gloriam Patris mei, qui in cœlis est: Ut saluti animarum, & conversioni studeam. Ille cibus meus: inde reficior: inde vescor. Cur me inter cognatos & amicos quærebatis? Cùm alios non cognoscam Fratres, sorores, aut Matrem, quàm illos, qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est? *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: Ipse meus Frater, & soror, & Mater est.*

Ioan. 6. v. 38.

Ioan. 4. v. 32.

Matth. 12. v. 50.

O Lectio Eximia pro Ecclesiasticis; quando Quæstio ingeritur, Parentibus respondendi, quoad illa, quæ illorum concernunt Ministerium!

PUNCTUM III.

FAc nunc Comparationem tui cum illo, & eodem momento maximâ

perfundaris confusione & pudore, quòd animadvertas, te ita carni & sanguini affixum esse, omnes Actiones, Intentiones & operationes videas ita terrenas, terræ ita inhærentes, ut impossibile videatur, illas elevari ad cœlestia. Filius Dei se subtrahit præsentiæ & societati sanctissimæ suæ Matris: Etsi ex illâ nil illi nocumenti, nil in ullo obstaculi provenire potuerit. *Remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognoverunt parentes ejus.* Luc. 2.

Et tu, qui, ab initiatione Tonsuræ, Parentibus renunciâsti, & omnibus terrenis Amicis, quando Deum in hæreditatem tuam & partem tuam recepisti, omnibus aliis posthabitis: si quæstio moveatur: Mensibus sex, anno, aut spacio majori, vel minori: Te permanere oportere in loco separato, & remoto à tumultu secularium, ad addiscendas Regulas, Maximas, & Instructiones statuî Ecclesiastico convenientes; illud maximo tædio, impotentiâ, & contradictione præstas. Corpore quidem separatus, at animo & Corde, Mundo & rebus Mundanis profundissimè immersus. Christus Matri suæ, etsi sanctissimæ, etsi amantissimæ, etsi Deo gratissimæ, sua non fidit secreta. Quamvis illam amaret plus, plus æstimaret, plus fideret, quàm ullus unquam homo suam æstimâsset, amâsset, honorâsset Matrem. Et tu in negociis Ecclesiasticis, in rebus divinis, tuos Consulis Parentes, & sæpe nullam habes vocationem aliam, quàm illam, quam tibi tui instillant & inspirant Parentes. Tu te Ministeriis Ecclesiasticis impendis, ut illos ditare possis: Et fortè eo animo initiatus Sacerdotio, ut eos in suis sublevares necessitatibus. Quid tibi, dum cum illis es, dicere possunt? quos proferre sermones? nisi fortè de suis Rebus Domesticis, nisi de suis negociis, de suis commerciis, de suis angustiis & necessitatibus, ut tuis imponant humeris? Quot, ne illos vel in minimo offendas, laxitates admittis? & permittis? Quot, illos, ut defendas & manuteneas, pateris contradictiones? Quot reprehensiones incurris?

Examina te nunc seriò super omnes hujusmodi defectus & excessus, quos fortè eâ de causâ commisisti & omisisti. Animadverte, quàm Actiones hæ sint honori tui Ministerii præjudicativæ. Resolutionem fac firmam, illas quàmprimùm interrumpere. Ne formdies ob contradictiones, quas pateris, Mundum vel Mundanos non cures. Cœci sunt, non capiunt, quæ Dei sunt, quæ Ecclesiasticæ sunt disciplinæ, quæ Decentiæ sunt, & honestatis Deo acceptæ. Te murum opponas adversus omnes pravas consuetudines. Et quia mundus tunc non est ampliùs Pater, & amicus, Hujus diei Epistolam oppone, Ejus inhærens Doctrinæ, & Maximis, *Nolite conformari huic seculo.* Rom. 12. v. 12.



SER-

PRO DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

De Adventu & occursu Filii Dei in Nuptiis in Cana.

I. Obligatio Pastorum erga populum, quoad Sacramentum Matrimonii.
II. Ecclesiastici vitare debent Convivia.
III. Quod Conciliorum Autoritate comprobatur.

Factæ sunt Nuptiæ in Cana: Vocatus est autem Iesus, & Discipuli ejus: Joan. 2. v. 1.

QUæstio fuit apud Antiquos: essetne ducenda Uxor? Aliis affirmantibus, aliis negantibus. Unde pro affirmante parte Pelopidas à bono Reipublicæ arguebat: Non curas, inquiens, Tu Rempublicam, qui nullos post te Filios relinquis, quorum manu Patriæ salus defendi possit? Huc facit plurimum Antisthenis responsio, teste Laertio, qui refellentibus hanc resolutionem addit: Debetur, ait, hoc Patriæ & Naturæ: sed cum bonâ indole præditis congredientur, ex bonis nascantur boni. Quin & amabit Maritus uxorem non vulgari more, sed judicio. Is nimirum verè & constanter amat, qui judicio amat. Alii aliter, ob molestias & difficultates Matrimonii, senserunt, quos condemnans Apostolus. *In novissimis*, ait, *temporibus discedent quidam à fide, & attendentes spiritibus Erroris, & Doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatum habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, &c.* Huc accedunt Decreta Pontificum, Matrimonii statum approbantia. *Non solùm*, inquiunt, *Virgines, & continentes, & viduæ, sed etiam Conjugati, per rectam fidem & bonam operationem Deo placentes, ad æternam merentur beatitudinem pervenire*; quod & Christus suâ præsentiâ voluit confirmare, ut in Decursu patebit.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Cur Ecclesia proponat hac occasione Evangelium de Nuptiis. Duæ Rei hujus præcipuæ rationes adduci possunt. Prima est, ut detur Pastoribus occasio & obligatio illis injiciatur, ratione hujus Evangelii propositi hoc tempore, quo rursus permittuntur solennitates Nuptiarum, quas ab

initio Adventûs interdixerant ad hanc usque horam, tractandi de honestate Nuptiarum, & sanctitate Matrimonii; de modo & dispositionibus, cum quibus Christiani hoc debent inire Matrimonium; quis finis ejus esse debeat? qui Effectus? & quis usus? ut tollantur omnia obstacula, quæ hujus Sacramenti Gratiæ obicem ponere possent. Quàm pauci inveniuntur Pastores, qui materiam tanti momenti populo proponant & exponant, ut oportet, suæ obligationi satisfacientes? Hinc mirum non est, tot oriri Deordinationes, maledictiones, Inimicitiæ & odia, quæ ita sæpe intercurrunt in Christianorum familiis: cùm tam pauci illorum, qui matrimonium ineunt, defectu instructionis sufficientis, nubant Domino, hoc est, Apostolo Teste, in conspectu Dei: inducti ad hoc spiritu Christianismi; (quasi nulla foret differentia inter Matrimonia Christianorum, & Contractus Civiles: seu matrimonia Turcarum, Hæreticorum, & & infidelium) cùm adfertur tam parva præcautio & dispositio ad hoc Sacramentum suscipiendum, quod Apostolus Magnum appellat, & honorabile in omnibus, ut Christus excludatur, & exulare cogatur: quia loco castitatis, Eleemosynarum, Orationis, & omnimodæ honestatis, quæ sunt media, & motiva, quibus Christus invitatur, non audiuntur, nisi impuritates, crapulæ, choreæ, & saltus indecentes, Ebrietates & aliæ mille indecentiæ, etiam apud Turcas & infideles non tolerabiles. Hæc ut vitenrur, hortatur S. Chrysost. *Ne tantum, quæso Mysterium pudore afficiamus. Christi præstantiæ Typus est Matrimonium. Tu verò inebriaris? Videntur quidem Res esse indifferentes, quæ fiunt circa Matrimonium: sunt autem causæ magnorum malorum; cùm omnia sunt plena iniquitate. Quando facturus es Nuptias, ne domos obeas, specula & vestes commodatò accipiens. Res enim non fit ad ostentationem; iis, quæ in eâ sunt, Domũ exhilarans. Voca vicinos, & Amicos & Cognatos. Ante alios omnes voca Christum. Scis, per quem vocabis? Qui fecerit, inquit, uni ex minimis meis, mihi fecit: Ne putes, rem esse gravem & molestam, pauperes vocare propter Christum.*

Fideles itaque de his instruendi sunt ab Ecclesiasticis, qui illis præsunt, qui earum habent curam animarum, in quos redundant omnia mala, quæ ex illorum socordiâ, & negligentiâ accidunt.

Resolve nunc, omnia hæc incommoda omni vitare diligentiâ; Et neminem unquam, juxta præscriptum Ritualium, ad hoc magnum Sacramentum admittere, quin priùs accuratè eum examinaveris de omnibus, quæ illum præscire est necessarium, eumque instruxeris de sanctitate statûs, ac obligationibus inde ab eo contractis: quibusque mediis hisce coram Deo satisfacere debeat.

PUNCTUM II.

Altera ratio, Cur Ecclesia hodiernâ die proponat nobis Evangelium de Nuptiis, est, ut discant Ecclesiastici, Exemplo Christi, quomodo se gerere debeant, dum in tales incidunt occasiones.

Primum, quod hîc in personâ Salvatoris nostri observari debet, est, quòd fuerit invitatus: *Vocatus est Iesus.* Alterum fuit

fuit ejus Authoritas, quam illi vita inculpabilis, & doctrina Irreprehensibilis conciliabat, quę hac occasione omnes in suo continebat officio & debito, & omnes impediebat deordinationes aliàs similibus occurrentiis fieri solitas. Tertia ratio fuit intentio, quam habebat, Proximo fructificandi, eum in necessitatibus sublevandi, novos sanctficandi Conjuges, suorum confirmandi fidem Discipulorum, primum suum patrandi miraculum, & in omni virtutum genere suo Exemplo ædificandi. Quartũ, quod maximè notandum, est, quòd non nisi unâ hac vice comparuerit; Et adhuc elegit pauperiores, apud quos fragrlitas ita erat in observatione, ut ne quidem vinum pro invitatis sufficeret.

Quid ad hoc Ecclesiastici dicent, qui omni die, etiam non invitati, lautis intersunt conviviis? qui cibos quærunt & eligunt delicatiores? Vinum præstantius sibi apponi curant? Excessus horribiles committentes? alios provocant ad potum & haustus liberaliores? qui discursus miscent, suæ indignos professioni, & sæpe scandalosos audientibus, & non ædificatorios? qui comparent duntaxat ad sese oblectandum, vel, ad summum, tempus inutiliter transigendum?

PUNCTUM III.

Vide nunc, annon hucusque in hisce delitueris deordinationibus. Ne tibi nimiè blandiaris Exemplo Domini & Salvatoris nostri: Cùm in te nihil reperiatur, quod accedat vel à longè ad Authoritatem ejus, ad ejus æstimationem, respectum & sanctitatem. Concilia, æquè ac tu, non ignorant, Christum Dominum fuisse in Nuptiis in Cana, quo tamen non obstante, interdicunt & prohibent, ne Presbyteri Nuptiis intersint, Ex eo, quòd subeant periculum sanctitatis suæ, æstimationis & reputationis amittendæ, Levitatis notam incurrendi, & scandalum dandi, vel in Excessus indecentes incidendi, aut esse testes cogantur illorum, quæ impedire non possunt, qui Censores esse deberent & Judices. Concilium Laodicense ipsis districtè prohibet, ne Choreis & saltibus intersint, aut similibus recreationibus assistant, quæ ordinariè in Nuptiis interveniunt. Agathense Concilium interdicit Presbyteris, Diaconis, & Sub Diaconis, ne Conviviis Nuptialibus misceantur, & assistant, ne fortè, Visus & Auditus Ministrorum Ecclesiæ, qui sanctissimis Mysteriis intendere debent, maculētur, & sordescant ex aspectu spectaculi parum honesti, vel ex auditu Verborum & Discursuum indecentium. *Presbyter*, ait, *Diaconus, Subdiaconus, vel deinceps quibus ducendi Uxores licentia non est, etiam alienarum Nuptiarum evitent Convivia, nec his Cœtibus admisceãtur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obscœni motus Choreis & saltibus efformantur, ne auditus & obtutus sacris Mysteriis deputati, turpium spectaculorũ atq; verborum contagione polluantur.* *Concil. Agath. n. 506. can. 29.*

Quid repones tot testimoniis? quid respondebis? nisi cœcitatem illorum deplorando, qui continuò, & sine intermissione hujusmodi intersunt conviviis, sive in propriis ædibus, sive alibi; qui omnes quærunt occasiones, seipsos intrudentes, etiam non invitatos, sese in

illis exili exemplo & ædificatione proximi gerentes? Vide, quomodo te hucusque in talibus occasionibus habueris, ut de futuro modo meliori provideas.

Has binas fac resolutiones. Prima est, ut, quantum in te erit, evites omne genus conviviorum, & super omnia nuptialium, conformiter præscriptionibus & Decretis Conciliorum. Altera est, ut persuadeas, inducas & permoveas Laicos & seculares, ut partem impensarum aliâs fiendarum in suis Nuptiis, convertant in Eleemosynas, quibus pauperum viscera reficiantur. Hoc medio & exemplum illis præbebis adimplendi verbum Apostoli, quo S. Paulus in suâ Epistolâ nos docet: quòd ille, qui præest, sollicitus esse debet de iis, quæ sibi subsunt, & pauperibus subvenire in suis necessitatibus. *Qui præest in sollicitudine: necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes.* Rom. 12. v. 8.

SERMO VIII.

PRO TERTIA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

De Obligatione Ecclesiasticorum infirmis assistendi, & virtutes, quas Salvator docet, practicandi.

I. Tres Virtutes principales, quas Dominus noster Jesus in Curatione duorum Morborum Evangelicorum docet.
II. Reflexio & Examen.
III. Super nos ipsos Reflexio.

Domine, si vis, potes me mundare. Volo, mundare, Matth. 8.

Dicas hoc & Tu, Peccator: *Domine, si vis, potes me mundare.* Mundabit indubiè! si corde cõtrito & humiliato hoc ab ipso exigas: Miseretur enim omnium: quia omnia potest, & *dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.* Sap. 11. v. 24. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Quid enim times Æthiopis pellem? *Si fuerint peccata vestra, ut Coccinum; quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra, quasi vermiculus; velut lana, alba erunt.* Esaia. 1. v. 18. Ita facilis est Dominus ad dimittendum peccatum, si ad confitendum non imparatus accesseris. Nullus vetat, si volueris piscinam Gratiarum ingredi,

gredi, & descendere. Nam & Raab meretrix erat, & salvata est. Latro truculentissimus fuit homicida, & paradisi Civis effectus est. Quid hoc? nondum enim ad infernum usque devenisti, in quo nemo confitebitur. Confitere ergò & dic: *Domine, si vis, potes me mundare*; Et audies: Volo, mundare. O felix auditio, quæ te ab auditione malâ præservabit, ut audietur.

PUNCTUM I.

CONsidera primò in Curatione duorum in Evangelio infirmorum, tres Excellentissimas virtutes, quas nos Salvator noster docet practicandas erga infirmos. Prima est Charitas, quæ facit ipsum misero Leproso proximare, desiderio & affectu ipsum sanandi; & ejus non horrere infirmitatem, quæ eos inficiebat, ac immundos reddebat, qui inter Judæos eum non tetigerant.

Altera est promptitudo & condescendentia, quâ illis liberalissimè concedit sanitatem, qui eam ab illo requirebant. *Domine, si vis*, ait Leprosus, *potes me mundare*. Et continuò sine morâ *extendens manum Iesus tetigit eum, dicens. Volo, mundare.*

Centurio exponit duntaxat servi sui infirmitatem, & eodem tempore illi dicit: *Ego veniam, & curabo eum. Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in Domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum*; Ac si dicere vellet: Ecce! qui veni in salutem omnium, ipsemet veniam, in propriâ personâ visitabo illum, & sanabo.

Tertia est humilitas, quæ in duobus elucet. Primò in affectione particulari in pauperes, & quæ ipsum movet ad se accingendum itineri, ut pauperculum servum visitet; & eundem favorem aliâ vice recuset Regulo, personæ diviti & qualificatæ, cujus filius infirmabatur. Nolens, ait S. Gregorius, honorare suâ præsentiâ Domum Divitis, ne videretur honorare statum divitum, & in hoc acceptor videri personarum. Secundò, Eximia ejus humilitas enituit in prohibitione, quâ Leproso, postquam eum sanaverat, prohibuit, ne ulli personam suã propalaret, quòd illud in eo patrâsset miraculum. *Vide, nemini dixeris: ait Redemptor noster, ut ostenderet; quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt: Et quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt. Ad Filium Reguli ire noluit: ad servum Centurionis ire paratus fuit.* S. Gregor. homil 18 in Evang.

Potesne his omnibus visis & auditis, dubitare, quòd visitare infirmos non sis obligatus, illisque subvenire, quando tibi Dei Filius dat exemplum? Et eò ampliùs, quod hoc tempore sæpissimè infirmi magis medicinis egent spiritualibus, quàm corporalibus: quia magis animâ infirmi sunt, quàm corpore; Et infirmitas corporis sæpè causatur, ab animæ infirmitate? Credere volo, te convictum esse. Vide ne in te cadant verba Prophetæ: *quod infirmum erat, non consolidâstis: & quod ægrotum, non sanâstis; & quod confractum, non alligâstis.* Et Christi in judicio justa redargutio: *Infirmus eram, & non visitâstis me.* Ezech. 34. v. 4. Matth. 25. v. 43.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò: si cum illâ charitate

tate, promtitudine, cordis compassione, teneritudine Animi, & humilitate Salvatoris nostri incedas. Tantam experitiris difficultatem te resolvendi; ut illos visites, ut te incommodare pertimescas, vel occasione illorum aliquid pati. Te rogare sæpiùs, ut illos accedas, est necesse. Nocte te molestare nemo audet. Horres illorum infirmitates & morbos. Curas dicere, te esse impeditum. Si deberes ergò, tempore pestis & contagionis, vitam exponere; non crederes, ad hoc te obligari. Personarum distinctionem facis. Tuos mittis Vicarios, si fortè illorum recorderis, ad pauperes, divites, Tibi reservas. Non times hac in divisione, ne divitum maledictio in te cadat, ob quam Cogitationes tuæ aliæ sunt à cogitationibus Dei. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, Divites in fide, & Hæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se ? Vos autem exhonorâstis pauperem. Si legem perficitis legalem, secundùm scripturas: Diliges proximum tuum, sicut teipsum; bene facitis: Si autem personas accipitis, peccatum operaramini, redarguti à Lege, quasi transgressores.* Iacob.2.v.5.

Quid in illo quæris? quid ambis? nisi honorem, æstimationem, vel retributionem? Estne hoc, imitari Christum Dominum, qui in propria persona visitat pauperem servum? O quantum hoc abest, ut inquiras de infirmis tuæ parochiæ, illos ut adjuves, & prævenias in suis necessitatibus, exhorteris ad confessionem, ac illis boni Patris reddas debitum, tanquam Filiis dilectissimis, quos paterno affectu te fovere decet?

PUNCTUM III.

Considera tertiò: quos commiseris hac in parte defectus: quas ob hoc incurreris culpas, & pœnas merueris? Confundaris, & meritò confundaris, videre Laicos innumaros, omnis sexûs, conditionis, & statûs, ita sollicitos ratione infirmiorum, illorum statum ita sumere cordi, Eleemosynas ita liberaliter contribuere, hospitalia frequentare, Medicinas illis animo munifico & benevolo procurare necessarias, sese in omnibus charitatis officiis libentissimè ac diligentissimè impendere, nihil omittere de omnibus, quæ ab iis Christiana charitas postulat & requirit: Et tu interim de his non cogitas, non curas, non æstimas. Time, ne causa horum, verbum durum & formidabile hodierni Exangelii in te verificetur, Te involvat, Te condemnet & justè damnet: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham in Regno Cœlorum: Filii autem Regni, hoc est,* Ecclesiastici. *ejicientur forâs in tenebras exteriores.* Et ut caveas, ne in hac comminatione verba in te verificentur.

Resolvas, & fideliter ac firmiter resolvas, Te de cætero fideliorem futurũ, ac in hoc pio negocio ferventiorẽ, in majorem Dei Gloriam, in utilitatem piarũ animarum, & in exemplum aliorum, ut obligaris; ut omnes inveniant in te, quod mirentur, quod laudent, quod imitentur: potiùs quàm illi dent tibi exemplum ad imitandum. Ut illis, quorum Apostolus in hodierna Epistola meminit, annumereris. *Providentes bona non tantùm coram Do, sed etiam coram omnibus hominibus.* Rom.12.v.17.

SER-

SERMO IX.

PRO QUARTA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

De Debito Ecclesiasticorum in publicis Ecclesiæ afflictionibus.

I. Cur Ecclesia comparetur Navi?
II. Cur Dominus noster Christus permittit, quòd tempestatibus & persecutionibus agitetur?
III. Quid Ecclesiasticis his in occasionibus faciendum?

Ascendente Iesu in Naviculam motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: Matth. 8. v. 24.

NAvicula hæc juxta SS. Patres, non est aliud, quàm Ecclesia, in quâ Christus præsidet, illam regens, & prosperis excitans, & adversis probans. Prosperis excitat & adjuvat, ne deficiat. Adversis probat, ne torpeat. De
Matth. 14. v. 31. primo dicitur: *Ego rogavi pro te, Petre,* ait Dominus, *ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos;* Ita Christo orante, Ecclesia proficit, excitatur ad bonum. De secundo dicitur: *Modicæ fidei! quare dubitâsti?* Ecclesia porrò, in afflictionum fluctibus constituta, omnem spem reponere debet in Christo. *Si perversa,* ait Blesensis, *malignitas subvertere cogitat Ecclesiæ Dignitatem: Cogitat è contrârio Deus, eam in statum erigere meliorem.* Nec est dubium, quin cogitatio Divina prævaleat. Juravit enim Dominus Exercituũ dicens: Si cogitavi, ita erit; Et quomodo mente tractavi, sic eveniet. Si totum Mare hujus seculi contra Ecclesiam fervens ebulliat, & feratur impetu: Christus ambulat super aquas: Ventique & Mare obediunt ei. Quòd si Christus in Navi dormiet: Excitetur Orationibus clamantium: *Exurge quare obdormis Domine?* Tempore diluvii concussa inundationibus Arca erecta est in sublime. Ejus enim concussio ipsius est erectio; quia, sicut B. Hilarius ait: *Proprium est Ecclesiæ, tunc ut vincat, cùm læditur: tunc intelligat, cùm arguitur: tunc secura sit, cùm deseritur: tunc obtineat victoriam, cùm superata videtur.* Arca Fœderis, Hilar. l. 7. de Trin.

quandoque à Philistæis capta & posita juxta Dagon, à virtutibus non cessavit, tandemque in Jerusalem, cum multâ exultatione, reducta est. Ita Ecclesia premitur & deprimitur, ut exaltetur; Ut magis patebit.

PUNCTUM I.

Considera primò: Cur Ecclesia Navi comparetur? Ratio, quam adfert S. Clemens, est; quia, sicut in Navi diversa inveniuntur officia & officiales, ut ad portum deducatur securè, secluso periclitationis & naufragii periculo ut Gubernator & Generalis Navium, Nautæ, & illi, qui præsunt militib9 dispensatores, & qui disciplinæ militari intendunt, ut exactè servetur: Ita proportionaliter in Ecclesiâ omnes inveniuntur Officiales, Magister, Patronus & Dominus Navis est Deus; Generalis, & Capitaneus est Christus; Vicetenentes sunt Episcopi, Nautæ sunt Presbyteri; Qui præsunt militiæ, sunt Doctores, Concionatores & Catechistæ; qui verò curam habent disciplinæ Ecclesiasticæ, ut incorruptè & integrè servetur, sunt Diaconi.

Secundò: Ecclesia est velut Navis fluctuans in Mari, magnis agitata fluctibus mille subjecta periculis, & mille incidentibus ac eventibus malis subjacens, quandoque ratione ventorum impetuositatis, quandoque ratione maris fluxuum atque refluxuum, navem omni momento magnis subjicientium periculis, quandoq; ratione furentium fluctuum, navem elevantium usq; ad Cœlum, ac deprimentium usque ad abyssum; ad scopulos, ad petras, & syrtes impellentium & allidentium, vel eandem Piratarum potestatem deducentium. Non aliter Ecclesia. Etsi assistentiâ, protectione, & Directione speciali Capitanei, seu Domini nostri Jesu Christi, nunquam destituta, magnis tamen sæpe sæpiùs fluctuum Furiis agitari non desinit, Tempestatibus jactari, ventorum impelli impetuositatibus, & Turbinum periclitari vehementiis. Venti enim, & Turbines exsurgentes, sunt: Tentationes, adversitates, persecutiones in Ecclesiâ. Cujusmodi sunt: Bella, seditiones, odia, fames, & hujusmodi publica flagella, Ecclesiam mirè agitantia, quæ Deus sæpè immittit ad probandû suos, & purificandum, Persecutiones, pericula, & tribulationes sunt velut fluctus impetuosissimi circumfluctuantes, illam jactare nunquam desinentes. Promontoria, scopuli, & rupes in mari præeminentes sunt Principes & Judices seculares, illam minis & aliis mediis perturbare quærentes. Spiritus & venti subterranei exsurgentes & insurgentes, ut illam evertant, sunt, falsi Prophetæ, Seductores, & Hæretici, Piratæ & Prædones sunt: Hypocritæ, seditiosi, & falsi Fratres. Hæc omnia mirè S. Clemens expressit: *Similis est status omnis Ecclesiæ magnæ Navi, quæ per undosum pelagus, diversis locis & Regionibus, Viros portat, ad viam potentis Regni Vrbem properare cupientes. Sit ergò Navis hujus Dominus, ipse omnipotens Deus. Gubernator verò sit Christus. Tum deinde Proretæ officium Episcopus impleat. Presbyteri nautarum, Diaconi dispensatorum locum teneant: hi, qui Catechizant, navologis conferantur. Ebibatis autē, totius Fraternitatis multitudo* S. Clemens, Epist. 1.

titudo similis sit. Ipsum quoq; Mare hic Mundus habeatur. Ventorum verò varietates Turbinum diversis tentationibus conferantur, persecutiones, tribulationes, & pericula fluctibus exæquentur. Terreni verò spiritus, qui vel de Torrentibus, vel de Convallibus spirant Pseudoprophetarum seductorum, seu pravæ Doctrinæ verba ducantur: promotoria verò, & Loca confragosa his, qui in potestatibus seculi sunt judices, & pericula minātur, & mortes: Hypocritæ autem & dolosi piratis similes habeantur. Restat igitur, ut hæc Navis cursu prospero tuta possit Portum desideratæ Vrbis intrare, ita Deo preces fundere meminerint navigantes, ut mereantur audiri. Ipsi igitur indesinenter supplicetur à cunctis de prosperitate ventorum. Vt navigantes omnem tribulationem & omne periculum saperent, tanquā mare profundum, istius Mundi & vitæ humanæ Pelagus navigantes, in quo esuriendum sit & sitiendum, nuditatem quoque ferendum, morbos etiam corporis & ægritudines tolerandas; insuper & hominum insidiis, ac dole sæpe laborandum, vomitus quoq; & suggillationes ferendas: cùm ex confusione peccatorum, & rejectione criminum, velut malè congregati in visceribus fellis, jactura facienda est, & abjicienda prorsus è corde omnis, intrinsecus quæ latet, amaritudo peccati, si quæ fortè ex desideriis iniquis congregata est.

Judica ex his, ac ex talibus bene ponderatis elice, quæ sit Episcopis & Presbyteris necessaria Experientia, ut suam deducant Navem in portum salutis securè? qua præeminere debeant scientiâ & cognitione chartæ maximæ, hoc est, Inimicorum nostræ salutis, insidiarumque quas nobis tendunt; ut evitare possint pericula? Quasi illos oporteat ad Deum preces fundere, ut sibi ventos obtineant favorabiles? ut Zephyro potiùs, gratiosè & leviter impellente, vehantur quàm ut, Aquilone turbulenter insurgente jactentur? Quis, ait S. Chrysostomus, foret ita temerarius, qui vellet sibi assumere navem gubernandam & dirigendam, qui in mari nunquam navigasset? Et tu: qui in te hujusmodi Munus suscepisti, quodnam Tyrocinium subiisti? quam experientiam habes? quod de te specimen dedisti? Ubi hujus Artis te Magistrum probasti? Hæc bene considera.

PUNCTUM II.

Considera secundò: Cur Salvator & Dominus noster permittat, quod tot in Ecclesiâ oriantur tempestates, tot exurgant tentationum venti, tot fluctuent fluctus tribulationum. Primò id permittit Christus Dominus, ut doceat nos, vitam humanam esse continuam militiam super terram; Ubi insultus continui & incessantes expectandi & repellendi veniunt: Ubi impugnamur à dextris & sinistris, intùs & foris: occultè & apertè, Ideò, ne omninò expugnemur, advigilandum est: Nos oportet esse continuò sub custodiâ nostrâ; quod expertus S. Job non subticuit: *Militia ait est vita hominis super terram.* Secundò *Iob.7.v.1.*
id Christus permisit, ut Filiorum suorum virtutem probaret per Exercitationes, in quibus cupit illos exerceri, immittendo & permittendo, illos in varias venire tentationes, incidere in morbos, in infirmitates Animi & Cor-

poris, in mœrores & tristitias, ac in incommoda innumerabilia, illas ut purificet, illuminet, & perficiat. Hoc S. Job non ignoravit. *Ipse verò*, ait, *scit viam meam, & probavit me, quasi aurū.* Quod Ecclesiasticus confirmat. *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio Tribulationis.*

Iob. 23. v. 10. Eccles. 17. v. 6.

Tertiò id Dominus Deus & Salvator noster Jesus Christus permittit, ad vindictam sumendam de peccatis hominū publicis & particularibus, quæ quotidiè magno numero prô dolor! committuntur. Ita invenimus in Historiis Ecclesiasticis, quòd bella plura, & plures persecutiones exsurrexerint propter peccata populorum. Etsi itaque nulla alia causa interveniret, nisi hæc sola & unica: non oporteret nos mirari, quòd hodiernâ die animadvertamus, tot ingruere & exsurgere Bella, & ex omnibus mundi partibus tot causari ruinas, imò exponi ipsam Religionem summo periclitandi & pereundi periculo, dum tot videntur deordinationes & excessus ita publicos & patentes inter Laicos & Ecclesiasticos crebrescere. Quibus perspectis, & justè, cum Patriarchis illis, Jacobi Filiis, confessis: *Merito hæc patimur: quia peccavimus in Fratrem nostrum, Christum*; Fac feriam super teipsum reflexionem, ut videas ac animadvertas, annon sis fortè ex parte in causâ tot calamitatum? Et si fortè tua peccata iram Dei non irritaverint ad has sumendas vindictas, quas experimur? Et postquam sinceram egeris pœnitentiam, quid te de cætero oporteat facere? seriò considera.

PUNCTUM III.

Vide nunc, & considera, quid tali in occasione ac simili occurrentiâ aliis debeas, ad Dei iram compescendam, & avertendam, ad arma illi extorquenda è manibus, & ad media inquirenda & eligenda, quibus eum in finem utaris. Primum est, recurrere ad Dominum nostrum Jesum Christum, sed dispositionibus contrariis illis hodiernâ die dispositionibus: hoc est, cùm magnâ confidentiâ & humilitate, illud omne applicans & impendens, quod Deus tuæ commisit dispositioni, ut reconciliares illi peccatores; Tuas exequens functiones magnâ mentis recollectione, & Animi devotione. Te sæpè offerens in Missæ sacrificio, & in omnibus Missis pro omnibus peccatoribus totius Mundi: clamans magno affectu ad Dominum; omni cum fiduciâ: *Domine salva nos: perimus.* Et pleno corde dicens cum Propheta. Quoniam *ego in flagella paratus sum.*

Matth. 8. v. 25. Psal. 37. v. 18.

Alterum est: magno affectu omnibus afflictis compati, illos consolari, animare illas ad patientiam, & unumquemque ut alter Jonas, monere debes & premere ad pœnitentiam. Ex simili motivo, occurrentiâ simili ajebat Judith: *Quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad Eloquium vestrum corda illorum erigite.* Quē in sensum S. Chrysost. *Terrent*, ait, *Principes: Consolentur Sacerdotes.* Hoc ipsum est, quod Deus requirit à nobis, ut à mediatoribus inter se & populum. Hoc est, quod populus à nobis expectat, velut à suis Legatis & Delegatis.

Judith. 8. v. 21.

Hoc

Hoc est, ad quod nos nostrum obligat munus, & susceptum onus. Quod præstantes & exequentes adimplebimus Legem hanc perfectionis nobis maximè in hodiernâ Epistolâ ab Apostolo recommendatam, hoc est, adimplebimus Legem Charitatis & Dilectionis, quæ nunquam apparet meliùs, quàm in extremâ necessitate. Plenitudo Legis est Dilectio, Rom. 13. v. 10.

SERMO X.

PRO QUINTA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

De zizaniis, quæ inimicus superseminavit super semen bonum.

I. Quale sit semen bonum, de quo loquitur hîc Christus.
II. Quæ sint zizania, quæ superseminavimus.
III. Modus & media eradicandi zizania.

Simile factum est Regnum Cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in Agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit Zizania, Matth. 13. v. 24.

INtelligamus cum SS. Patribus in præsenti per *Zizania* peccatores. Quàmprimùm inimicus infernalis subintravit in agrum cordis illorum, corrumpit omne bonum semen, & loco boni seminis, superseminat zizania, imò illos, qui antè erant in Agro Ecclesiæ semen bonum, ad fructum centesimum, sexagesimum, vel trigesimum juxta vocationis suę conditionem, & Gratiæ Dei donationem, quæ datur unicuique ad mensuram, juxta dispositionis Divinæ beneplacitum, ferendum, talis inimici intra cordis illorum secretum admissione factâ, convertunrur in zizania: quos Angeli (qui, ut ait Apostolus, omnes servi sunt, & Administratorii spiritus) ut ob oculos ponunt, de illo indignabundi, magnum illum Patremfamilias aggredientes, ajunt: *Vis imus & colligimus*, id est, perdimus, *Eos?* Et ait: *Non.* Occulta quidem judicia, quibus peccatores expectat ad pœnitentiam, ut convertantur & vivant. Quamvis per bonum semen

meliùs videatur intelligi Gratia Dei data hominibus ad salutem, & ad bonos fructus virtutum proferendos, ut videbitur in decursu.

madiis, ut tè ad bonum induceret & excitaret; quod unicè fecit, ut te à malo averteret, & retraheret, & firmaret in bono.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Quale illud sit semen bonum, cujus meminit Dominus in Evangelio? quod dupliciter considerari potest: utpote vel in quantum immediatè à Deo promanat. Cujusmodi sunt omnia talenta Naturæ & Gratiæ, quæ à manu Dei liberali recipimus; Cujusmodi sunt: sanitas corporis, vivacitas animi & mentis, vocatio ad Christianismum, ad statum Ecclesiasticum, vel ad alium Perfectionis statum, veritates salutis, Illustrationes interiores, redargutiones, & exteriores à Deo immediatè provenientes, spiritûs sancti inspirationes Sacramenta, & super omnia sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod frumentum Electorum dicitur, & est. Vel mediatè emanat à Deo, aliorum mediante Ministerio; Cujusmodi sunt: publicæ & particulares instructiones, ut, bona Educatio, studia, societates bonæ, bona Exempla, Lectiones bonæ & utiles & similia, quæ Theologi appellant Gratias exteriores.

Recognosce humiliter hîc coram Deo Gratias, quas tibi hoc in utroque Genere fecit; semina bona, quæ in Agro Animæ tuæ seminavit à tempore juventutis tuæ, seu teneræ ætatis. Noli simul oblivisci obligationum multiplicium & infinitarum, quibus Deo obligaris strictissimè ob tot Gratias, & recepta ab eo beneficia. quot & quàm variis sit usus

PUNCTUM II.

VErùm ô Deus bone! quæ sunt illa zizania, quæ seminâsti ipse super bonum semen? quot peccata? quot inordinatæ passiones? quot actiones scandalosæ? quot invidiæ? æmulationes & iræ: quot irrisiones, contemptus, & vilipensiones eorum, qui bene agunt, & piè vivunt? quot Exempla mala, per quæ loco, quo illud bonum conservare, fovere promovere debuisses, illud suffocâsti, & omninò exterminâsti? Etsi non incideris in Excessus magnos, in Deordinationes Graviores, in peccata excessiva: quanta nihilominùs tuis inest virtutibus, impuritatis, vitii, & imperfectionis intermixtio? In te verificatur verbum Domini in Apocalypsi: *Modicum habet virtutem.* *Apoc. 3. v. 8* Quot in tuis Orationibus interveniunt Distractiones? quantum Amor proprius in Actionibus dominatur? ut nullum etiam ex laudabilioribus, referas meritum? Quæ in optimis tuis desideriis & intentionibus impatientia reperitur? Eheu! quale & quàm tristè spectaculum in oculis optimi Magistri, & Domini, videre bona sua tali ratione destrui, corrumpi, & dissipari!

Hic magnum excites in te Animi dolorem, de tot in te inventis Imperfectionibus, infidelitatibus, & peccatis; Et maximè ex eo, quòd non solùm impedire hæc zizania debes ex parte tuâ, quantum in te est: sed & omninò extirpare. Et, ut

tuæ

tuæ Confessionis ponas complementū, vide & considera: quot & qualia in te passus sis, tuâ negligentiâ & socordiâ? qualia tuâ culpâ inimicus communis salutis disseminavit zizania? quot induxit ignorantias? pravas consuetudines quot prævalere fecit? quot cogitationes malas in malum inductivas immisit? quot desideria impia & inclinationes pessimas in omne malum excitavit? quas oblitiones, contemptus Dei, & Aversiones à Rebus Divinis suæque salutis causavit? quot libri perversi introducti sunt? quot hæreses invaluerunt? quot Libertinitates? quot Atheismi? & uno verbo: quale Diluvium omnium malorum in tuâ Parochiâ, aut in Locis tibi commissis, tuâ socordiâ, impietates, & malitiâ inundavit? Tibi omnium horum malorum soli causam imputes. Verbum Prophetæ verè tuâ culpâ verificatur: *Non est scientia Dei in terrâ: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterum inundaverunt: Conticuit populus meus: eò quòd non habuerit scientiam.*

Osea, 4. v. 1.

[Is]oc. 3. v. 8

PUNCTUM III.

INquire nunc media, addisce & apprehende, hæc eradicandi zizania, vel ad minùs, impediendi, ne crescant ulteriùs. Unum medium, nobis in Evangelio insinuatum satis & expressum, est, ut stemus continuò intendentes super custodiâ nostrâ: Cùm inimicus, nos ut imparatos, ad sibi obviandum & resistendum, inveniat, eligat tempus nocturnum, quo homines dormiunt, Tempus sibi amicum, qui Princeps est Tenebrarum. Primò igitur nos oportet esse vigiles super nos ipsos, per seria & iterata sæpius status conscientiæ nostræ examina, ne indormiscamus, ne in nostris functionibus socordia dominetur, nec negligentia & tepiditas in nostris Exercitiis spiritualibus inveniatur. *Cùm dormirent*, ait scriptura.

Secundò: oportet nos & invigilare super alios, & vel maximè super nobis commissos, per Exhortationes, per Instructiones, per Correctiones, & Inquisitiones serias de statu Parochiarum nobis subjectarum, vel Locorum Commissorum vivendi modum examinantes, mores perpendentes, conversationes considerantes, & declinent â viâ virtutis, & semitâ salutis. Obliquitatibus in bono & à bono, ne contingant, speciali Directione & Generositate præveniamus Hæreses universas ut extirpemus & impediamus, invigilandum seriò venit, ne Libri periculosi, ne suspectæ Doctrinæ, & ne particulares & relaxantes opiniones in populo, sæpius quidem favorabiliores apparentes, quæ tamen Catholicæ Doctrinæ, & bonis moribus adversantur, prævaleant ullo modo, aut tolerentur. Extirpandi sunt abusus, & profanationes, quæ certis Anni temporibus & diebus, ut in Festis SS. Patronorum & aliorum Sanctorum, ut S. Joannis, S. Martini, SS. Trium Regum, in Bacchanalibus, &c. contingunt, quas Diabolus introduxit, & honorem & cultum sanctis diebus exhibendum, impediret, & omnino extirparet.

Hisce omnibus bene ponderatis, videtur ne tibi mirum, tot zizania apparere in populo tuo tibi commisso, & omne semen

ſemen bonum ſuffocari; cùm ſis tam tepidus, ita ſopitus, quodam quaſi Lethargiæ morbo infectus, & negligens in tuis ſubeundis functionibus: Ne te tangat verbum Prophetæ Iſaiæ, c. 56. v. 10. Speculatores &c. Verùm maximè ſis ſollicitus, & allabora, ut tuæ Inſtructiones, tuæ Correctiones, & Exhortationes tuæ ſocientur Virtutibus debitis (quas S. Paulus Apoſtolus in Epiſtolâ hodiernâ requirit) utpote manſuetudini, patientiæ & humilitati. *Induite vos ſicut Electi Dei, ſancti & Dilecti. Viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.*

SERMO XI.

PRO SEXTA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

De Maximis Evangelicis, & de Virtutibus Fidei, per ſanctos Patres, Grano ſinapis, quod Salvator in hodierno proponit Evangelio, comparatis.

I. Cur Doctrina Salvatoris noſtri, & Evangelicæ Maximæ comparentur Grano ſinapis?
II. Effectus, quos Maximæ hæ in animâ producunt, in illâ receptæ,
III. Triplex defectus, impediens profectum.

Simile eſt Regnum Cœlorum Grano ſinapis, Matth. 13. v. 31.

GRanum ſinapis eſt parvum in ſe, habetque minorem apparentiam inter omnia ſemina: interim, cùm creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit Arbor magna. Hoc ſubinde contingere in hominibus videtur, quorum aliquis reverâ parvus eſt in oculis Dei, utpote peccator, vel nihil. Talis interim homo ſucceſſu temporis quandoque creſcit, præventus Gratiâ Dei; & ex toto Corde ſeſe convertens, fit arbor magna, eminens in ſanctitate. Hinc de nemine deſperandum eſt, quamdiu vivit; de nemine judicandum, Adhuc poteſt, mediante Doctrinâ Evangelicâ, ipſum inſtruente & convertente, creſcere in magnam Arborem ſanctitatis. Si enim oratione Sanctorum peccatores convertantur, & ad magnã perveniant ſanctitatem, quomodo *Saulus*, qui aliâs in

in æternam damnationem incidisset. S. Stephani oratione ita adjutus fuit, ut etiam ad summam perfectionem & ad salutem æternam pervenerit; quantò magis Fide Christi & Gratiâ excitatus, ut ex decursu magis elucescet.

PUNCTUM I.

CONsidera primò: Cur Doctrina Domini & Salvatoris nostri comparetur Grano sinapis? Prima hujus ratio est ex eo, quod, cùm inter omnia semina hoc minimum sit, & æstimetur, tamen jactum & seminatum in terrâ crescit in magnam Arborem: Ita etiam Doctrina Christiana & Evangelii, licet sit parva, & brevis in substantiâ veritatum, quas proponit, in stylo abjecta, & humilis, in personis, quæ illam promulgant & promulgarunt, vilissima in oculis Mundi, Ita tamen hodiernâ die crevit, ut non sit locus, quem non pervaserit, & occupaverit, ut de illâ verè verbū Evangelii verificetur: *quod minimum quidem est omnibus seminibus; cùm autem creverit, majus est omnibus Oleribus, & fit arbor, ita ut volucres Cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Non* enim, juxta
1.Cor 11. v. 26. Apostolum, *multi potentes, non multi sapientes secundùm carnem non multi Nobiles.*
Act 1 v. 15. *Erant autem homines fore centum viginti.*
Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Altera ratio est: quia, quemadmodum Granum sinapis inter omnia plus habet acrimoniæ: Eadem ratione, inter omnes veritates, Evangelicæ virtutes plus virtutis, energiæ & efficacitatis, ad animos movendos & convertendos habent; quod Dominus expressit per Prophetam: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis,* dicit Dominus, *& quasi malleus, conterens Petras?* Ierem. 23. v. 29.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò Effectus, quos in Animâ producunt, quando in eâ, ut oportet, recipiuntur. Hos omnes Salvator noster comprehendit, dum ait: Verba esse spiritum & vitam: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Ioan. 6. Hoc est dicere, quòd, si nos disponamus ad illa recipienda, ut oportet, nos ita disponent, ut vitam inchoaturi simus omninò novam, vitam sanctam, vitam scilicet interiorem: quia spiritu Christi animabimur & replebimur; nihil de cætero sapientes, nisi quæ sunt Christi & propter Christū. Hac inductus ratione S. Petr⁹ respondit Christo, unico Magistro omnis veritatis: quòd verba ejus essent verba æternæ vitæ, verba salutis, verba vitæ. *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6. v. 69.

Et sponsa horum verborum efficaciam asserebat pariter, & certificabat de seipsâ, quòd verba hæc & veritates illæ eam inducerent in animam suam impressionem, motionem, & suavitatem ut illam omninò liquefacerent: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Cant. 5 v. 6.

Et ipse Dominus alibi ait: Verba sua nos & corda nostra purificare, exquisitamque in animas nostras inducere puritatem. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ioan. 15. v. 3.

Ex his conclude æstimationem, re-

ſpectum, reverentiam & Dilectionem, quâ has maximas, in qualitate Chriſtiani, proſequi debes. Et multò plus, per omnem modum, in qualitate Eccleſiaſtici. Si enim hac in qualitate Eccleſiaſtici has æſtimes maximas & veritates, has non deguſtes, has non ames, has nõ requiras, verùm magis erubeſcas, pudore & verecundiâ ſuffundaris, illas amplecti, defendere, promulgare, & in praxin redigere: quid erit de illis Chriſtianis, qui tibi commiſſi ſunt, quibus facis Lectiones, quos inſtruis & doces?

Utere ergò bene Theſauro precioſiſſimo, quem habes in manibus, omni die, horâ, & momento, dum tuum perſolvis officium, dum ſanctam celebras miſſam, vel ſacram legis ſcripturam: *Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: intellectum dat parvulis.* Pſal.18.v.9.

PUNCTUM III.


VErùm omni, quâ potes, diligentiâ, tres caveas in hiſce defectus, qui verba etiam efficaciſſima omni privant effectu. Primò, ut nunquam illa legas ex curioſitate, ut faciebant Scribæ & Phariſæi, ob hoc à Chriſto juſtè reprehenſi: *Væ vobis, qui tuliſtis clavem ſcientiæ, & non introiſtis!* Luc.11.v.52

Secundò, illas non legere debes leviter, cum feſtinatione quadam ſuperficialiter, & ex conſuetudine: verùm magis cum attentione, reflexione, & moroſâ quadam ac piâ meditatione, quia, ſicut ſinapi non habet efficaciam, niſi contuſum & contritum: Eadem omninò eſt ratio de veritate Evangelicâ; niſi in mortario Meditationis devotæ & piæ mentis diſcuſſione contundatur & conteratur, nullum producet effectum, fructum nullũ habebit. At ſi in mortario Animæ noſtræ frequenti contundere conemur meditatione, illuminabit & illuſtrabit divinæ illuſtrationis Lumine, & amoris cœleleſtis ardore animã noſtrã. Ob hoc monet Chriſtus in Evangelio: *Videte, quid audiatis.* Et alibi, *qui legit*, ait, *intelligat.* Alias Lectio inutilis. At ſi Lectioni harum veritatum Evangelicarum jungatur intelligentia, mirificos producent in animabus noſtris effectus: utpote fontes lacrymarum de peccatis effluere facient, mutare mores. Et ſicut parvum hoc Granum ſinapis contuſum & contritum in ſtomacho, illum callefacit, roborat, & malos conſumit humores, transmittens in cerebrum vapores, qui illum incitent & diſponant ad lacrymarum fontes: Ita veritates Evangelicæ bene ſunt efficaces & tantæ virtutis. Hinc Salvator monet in Evangelio: *Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos.* Et alibi: *Sermo meus non capit in vobis.* Huic Apoſtolus ſubſcribens: *Vivus*, ait, *eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni Gladio ancipiti, pertingens usq; ad diviſionem Animæ ac ſpiritûs, compagum quoq; ac medullarum.* Matth.4.v.24. Matth.24.v.15. Luc.9.v.44 Ioan.8.v.37.

Tertium eſt, vitare ſocietates illorum: quos experiris fovere maximas contrarias, & quibus Maximæ & veritates Evangelicæ non ſapiunt. De quo bene monet Eccleſiaſticus: *Cum viro ſancto aſſiduus eſto, quemadmodum cognoveris obſervantem Timorem Dei; Cujus Anima eſt ſecundùm Animam tuam, & qui, cùm titubaveris, in tenebris, condolebit tibi.* Ecclеſ.37.v.15.

Vis

Vis ergò de cætero ex hisce verbis Divinis referre fructum? Non sis contentus, veritates illas assiduo penetrare studio, illas tenere fide indubitabili: verùm illas considera assiduè, recogita maturè, & in ratione degustare coneris. Illas memoriâ tenere allabora, familiares tibi redde, & super omnia talium sis alligatus societatibus, qui illas tanti, ut tu, æstiment & faciant. Hoc erit medium, quo eas elucides, ac elucidatas populo distribuas, quò facilius recipiantur, Cor penetrent, & omnia compleant, & attrahant desideria, quibus excitentur, ut tui sint imitatores, sicut Filii charissimi. Illo modo hodiernâ die gloriatur Apostolus apud Thessalonicenses, quod verba hæc non solum ex vento sonum excusserint: verùm magis, efficaci concomitante gratiâ, omnes ad sanctam ejus imitationem, vel magis ad perfectam Jesu Christi sequelam induxerint: *Gratias agimus Christo, quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute & in spiritu sancto, & in plenitudine multâ: & vos imitatores nostri facti estis, & Domini.*



SERMO XII.

PRO DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

De Obligatione Ecclesiasticorum ad laborandum.

I. Rationes obligantes Ecclesiasticos ad laborandum.
II. In quo oporteat eos laborare.
III. Unde provenit, quòd multi non laborent omninò: vel exili fructu laborent.

Simile est Regnum Cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.
Matth. 20. v. 1.

ECce Vigilantia Patrisfamilias atq; Prælati, qui nullum vult tempus ociari à bono & à merito. Omne siquidem tempus datur nobis ad laborandum, lucrandum, & merendum. Ocium porrò est origo omnium malorum. Hæc est iniquitas Sodomorum. *Hæc fuit*, ait, *iniquitas Sodomæ, sororis*

Eccles. 33 v. 29. *tuæ, superbia & ocium ejus, & Filiarum ejus.* Et Ecclesiasticus clarè hoc indicat, dicens: *Multam malitiam docuit ociositas.* In qua verba, S. Chrysost. *Ocium,* inquit, *malitia pars est, imò non pars; sed causa, & mala radix: Omnem quippe malitiam docuit ocium.* Ideò Paterfamiliâs, ut omnem excluderet malitiam, exivit primo mane, conducere operarios; Ut nemo haberet ocii sui excusationem, quasi illi non fuisset facta occasio operandi & lucrandi. Ut deducetur ulteriùs.

Chrysost. homil. 16. in Epistol. ad Ephes.

PUNCTUM I.

COnsidera primò causas & rationes, obligantes Ecclesiasticos ad laborandum. Prima desumitur ex naturâ vineæ, quam Evangelium nobis proponit; quam nemo potest colere, ad statumque fructûs ferendi deducere, nisi labore multo. Nam sive vinea sumatur pro imagine seu figurâ Ecclesiæ, cui Deus, ut optimus Paterfamiliâs providet omni tempore de optimis operariis; sive consideretur, ut nobis repræsentetur status & conditio cujuslibet in particulari; ubi laborare oportet juxta vocationis tuæ spiritum & exigentiam. Et in hoc utroque statu seu modo, omnes ad Laborem adstringuntur.

Altera ratio desumitur ex Conditione & Tempore, in quo vivimus & sumus; quod Tempus est Pœnitentiæ; in quo Ecclesia relinquens suum Gaudiosum Alleluja, hoc est, Cantum lætitiæ & Exultationis, incipit tempus magni Luctûs, nos invitans ad Communicationem in doloribus sui Sponsi? Nos illo modo disposituraad Festa Paschalia, & ad Gaudium Resurrectionis. Hoc est, quod illos ad ejusmodi sensum, & ad statum, cum illâ pœnitentiam agendi, & peccata omnia deplorandi, quæ Christiani quotidiè committunt, disponit.

Et ad hunc finem, ac ad nobis firmiùs inculcandam hanc ad Laborandum Obligationem, proponit punitionem & remunerationem. Punitio primorum Parentum, qui fuerunt expulsi ex Paradiso, ob ociositatem & Remuneratio expressa in Epistolâ Apostoli, ob cursum in stadio continuum, Nobis Lectio esse debent, quâ instruimur, pœnam ociositati designari, Coronam Labori: *Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut Corruptibilem Coronam accipiant: nos autem incorruptam.* Hisce præmissis: Annon causam habes sufficientissimam, tibi ipsi improperandi, & redarguendi de tuâ ociositate, socordiâ, & Torpore. Audi Patremfamiliâs illos ociosos redarguentem, illos ad vineam suam mittentem. *Quid hîc statis tota die ociosi?* Tempus breve est; multa tibi expedienda negocia restant. Te urgent, ut expedias, & tu illis neglectis, torpebis socordiâ? Tuas quæres in ociositate delicias? indulgebis ocio? immersus voluptatibus, Tuis satisfaciens inordinatis desideriis? Videas & consideres, ait S. Bernard. Pauperes Agricolas & Vinitores. *Sudant Agricolæ, putant & fodiunt Vinitores.*: Et Ecclesiastici in Agro & vineâ Jesu Christi, ac si agendum nihil haberent, *torpent ocio, madent deliciis, copiis affluunt ociosi.* Et tu

1. Cor. 9. v. 24.

tu annon te in eorum numero invenis? Bene considera!

PUNCTUM II.

Considera secundò: in quibus maximè laborare debent Ecclesiastici? Ecclesiastici in duobus maximè laborare, & sese impendere principaliter debent.

Primò laborare debent vel maximè in vineâ propriâ, hoc est, in propriâ perfectione acquirendâ, promovendâ, & perficiendâ ac consumendâ. Secundò laborare debent in vineâ Christi & Ecclesiæ. In unâ laborare debent mortificationibus, orationum Exercitiis, jejuniis, & virtutum omnium exercitationibus. In alterâ laborare debent bonis Exemplis, Exhortationibus fervidis, instructionibus sanctis, reconciliationibus, & similibus, hoc maximè tempore, quo comessationes, insolentię Ebrietates sumunt in Populis suum exordium, non finem habituræ usque ad quadragesimam. *Cæcus autem, si Cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* *Matth. 9. v. 14.*

Sentisne te sufficientem ad hunc utrumque laborem, & fortem ad huic utrique obligationi satisfaciendum? At vix de Teipso cogitas: quomodo de aliis cogitabis? quâ viâ illos à malo retrahes, ad bonum induces? ad perfectionem deduces, cùm illam non didiceris? quid facere intendis, nisi teipsum primò præcipitare, & alios in eandem foveam trahere post te?

PUNCTUM III.

Considera tertiò: Unde proveniat, ac oriatur, quòd tanta obligatio & tanta necessitas laborandi incumbat Ecclesiasticis? Et maxima pars nihilominùs illorum vel non laborat, vel negligenter laborat, vel si laboret, sine fructu, vel cum exili valdè fructu laborat. Omnis hic defectus provenit inter illos ex vocatione indebitâ, quia ingesti comparent, non vocati. Si operarii in Evangelio seipsos ingessissent ad laborandum in vineâ Patrisfamiliâs, potuissentne prætendere justè salarium, vel ut illis sustentatio, vel instrumenta darentur necessaria ad laborandum? Hoc ad Patremfamiliâs spectat, suos vocare operarios: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, inquit Christus: *Exiit primo mane conducere operarios.* Nota bene verbum hoc: *operarios*: quia mercenariorum infinitus est numerus. Tu scis, optime Deus? Tu, qui absconditorum es cognitor, Tu scis, ex numero innumerabili Ecclesiasticorum, quàm pauci inveniantur, qui pro te laborent? qui tuo impulsi amore, ferantur ad magna vel operanda, vel patienda? quàm pauci sint bene vocati, vocatione sanctâ tuâ, qua ad perfectionem & sanctitatem aspirent, & ad illam via Regiâ tendant? Verum quidem est, multos hodiernâ die currere, & laborare; At illud non est, ob remunerationem æternam, non ob præmium immortalitatis, quod nobis Apostolus proponit. *Omnes quidem currunt*: Verùm magis, ob fines vanos, ob fines indifferentes, & sæpè nocivos. Quidam porrò currunt propter honores: alii propter lucrū: alii ob pingues Pastoratus, ob beneficia & dignitates. Vix unum reperias, qui quærat, quæ sunt Jesu Christi. Hoc S. Bern.

S. Bern. ad Henr. Senon. c. 7. meritò conquerens, suo tempore jam practicatum fuisse deplorat: *Curritur in Clero passim ab omni ordine & ætate à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas Curas, tanquam sine Curis jam quisq; victurus sit, cùm ad Curas pervenerit.*

Hos permittas currere: Cœci sunt; illis compatiaris. Recedas ab eorum societate, transeas ad partem parvi numeri, cujus meminit Evangelium. Curras planè ad oppositum, non ampliùs respiciens retrò. Rectè & directè ad Coronam, quæ te in Cœlo expectat. Noli negligere monitionem Domini ad te directam in sacro Eloquio: *Salva Animam tuam. Noli respicere post tergum: nec stes in omni circa Regione, sed in monte salvum te fac; ne ut tu simul pereas.* Et alibi idem tibi per Moysen dictum accipe: *Recedite à Tabernaculis hominum impiorum. Multi vocati sunt: pauci electi. Sic currite, ut comprehendatis.* Gen. 19. v. 17. Num. 16. v. 26. 1. Cor. 9. v. 24.

SERMO XIII.

PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.

De quadruplici Terræ Genere, cujus fit mentio in Evangelio: Personis in seminariis repertis adaptata.

I. Quis sit Ager in Parabolâ expressus?
II. Qui sunt illi in seminariis, qui Terræ petrosæ & spinosæ, secus viam, & terræ bonæ comparantur?
II. Media fructum centuplum adferendi, ut ultimi.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum; & dum seminat, aliud cecidit secus viam, &c. Luc. 8. v.

Tibi hîc ob oculos ponas ipsum Dominum & Salvatorem nostrum, illum magnum Patremfamilias, qui venit ipsemet seminare intendens semen suum. Petas ab eo cum Apostolis gratias, ut hanc parabolam perfectè penetres, & tibi applices. Semen (ut ipsemet Christus exponit) est verbum Dei. Quid sit cadere secus viam, supra petram, inter spinas, in Terram bonam? Idem Dominus exponere dignatus est. Verùm, si per semen intelligamus dolorem de peccatis, quod de semine dictum est, de dolore etiam dici potest.

PUN-

PUNCTUM I.

IMagineris & tibi repræsentes, Agrum illum, cujus meminit hodiernum Evangelium, esse seminarium, in quo es, & vivis. Ubi inveniuntur tot Dispositiones, sensus, & opiniones diversæ & discrepantes in subjectis, quot Terræ in Evangelio Diversitates. Semen sunt: Instructiones, Conferentiæ, & Exempla bona, sanctæ maximæ, principia Divina, & alia, quæ ibidem exercentur, Exercitia. Hoc semen, ait Salvator, cecidit secus viam, & conculcatum per viatores. Aliud cecidit in Terram petrosam: aliud in Terram spinosam; aliud in fundum bonum & bene dispositum, quod fructum centuplum attulit. *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres Cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit: quia non habebat humorem. Et aliud cecidit super spinas; & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.*

Ex his inferas & firmiter concludas, quòd sententia, quô concludit Parabolam Dominicæ Ultimæ, vera sit; & quâ ratione optimè quadret cum hodierno Evangelio: Cùm quarta tantùm Pars illorum, quibus annunciatum & prædicatum est verbum Dei, referat fructum: Et quòd tres partes, non referentes fructum, perditæ sint, & per consequens damnentur.

Discas inde etiam non despondere animum, si animadvertas ex tuis Instructionibus paucos facere fructum: Cùm idem ipsi Salvatori nostro evenerit. Non enim servus Major esse debet Domino suo, nec Discipulus supra Magistrum.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò: qui illi sint in seminariis, qui similes illi magnæ viæ, terræ illi petrosæ & spinosæ in Evangelio. Illi, ait Salvator noster, similes magnæ viæ, qui audiunt verbum Dei ipso facto & recipiunt: Verùm nullam ulteriùs super illud reflexionem faciunt; & duntaxat transeunter, quasi per modum cursoris, ad alia properantis; Unde Diabolus, qui semper ad nostrã ruinam & damnationem vigilat, tollit semen bonum, inducens oblivionem omnis boni: *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt. Deinde venit Diabolus, & tollit verbum de Corde eorum, ne credentes salvi fiant.*

O quot inveniuntur in seminariis, qui nullâ ratione præparati, per desiderium referendi fructum ex verbo Dei, (verùm magis longa habitudine obdurati, & ociositate languentes ac tepidi) aurem præbent quidem verbo Dei; sed spiritus est dissipatus, Cor aliis implicatum est & expositum omnibus terrenis cogitationibus, & desideriis transitoriis omninò immersum, ut non lubeat de Deo aut Divinis cogitare. Non potest porrò Terra ferre fructum, nisi ad hoc disposita, vomere aratri complanata. Illi, qui similes sunt Terræ petrosæ, sunt, qui libenter, & cum Gaudio audiunt verbum Dei, qui facilè concipiunt & excitant desideria bene operandi: At prima, vel minima difficultate sese ingerente,

omnia relinqunt & mutant desideria; ut exprimit Evangelium. *Nam, qui supra petram, hi sunt, qui, cùm audierint, cum Gaudio suscipiunt verbum; & hi radices non habent: quia ad tempus tentationis recedunt. Temporales sunt.*

Eheu! quot inveniuntur in seminariis, & àliis Communitatibus hujusmodi leves spiritus & inconstantes, qui non sunt firmati & radicati, ut loquitur Apostolus, in virtute & Charitate? qui veniunt quidem bonis repleti desideriis, factis & formatis bonis de futuro resolutionibus, cum recipiuntur? qui recipiunt libenter & cum aviditate veritates sibi propositas? sed animum & animositatem non habent, illas in praxin deducendi, dum egrediuntur ratione obdurationis in fundo cordis remanentis, & desideriorum, quibus Mundo adhùc student placere?

O quot egrediuntur ob unicum verbum durum? ob unicum contemptus, vel Irrisionis verbulum? Vel ob aliquam stultam & phantasticam Imaginationem? quid de miseris hujusmodi, & maledictis dicetur? qui scandalum patientur in eo, quòd servi Jesu Christi apparere debent, & haberi, & restringi limitibus & terminis suæ conditionis & status: qui potiùs habitũ deserent, & maximas Ecclesiasticas, quas didicerunt, quàm eâ de causâ pati minimũ contemptum, vilipensionem, & irrisionem, quæ tamen illis cederent in honorem, si tantùm illa bene scirent acceptare; Ea ex causa S. Marcus vocat hujusmodi homines varios, inconstantes, tempori & momentis affixos: quia sese tempori accõmodant: Eorum Devotio, Virtus, & Bonitas temporalis, momentanea est. Hi temporales sunt in tempore boni, quo constringuntur: at liberi redeunt ad antiquam sylvam. Erunt tamdiu boni, quamdiu manebunt in seminario: At quàmprimùm egressi fuerint, erùnt, ut antè fuerant.

Alii tandem sunt similes Terræ illi spinosæ, qui audiunt verbum Dei, retinent, & meditantur: sed illud suffocari deinde, sollicitudinibus, & Anxietatibus Rerum, & occupationum terrenarum, divitiarum, & voluptatum vitæ hujus præterlabentis, permittunt. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & sollicitudinibus, & Divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum.*

O quot adhuc horum inveniuntur in seminariis, qui cognoscentes & æstimantes veritates Ecclesiasticas: Illas tamen nimia rerum Mundanarum sollicitudine supprimunt? qui licet innocentes appareant, impediunt nihilominùs sua maxima culpa, ne verbum Dei refferat in ipsis fructum? Hæ enim sollicitudines superfluæ, hæc Exercitia non-necessaria, anxietatibus juncta nimiis, paulatim suffocant omnia bona facta desideria, omnes pias affectiones, quas antè potuisses habuisse & concepisse.

Vide nunc, ex quorum sis numero, ut remedium adferas ad omnia tollenda obstacula, quæ hucusque huic Divino semini, ne fructum adferret, posuisti.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò media & remedia, omnia tollendi impedimenta, fructum

ctum centuplum referens. Hoc ut fiat, oportet te claudere illam magnam viam. Ad quod serviet Docilitas facilis, Humilitati conjuncta, recollectio frequens, & Meditatio seria intentionum, desideriorum,& affectionum,quâ repellantur impugnationes, & Diabolicæ Fraudes;omnes malæ vitæ præteritæ habitudines, & consuetudines perversæ, extirpentur, & emendentur, quæ te in tuo possent præpedire profectu, ne illæ Divinæ veritatis Menti tuæ firmiter imprimantur,quæ omnibus ad profectum proponuntur. Alterum est,non adhærere hominibus, aut inhærere illorum, ut illis placeamus, sentimentis & opinionibus, oporteteque te contra hunc inimicum fortiter, antequam exeas, munire. Tertium est, abrenunciatio omnium affectionum inordinatarum, ad res seculares, & denudatio omnium sollicitudinum & anxietatum propter terrena, ut sis omninò exemptus ab omni eo, quod te vel in minimò potest retrahere à rectitudine virtutis.

Examina nunc Cor tuum, An sit hisce dispositionibus bene dispositum? animadverte, quæ ex his omnib⁹ tibi desit, ut illam à Domino Deo requiras,dum adhuc hîc existis. Et si aliquam experiaris difficultatem, Te omnibus malis habitudinibus exuendi, mundo prorsus renunciandi,& omnes superfluas sollicitudines plenè repellendi;memineris,quòd nulla terra, quantumvis bona, producit fructus ullos, nisi multùm & bene culta. *Quod autem in terram bonam cadit, hi sunt,qui in Corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

Nec ipse Apostolus non posset hodiernâ die gloriari, ut facit in suâ Epistolâ de suis laboribus,nisi verum esset, Ecclesiasticum & Animarum Curatorem multùm debere laborare, & pati. Factâ porrò suarum pœnarum enumeratione & calculatione accuratâ subdit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, 2.Cor. 12.v.9. Legas illam totam,& addisces, quæ illa sit bona Terra, quæ adfert fructum centuplum.

SERMO XIV.

PRO DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Occasione Quadragesimæ.

I. Cæcitas Christianorum formidabilis hoc tempore.

II. Quid Christianis sit faciendum, & principaliter Ecclesiasticis, hisce tribus diebus Quadragesimæ?

III. Motiva, quæ possunt excitare Ecclesiasticos ad praxin puncti præcedentis.

Filius hominis tradetur gentibus, & illudetur & flagellabitur, & conspuetur. Luc.18.v.32.

ET cur non dicit Filius Dei tradetur? Ratio hujus eſt : Dei Filius, æqualis Patri, in Divinitate, in impaſſibilitate, in immutabilitate, & aliis Divinis attributis, non tradi potuit, nec pati. Cur autem non dixit: pientiſſimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus, & Innocentiſſimus tradetur crudeliſſimis Tyrañis, Inſipientiſſimis, Impotentiſſimis, & nocentiſſimis peccatoribus, utpote Judæis, qui erant ferociſſimi & crudeliſſimi Tyranni, inſipientiſſimi Deceptores, quippe ſeipſos voluntariè perdentes & damnantes; Impotentiſſimi ad omne bonũ, ut omnẽ gratiam ad hoc neceſſariam rejicientes. Nocentiſſimi; quia peccatores Maximi. Nulla autem ratio hujus aſſignari poteſt, niſi quia Dominus Deus valdè difficilis eſt ad publicanda, & manifeſtanda ſcelera peccatorum, quæ nobis eſt Doctrina ſalubris pro vitandâ Detractione.

PUNCTUM I.

COnſiderans hæc ſancti Evangelii verba, quæ ſancta Eccleſia nobis hodierna die ob oculos ponit, deplora Cœcitatem inauditam & formidabilem maximæ partis Chriſtianorũ, qui, loco, quod hiſce tribus diebus meditari deberent Filii Dei amariſſimam paſſionem, conformiter Eccleſiæ intentioni, illos tranſigunt Luſibus, conviviis, Exceſſibus, in omnibus & ſimilibus. Ut in illos verè cadat maledictio cominata per Prophetam: *Væ! qui bibitis vinũm in phialis; & nihil patiebântur ſuper contritione Ioſeph.* Amos. 6. v. 4.

Et ut ad majorem exciteris Compaſſionem. Vide, & animadverte, quantæ deordinationes committantur, quales ebrietates & comeſſationes, & quàm Exceſſus in omni genere irrationabiles & pleniſſimi omni impietate? Irrationabiles, quia quis vidit unquam ſe diſponere ad pœnitentiam per Exceſſus, ad ſobrietatem per Gulam, ad virtutem per vitia? Salvator & Dominus ac Magiſter noſter diſponit ſe ad ſuam Quadrageſimam per Baptiſmum pœnitentiæ, per Humilitatis Exercitium, & per correſpondentias ad Inſpirationes ſpiritûs ſancti, ita Joanni Baptiſtæ loquens: *Sic nos decet, implere omnem Iuſtitiam: Baptizatus Ieſus ſtatim aſcendit de aquâ, & ductus eſt in deſertum à ſpiritu.* Matth. 3. v. 15. & 16.

Et Chriſtiani ſe diſponunt ad ſuam quadrageſimam, quæ eſt inſtituta ad Imitationem quadrageſimæ Jeſu Chriſti, per delicias, per ſuperfluitates, per exceſſivas expenſas, & ſuggeſtionibus maligni ſpiritûs obtemperando; Quo nihil poteſt, excogitari abominabilius, & magis ridiculum.

PUNCTUM II.

COnſidera ſecundò: Quid hiſce tribus diebus facere debeat bonus Eccleſiaſticus? Primò debet vitare omnes ſocietates ſeculares & mundanas; nihil debet in ſuis exercitiis ordinariis relaxare, aſſiſtere libenter Divinis, & ſolemnibus officiis, quæ in iis ſervantur Eccleſiis, in quibus illo tempore venerabile eſt expoſitum; practicare quaſdam mortificationes, jejunia, vel abſtinentias, ut

pro

pro offensis illis satisfaciat, quas fortè potuerit aliâs illis diebus commisisse, & ad Dei iracundiam placandam, Ut evitet maledictiones fulminatas in scripturis in tales Deordinationes: *Cui væ?*
Prov. 23. v. 29. *cujus Patri væ? Cui Rixæ? Cui Fovea? Cui sine causâ vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his, qui morantur in Vino? & qui student Calicibus epotandis?* Secundò in eo illi maximè laborandum est, ut impediat hujusmodi Deordinationes inter Laicos & seculares, idque publicis & privatis adhortationibus & instructionibus, allaborando, ubi non est, introducere aliquam Devotionis causam Extraordinariam, ut illos avertat à variis excessibus, & inducat ad pietatem; quemadmodum in variis Ecclesiis servantur preces. Quadraginta horarum, introducta per S. Carolum. Ita adimplebis officium Presbyteri in scri-
Judith 8. v. 21. pturis expressum: *Quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet Anima illorum, ad Eloquium vestrum corda eorum erigite.*

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò motiva; quæ possunt Ecclesiasticos excitare, & permovere ad has sanctas praxes tempore illo ante quadragesimali. Primum est, quòd illi sint Amici Dei, servi, & specialiter ab illo electi. Hoc maximè testari debent suâ fidelitate, ipsique firmiter adhærere, dum ab aliis derelinquitur; Ut illam mereantur benedictionem, quam Christus suis repromisit: *Beatus*, ait, *qui* Matth. 11. v. 6.
non fuerit scandalizatus in me. Et alibi:
Luc. 22. v. 28. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Alterum est, quia, cùm illi non sint de Mundo, Maximas & Modos vivendi Mundanos deserere de- Rom. 12.
bent, & fugere, monito Apostoli acquiescentes: Nolite conformari huic seculo.

Tertium est, ut etiamsi nihil ex se, & ratione peccati à se commissi haberent, pro quo satisfacerent, conentur tamen pro aliis satisfacere, & Deum placare.

Resolvas ergò firmiter, & statuas apud te quid tempore tali totâ vitâ servare velis? Dicas cum Psalmistâ: *Iuravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Imagineris, Christum Jesum tibi dicere, quod dixit Discipulis suis, videns se ab omnibus derelinqui, ut modò ab omnibus ferè deseritur, contemnitur, & de novo crucifigitur? *Nunquid & vos vultis abire?* Tu; quem ita amavit, ut pro te effuderit suum sacrum sanguinem, & mortuus fuerit: Tu; quem Ministrum & Coadjutorem ad salutem Animarum à se redemptarum esse voluit. Respondeas illi cum S. Petro, eodem spiritu & affectu. *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*



SERMO XV.

PRO PRIMA DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

De Tentationis Salvatoris in deserto,

I. Cur Dominus noster voluerit tentari?
II. Cur illo modo potiùs tentari voluerit, quàm alio?
III. Media, quæ nos contra Tentationes docet.

Ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur à Diabolo. Matth. 4. v. 1.

CElebris est Quæstio apud Theologos: An omnia peccata committantur tentante Diabolo? Cui respondens S. Thomas, aliis Theologis consentientibus, ait: Quamvis aliqua committantur nudâ libertate arbitrii, seu ex malitiâ: Frequentiùs tamen procedere ab instinctu Dæmonis, ut extrinsecâ causâ flante, & succendente prunas concupiscentiæ nostræ: In quo sensu loquuntur passim scripturæ, & SS Patres. Unde Joan. 8. de peccatoribus generaliter dicitur: *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere*, hoc est, suggestiones executioni mandare. Hoc sensu S. Petrus Ananiæ loquens: *Cur*, inquit, *tentavit Satanas Cor tuum, mentiri te spiritui sancto*? Ergò à Diabolo proveniunt Tentationes; Ut videbitur.

Joan. 8. v. 44.

Actor. 5. v. 3

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Cur S. Salvator tentari voluerit? Inter plures rationes, quas SS. Patres adducunt, dicunt, quòd illa prima fuerit, ut doceret nos & admoneret, nos oportere continuò invigilare super custodiam nostram, ut simus semper parati ad pugnandum contra hostes invadentes nos, & undique aggredientes potenter & infatigabiliter; Cum quibus etiam sanctissimi pacem & concordiam nunquam sperare debent: ut expressit S. Hilar. *In sanctificatis maximè Diaboli tentamenta grassantur: quia victoriâ est ei magis exoptata de Sanctis*, S. Hilar. in Cap. 3. in Matth. Altera est, ut discamus, Malum non esse, Tentationes sentire; sed solùm malum esse, consentire. Sentire Tentationes, &

non

non consentire, est: hostem superare, mereri, & triumphare. Tertia ratio fuit, ut omnem nostram confidentiam in ejus collocaremus misericordiâ & bonitate, & ut nos doceret suo Exemplo, Tentationes superare, quæcunque illæ sunt, quæ nos aggrediuntur; quod Apostolus non ignoravit. *In eo, in quo passus est, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur auxiliari.* De quo & Eccles. *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara Animam tuam ad tentationem.* Ad quod, ad imitationem Christi, hortatur & Apostolus: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: Tentatum autem per omnia pro similitudine, absq; peccato.* Ex quo bene concludit S. August. *Igitur Diabolo se tentandum præbuit, ut, ad superandas Tentationes ejus, mediator esset, non solùm per adjutorium, verùm etiam per Exemplum.*

Hebr. 2. v. 18.

Eccles.

Hebr. 4. v. 15.

PUNCTUM II.

ET ob hoc voluit Dominus & Salvator noster tentari illo eodem modo, & iisdem armis invadi à Diabolo, quibus ille nos pessimus inimicus impetere & invadere consuevit. Quæ omnem vim suam & originem habent, & trahunt ex triplici concupiscentiâ: Ex concupiscentiâ Carnis, & concupiscentiâ oculorum & superbiâ vitæ. Homo quippe hisce tribus continuò impetitur à Diabolo armis. Trahitur enim, aut voluptate Carnali, aut Vanitate mundiali, aut Elatione Animi, & superbiâ vitæ Hæc Arma illi pessimo Tentatori successerant in primis nostris parentibus, quos vel uno proprii amoris, & superbiæ impulsu dejecit, & prostravit: *Eritis sicut Dii.* Hisce adhuc nos quotidie invadit, & impetit, Nos ut succumbere faciat, ac prosternat. Estque hodierna die ita audax, impudens, & reprobus, ut Filium Dei illis ipsis armis aggredi audeat, ut experiatur, an esset homo, ut alii, qui possit tentari, & tentationi succumbere, & peccare: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Ecce! tentatio, invasio, & arma accepta ex Concupiscentia, & Voluptate Carnis. Quibus cùm nihil effecisset, illum transfert in Civitatem sanctam, statuens super pinaculum Templi, illique suadens, seipsum præcipitare deorsum, ut inde nihil recipiens nocumenti, mundus crederet, illum esse Filium Dei. Ecce! tentatio ex motivo vanæ Gloriæ desumpta, qua putavit Diabolus, se posse Filium Dei prosternere. *Si Filius Dei es; mitte te deorsum: scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te.*

Genes. 3.

Verùm, cum & hac invasione nihil valuisset contra Dominum, audet ulteriùs, & tertia ipsum invadere tentatione. *Assumpsit illum in montem excelsum valdè, & illi ostendens omnia Regna Mundi,* cum omni Gloria illorum dixit: se illi omnia illa daturum, si se agnosceret ut Deum, & adoraret. *Et ostendit ei omnia Regna Mundi, & Gloriam eorum: dicens: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*

Ecce hæc omnia! quomodo illum vult, bonorum Mundi hujus allectum amore & concupiscentia, dejicere & perdere! Quoties hos eosdem Tentatio-

num insultus persensisti & succubuisti, ut tuis solis non fideres viribus? Credidisses, has Vanæ Gloriæ Cogitationes, Illas voluptatis Carnis allectiones, illas bonorum temporalium Concupiscentias, Tela fuisse & sagittas, quibus Venator ille pessimus transfigit & prosternit Animas? O Deus optime! Quot ille suis involvit laqueis Ecclesiasticos? Quot die proximo Sabbathino, qui ordinationum dies est, assumet super pinaculum Templi, Illis Cogitationes Ambitionis, ad honores, ad promotiones, & ad dignitates Ecclesiasticas, ingerens? Quot ex Ministris Christi Jesu faciet Ministros & Sacerdotes Satanæ? qui Deum nullum alium agnoscunt, nisi suas Voluptates, & ventrem suum; qui solis Idolis Vanitatis & Ambitionis sacrificant; qui Divinitatem aliam nullā recognoscunt, quàm Thesauros & Divitias; Et qui vita sua scandalosa animas Inferno immolabunt, ac Dæmoni servient ad alios tentandos, & ad malum inducendos? Hæc S. Chrysostom. Claris expressit terminis: *Extolli ad fastigium sanctitatis non acquiescas; quia nemo extollit se ad sanctitatis altitudinem, nisi ducente Diabolo. Qui altus & magnus fieri festinat, ascendit in montem, quem Diabolus sibi elegit ad seducendum. Quorum Deus venter est, Aqualiculus Altare, Sacerdos Coquus, Quorum fides in Culinâ calet, Charitas in ollâ fervet, & tota spes in Ferculis jacet.*

S Chrysost homil. 6. in Matth.

Tertull. adversus Psych.

Roga Deum, & humilimè supplica tota hac septimana, ut avertat misericorditer has miserias, perversitates, & maledictiones à Populo suo, & Ecclesiâ sancta sua. Acquiesce Consilio Christi ad hoc invitantis: *Rogàte Dominum Messis, ut mittat operarios.* Matth 9. v. 38.

Vide, an? & bene examina. An aliâs fueris de illorum numero? Incipias saltem hodiè te emendare; Quod ut efficaciter fiat, sequentia bene examina, & pondera.

PUNCTUM III.

Disce, & apprehende media, te contra omnes Tentationes de futuro muniendi, & confortandi. Duo autem potissima & præcipua media Salvator noster, suo Exemplo, proponit & designat. Primum est Mortificatio, & Pœnitentia. Hoc est Exercitum, quod Ecclesia nobis proponit, & præcipit, hoc sancto Quadragesimali Tempore, in præcepto suo jejunii, nobis & omnibus filiis impositi. Hoc recipe, & amplectere toto affectu: sed & tres illi adjungendas Circumstantias noli negligere. Primò; illud jejunium suscipere & servare cum Conscientiæ puritate. Secundò; Bonâ intentione, utpote intentione Deo placendi, Ecclesiæ sanctæ Dei obedientiam præstandi, pro peccatis tuis, & aliorum, satisfaciendi, Libertatem spiritûs acquirendi in omnibus actionibus tuis, Te totum, ad Imitationem Domini nostri, Divinis servitiis & Voluntatibus applicandi & subjiciendi; & similium piorum Exercitiorum, quibus mediantibus tuum Deo acceptabilius sit jejunium. Et tertiò; hoc jejunium debet incipi & observari cum remotione omniū societatum inutilium, in silentio & recessu majori, quàm aliâs, Quæ omnia denotantur nobis per Baptismum, quem Salvator

Salvator noster recipere dignatus est, & per spiritus sancti instinctum, motionem, & impulsum, quo monente & impellente ductus est in desertum, dans omnibus optimi jejunii modum. Adhoc autem maximè hortantur scriputræ: *Accingite vos. & plangite, Sacerdotes ululate Ministri Altaris. Convertimini ad me, in jejunio, & fletu, & planctu. Sanctificate jejunium. Inter Templum & Altare plorabunt Sacerdotes, & dicent.*

Ioel. 1. v. 13. Ioel 2. v. 12. Ioel 1. v. 14. Ioel. 2. v. 17.

His Ecclesia sancta in suis hoc tempore officiis per omnia subscribit. *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.* Et alibi: *Utamur ergo parciùs verbis, cibis, & potibus, somno, jocis, & arctiùs perstemius in custodiâ.*

Alterum medium est; sibi reddere sententias sacræ scripturæ familiares, quæ sunt Arma optima & Excellentissima, nos tuendi contra omnes inimici infernalis fraudes & impetus. Ita Christus Dominus, Salvator noster, ductus in desertum à spiritu talibus armis solùm usus est, quibus prævaluit in omnibus contra Satanam, In primo insultu hisce scriptura verbis prostravit. *Non in solo pane vivit homo: sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* In altero non minori stravit energiâ: Non tentabis Dominum Deum tuum. Et tandem in tertiâ illum omninò fugavit: *Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ita Christus contrivit Satanam; quod agnovit Apostolus ad Roman. *Deus autē Pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Adhoc & hortatur ad Ephes. *Accipite Armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.*

Matth. 4. v. 3. & Deuter. 8. v. 3.

Rom. 16. 20.

Nunc firmam fac, resolutionem, hisce duobus uti mediis, & maximè hoc sancto Quadragesimæ Tempore, ut Gratia tibi hisce Temporis circumstantiis præsentata non inutilis & vacua sit; Ut Apostolus in Epistolâ hujus diei monet: *Ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis*, 2. Cor, 6. v. 1.



SER-

SERMO XVI.

PRO SECUNDA DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

De Transfiguratione Domini noſtri ſuper Montem Thabor.

I. Cur Dominus noſter vitâ ſuâ durante privaverit ſe Gloriâ corpori ſuo naturaliter debita?

II. Oppoſitio horum duorum Myſteriorum Transfigurationis & Paſſionis.

III. Plures Eccleſiaſtici ſemper libenter manerent ſuper montem Thabor: ſed nunquam Montem Calvariæ aſcendere volunt.

Aſſumpſit Ieſus Petrum; & Iacobum, & Ioannem, in montem excelſum ſeorſim, & transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17. v. 1.

TRes familiariores ſibi aſſumpſit Jeſus in montem excelſum, ad indicandum, quanta perfectio requiratur ad Gloriam adipiſcendam. Gloria enim correſpondet Gratiæ. Hic mons, ait Tirrinus, fuit Libanus mons, qui hic imminet Cæſareæ Philippi. In cujus finibus videtur Chriſtus, de quo prædixerat Iſaias: *Gloria Libani data eſt ei, Decor Carmeli & ſaron ipſi videbunt Gloriam & decorem Dei noſtri.* Transfiguratio fuit exterior mutatio in figuram ſplendidiſſimam, manente, ut ait Theophyl. Charactere, id eſt, Lineamentis, & proportione, qualis ante erat, ineffabilis Lucis, augmentum. Addit S. Lucas: transfiguratum fuiſſe, *dum oraret.* Ut nos doceat, efficaciam & fructum Orationis. Hæc autem Chriſti Glorificatio, ſeu Illuſtratio, nō ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco, connaturali quadam Emanatione ab Anima beatâ procedens, facta eſt; Quæ Apoſtolos animavit ad quæcunque amare & difficilia ſubeunda, ſpe Gloriæ ſimilis in Reſurrectione.

Eſaiæ, 35.

PUNCTUM I.

COnſidera primò: Cur Dominus noſter tanto Tempore, totâ utpote vitæ ſuæ duratione, ſe illâ Gloriâ privaverit, quæ corpori ejus naturaliter erat debitâ. Ratio ſola hujus continui miraculi fuit, ut tantò plùs pro nobis pateretur. Si enim ipſo facto ſuâ omnipotentia, & amore ſimul immenſo Dei Filius hanc corporis

corporis Gloriam, seu Gloriosam qualitatem retinuisset, quæ illi, vi unionis, quam corpus ejus cum Animâ beatâ habebat, naturalis erat? Fuisset omninò impassibilis, & nunquam Judæi illum crucifixissent, ut fecerunt. Et ob eandem omninò causam, hodie solùm transeunter se sic Gloriosum exhibuit, ut ne momentum quidem, vel minimum vitæ ejus totius, à passione transiret immune propter homines, ut eos redimeret & eriperet è potestate Diaboli & è faucibus Inferni. Et adhuc illo pauco tempore, quo Gloriosus apparuit in oculis suorum Apostolorum, Ut de suæ mortis die ingeratur sermo, quem mirâ expectat aviditate, ne dicam impatientiâ, ac desiderio incredibili. *Et descendentibus.*

Vehementem hic eodem tempore traharis in admirationem tantæ Dei bonitatis, ac mirâ perfundaris confusione, videns eum facere miracula, ut ptopter te passionis capax sit. Et tu è converso velles miracula libenter fieri, ut ab omni pœnâ, passione, & tolerantiâ liberareris. Annon res admiranda est, quòd hoc, quod nobis esse materia, deberet, illum amandi, imitandi, & serviendi ferventiùs, ac majori cum perfectione, sit nobis occasio socordiæ & tepiditatis, ac si labo asset, ut ociaremur, & passus esset, ut nihil nos ulteriùs operaremur, & pateremur.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò horum duorum Mysteriorũ ita discrepantiũ, transfigurationis & passionis Domini & Salvatoris nostri, quorum Evangelium meminit, oppositionem. In primo est, & apparet Gloriâ undique circundatus; splendor & claritas: Anima illius redundat in faciem ejus, & facit splendescere & ipsa vestimenta ejus. *Et resplenduit facies ejus sicut sol; Vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix.* Et expressiùs expressit alius: *Et evigilantes viderunt Majestatem ejus*: utpote in Gloriâ: In secundo est, & apparet totus nudus, flagellatus, dilaceratus, ac ita deformatus, ut non ampliùs agnoscatur, aut agnosci queat: *Non est species ei, neq; decor; quasi absconditus vultus ejus, & despectus; Unde nec reputavimus eum.* Super montem Thabor Pater æternus illum agnoscit Filium. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Super montem Calvariæ Filius conqueritur, se derelictum à Patre: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hodie in monte Thabor adoratur à duobus maximis Prophetis: *Erant Moyses & Elias visi in Majestate, & dicebant Excessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem.* In die mortis ejus crucifixus est inter duos Latrones, omnium risui, contemptui & despectui spectantium: *Crucifixi sunt cum eo duo Latrones.*

Matth. 17. v. 2.
Luc. 9. v. 32.
Esaiæ, 53. v. 2.
Matth. 27. v. 46.
Luc. 9. v. 31.
Matth. 27. v. 38.

Hodie Discipuli ita rapti sunt, illi adhærentes, & conjuncti, ut vellent ejus semper frui aspectu, & ab eo nunquam separari. *Bonum est, nos hic esse: Si vis faciamus hic tria Tabernacula, Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* At in die mortis dereliquerunt eum omnes turpiter. Nullus remansit; Imò & ille, qui inter omnes constantior esse debuit, & qui cum illo antè paratus erat, & in Carce-

rem, & in mortem ire, ad unius ancillæ vocem, ipsum ter abnegavit. Cur ergò duas Res conjunxit ita contrarias, nisi ut nos doceret, quòd Gaudium & amaritudo, Gloria & ignominia, honor & contemptus sint omninò in hoc Mundo inseparabilia, sese necessariò concomitantia.

PUNCTUM III.

HÆc est Philosophia, quam S. Petrus nondum bene comprehenderat, nondum penetraverat, aut didicerat, dum ad intuitum tot rerum admirabilium exclamat. *Bonum est, nos hîc esse: Faciamus hîc tria Tabernacula: Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Vellet libenter semper manere super montem Thabor, & nunquam Calvariæ montem ascendere. Bonorum illorum illis in monte Thabor ostensorum suavitas, & dulcedo ita ejus occuperat Cor & animum, ita illum detinebat raptum, & absorptum, ut Fratrum suorum, qui remanserant, infra montem, non recordaretur. Suum solùm commodum requirit, non aliorum cogitat utilitatem, se solum bene esse delectatur & gaudet: quomodo cum aliis sit, non curat. Eheu! quot inveniuntur hodiernâ die Ecclesiastici, qui libenter continuò super montem Thabor remanerent, hoc est in occupationibus sibi Gratis, ex quibus suas trahant consolatiunculas. At, actiones laboriosas, pœnosas & difficiles nullo modo aggredi volunt, illas refugiunt, illas attingere nolunt. Aliqui, ne mentionem illorum faciuunt, qui sibi in sordibus solùm complacent, qui inerti, torpent, vel solis voluptatibus & deliciis hujus seculi inhiant, sed de magis probis & innocentibus, ita sunt studiis dediti & affixi, ut illa deserere nequeant. licet quandoque sint animarum Curâ gravati. Alii suas relinqunt Parrochias, & veniunt in Civitates habitatum, sese ibi firmant, prætextu ibidem concionandi, aut aliud quippiam agendi, in quo sese ibidem occupent, non potentes, ut ajunt, vitæ Campestri sese accomodare. Alii solâ trahuntur Orationis dulcedine & continuâ cum Deo conversatione, ita ut Actio exterior illis sit onerosa, cum Petro dicunt *Bonum est, nos hîc esse.* Integris diebus in suis remanent Oratoriis & in Ecclesiis, in quibus nullus sit Tumultus. At unâ horâ remanere in unâ parochiâ, ubi bonum Exemplum darent suis Parochianis, ubi sui ordinis functiones subirent, tumultus, occupationes, discursus, & negociationes ibi intercurrentes sustinerent. Illos avertit à Deo, & in Orationibus distrahit. Quis non videt, quòd pura hîc sit Tentatio, Phantasia, & imaginatio, major multò, quàm fuerit S. Petri apprehensio: Quærere requiem in vitâ laboriosâ & pœnosâ; non velle, nisi pro seipso, laborare, in statu, qui ad alium finem non ordinatur nisi ad laborandum pro aliis? Nunquid vita Presbyteri & Hierarchica? studendum est, orandum est, sed non oportet ibi morari & persistere; verùm magis, quilibet, juxta Talentum suum, aliis communicare debet Gratias, Illustrationes, & veritates, quas sibi suo studio, oratione, & virtutum Exercitio acquisivit, & accepit; illis nimirum, qui his egent, & propter quos facti sumus Presbyteri,

byteri. Vide, qualiter vita Christi & Apostolorum mixta fuerit? Et ecce? Norma illa debet esse vitæ tuæ.

Resolvas te nunc ad illos imitandos: *Hæc est enim voluntas Dei*, ait Apostolus. Hæc est voluntas Dei, qui omnia vult in suo ordine, & qui inertem pati vult neminem, vel qui præcisè pro se laboret, in numero Ministrorum suorum. Hanc agnosce & recognosce obligationem, Teque illi humiliter & toto corde submitte, Apostolicæ Exhortationi acquiescens: *Rogamus vos & obsecramus, ut, quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo: Sic ambuletis, ut abundetis magis*, 1. Thessal. 4. v. 1.

SERMO XVII.

PRO TERTIA DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

De muto Dæmone à Christo Domino expulso.

I. Duo effectus perniciosissimi Dæmonis in Animâ sunt: Illam reddere surdam & mutam.
I. Quâ occasione incurrere possint Ecclesiastici, quòd sint surdi & muti?
III. Remedia horum malorum.

Erat Iesus ejiciens Dæmonium; Et illud erat mutum. Luc. 11. v. 14.

EX Animâ tuâ etiam, O Peccator? ejiciendum est Dæmoniũ. Omnis peccator per Dæmonem fit peccator. Ergò, ut justus fiat, Dæmonium ejiciendum à Jesu. Ille enim solus potest impium justificare, & tollere effectus malos, qui sunt peccata, ex Animâ, illamque liberare ab omni impedimento salutis. Hîc cœcitas, & loquelæ privatio erant effectus à Dæmone causati. Dæmones enim quandoque reddunt homines loquaces detractionum, murmurationum, maledictionum susurrationum, &c. Unde bene Ecclesiast. *Susurro*, ait, *coinquinabit Animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo manserit, odiosus erit.* Eccles. 21. v. 31. Reddit mutum: dum adest obligatio, peccata confitendi, Deum laudandi, proximum instruendi, & corrigendi, denunciandi in visitationibus & hujus-

hujusmodi. In talibus occasionibus reddit Dæmon hominem mutum, ne suis satisfaciat obligationibus: Ideò debet Jesus ejicere Dæmonium. Ut videbitur.

PUNCTUM I.

CONsidera primò; Duos perniciosissimos effectus, quos producit Dæmon in Animâ illorum, quos per peccatum detinet, esse, illos reddere surdos & mutos, hoc est, illis claudere os ad omnes Discursus & sermones bonos, Dei laudativos, ædificativos proximi, & sui ipsius perfectivos. *Ecce obtulerant, &c.*

Matth. 9. v. 32.

Firmat aures, ne audiat interiores & Divinas allocutiones; ne externas ad bonum inductivas Exhortationes percipiat, sive provaniant à Deo, sive ab hominibus. Ita hodiernâ die advertit S. Matthæus, quod Dæmon, quem Dominus & Salvator noster ejecit, non solùm mutum reddebat, quem possidebat, ut refert S. Lucas, verùm etiam & surdum. Ipso facto audi Discursus, quos habent & miscent peccatores, quas patiantur Difficultates, sua operiendi peccata, quas pœnas subeant, quas Gehennas sentiant in societate bonorum, dum sermones Dei proponuntur? quo affectu Instructiones & exhortationes recipiant? Nunquid diceres, Illos omnem amisisse loquelam? nullum amplius auditus sensum habere? Audi illos apud sapientem conquerentes. *Gravis est, &c.*

Sap. 2. v. 15.

O Deus! quàm ille deplorandus est status, videre hominem hisce duobus privatum, ita ad usum vitæ necessariis? Verùm quantò magis in Personâ Ecclesiastici, qui semper autem habere debet attentissimam ad omnem spiritûs sancti motionem, allocutionem, & Inspirationem, semper debet habere os paratissimum ad Divina annuncianda & exponenda Mysteria, ad Laudes Divinas depromendas, & ad continuas referendas Gratiarum actiones.

Vide nunc; num ex eorum sis numero? Et ut meliùs percipias sequentia considera.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò: Quibus in Occasionibus queant Ecclesiastici hanc incurrere surdi & muti notam. Muti sunt respectu Dei, dum illum non amant, non adorant, non orant, non laudant; dum Exercitium Orationis intermittunt, dum Divinum Officium, vel partem ejus non persolvunt; dum de illo non loquuntur; Illi dum non referunt Gratias pro acceptis Beneficiis; dum ex pudore, negligentiâ, vel contemptu, tempore notabili non frequentant pœnitentiæ Sacramentum. Respectu proximi sunt muti, dum non instruunt illũ, Catechisant, & docent, sive ex ignorantiâ methodi Doctrinæ, sive ex negligentia, sive ex malitia & mala voluntate, sive res inutiles illi referendo, sive ingerendo nocivas, sive in occasionibus id exigentibus illum non corrigendo, dum Correctiones futuræ sunt utiles & Proficuæ: utpote dum Blasphemi sunt objurgandi; Detractores reprimendi; Libertini, & injuriarum illatores compescendi; Dum Discordes sunt reconciliandi; vel familiæ pacificandæ; Dum de-

fectu admonitionum, Exhortationum, & oppositionum malæ introducuntur Consuetudines, pravi mores prævalent in aliquo loco; dum veritatem subticent, palliant, vel alterant; Dum Sacramenta administrantes, maximè Baptismum, pœnitentiam, & Matrimonium, non debitas dant Instructiones illis, qui ad ea Sacramenta suscipienda accedunt. Et, uno verbo, dum tacent, quando illorum officium obligat ad loquendum; Quod Propheta duobus subjunctis verbis comprehendit: *Canes muti non valentes latrare.* Eheu! quot hujusmodi muti in Ecclesia reperiuntur? *Evangelium ponere*, ait S. Bern. Quem in sensum S. Gregor. *Pensandum est. &c.*

S. Bern. de con. ad Ele. c. ult.

S. Gregor. past. p. 3. c. 23.

O si possent attendere & intendere sermonibus interioribus, quibus Deus illis loquitur & admonitionibus sibi datis, quibus proficere queant, & augmentum in bono sumere! Malum non ita esset desperatum, & extra omnem remedii spem. Verùm illi sunt surdi simul & muti. *Aures habent, & non audiunt.* Et velut Judæi, obdurati in prædicatione S. Stephani: *Obturaverunt aures suas.* Quid ergò tanto malo remedii adferri poterit?

PUNCTUM III.

Remedium optimum & præsentissimum est, se ad pedes Domini & Salvatoris prosternere, *qui surdos facit audire, & mutos loqui*; ut nobis pro secunda vice aures adaperiat; Rogo, Domine, dic iterum *Epheta*, quod est, *adaperire*, & Linguam solvat. Ille est, qui linguas infantium facit esse disertas, & eloquentes. Dicam cum Moyse: *Obsecro, Domine, non solùm non eloquens, sed & impeditioris, & tardioris Linguæ sum*; Domine, cùm me loqui vis & præcipis: Loquere ipse per os meum; Ita faciam, inquit ille Moysi: Vade, ne timeas à facie eorum: *Ego ero in ore tuo, & docebo te, quid loquaris?* Hoc nullo modo præstare nobis intermittet, modò dispositiones nos ad hoc requisitas adferamus, &, juxta tenorem, intentionem & Doctrinam Epistolæ, elongemus nos ab sermone immundo, & Discursu extravaganti & inutili; nec huiusmodi patiamur ab aliis. Quomodo, Lingua nostra & Aures nostræ, si sint hisce repletæ & assuefactæ sermonibus, verbum Dei locum inveniat? Juxta verbum Domini: *Nolite, &c.* Ob hoc hortatur Apostolus: *Omnis igitur, &c.*

Marc. 10. v. 19.

Ephes. 5. v. 3.



SERMO XVIII.

PRO QUARTA DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

De recuſatione Honoris oblati Salvatori ab illis, quos miraculosè refecerat in Deſerto.

I. Zelus illorum hominum ad Salvatorem noſtrum ſequendum in deſertum.
II. Cur Salvator noſter recuſaverit Regiam Dignitatem ſibi oblatam?

Ieſus ergò; cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus.
Joan. 6. v. 15.

DOminus & Salvator noſter, qui nobis à Deo Magiſter, qui viam in veritate docebat, qui cœperat facere & docere, qui prius Exemplo expreſſerat, quâm verbo doceret; inſiſtens ſuis jactis vivendi modis, & poſitis docendi principiis, ipſum volentibus eligere in Regem non acquieſcit: ſed fugit in Montem, omnes ſuo Exemplo docens: Honores humanos declinandos. Et hoc ſuos verbis expreſſis docuit: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini, ſicut parvuli: non intrabitis in Regnum Cœlorum.* (Matth, 18. v 3.) Non eſt alia via, quâ per Mundi Ægyptum peregrinantes, intremus in Aulam Cœleſtem, niſi Humilitas. *Non aliam*, ait S. Auguſt. (S. Auguſt. Epiſt. ad. Dioſcor.) *Tibi capeſſendam, & obtinendam veritatis viam invenies, quàm quæ inventa eſt ab illo, qui Greſſuum noſtrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem.* Hoc hodierno die Salvator noſter ipſo facto oſtendit, ut videbimus ex dicendis:

PUNCTUM I.

COnſidera primò Salvatorem in medio illius Magnæ Populi multitudinis, qui illum jam triduò ſequuntur in Locis deſertis, poſthabitis parentum & Amicorum ſocietatibus, familiarum ſuarum relictâ Curâ, non habitâ ratione requiei dulcedinis, imò cibi, & potûs, aut rei cujusvis alterius nulla habita ſollicitudine. Satis illis erat Chriſti præſentia, Chriſto adeſſe, Chriſtū ſequi. O quis illus hujus Multitudinis Zelus? quis Devotionis ardor? Verùm animadverte etiam;

etiam; quomodo hunc in illis recognoscit Zelum? quomodo hanc remunerat Devotionem? quâ ratione compatitur? subvenit? sublevans illorũ necessitates, Non contentus est, illos instruere, illis de Divinis Rebus loqui, salutem annunciare, & viam salutis ostendere illorum mederi Infirmitatibus & morbis; verùm, ut corporaliter reficiat, miracula facit, effectus vires naturæ superantes producit, illos ut nutriat, & ostendat, ac doceat, nos Christum sequendo, nihil amittere posse, imò quòd nec Res temporales illis necessariè unquam deerunt. *Sequebatur eum multitudo magna, multitudo maxima venit ad eum. Unde ememus panes, ut manducent hi? Et excepit eos, & loquebatur eis de Regno Dei; & eos, qui curâ indigebant, sanabat.* Verè verificatur verbum Domini in Evangelio. *Nemo est, qui reliquerit Patrem, & Matrem, & agros, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc.* Et alibi: *Quærite*, ait, *primùm Regnum Dei; Et cætera adjicientur vobis.*

Luc.9.v.11.

Marc 10. v. 29.

Matth 6 v. 33.

Quomodo huc usque secutus es Christum? quâ affectione ejus verbum audis? passusne es unquam, ejus occasione, famem, sitim, aut aliam quamcunque rem? multum abest, ut multa patiaris, qui vix moves, ad ejus servitium, pedem. Te quotidiè in Altari nutrit, & maxima facit miracula, se ut tibi det in alimentum, & cibum Animæ tuæ. Ob hoc totum non sufficit te aliquo modo movere cor tuum, & emollire ad debitam recognitionem, ac ad Devotionis fervorem? Hi boni & pauperes homines fuerunt ita grati, ut recognoverint illud temporale sibi exhibitum beneficium, ut illum voluerint facere Regem, illo recusante, & fugiente in Montem. Et jam, cùm petit apud te regnare, Dicis; si non verbo, & ore, saltem actione, opere, conversatione, & vitâ, cum malis illis subditis in Evangelio. *Nolumus hunc regnare super nos.*

PUNCTUM II.

VErùm; Cur Filius Dei hunc recusat honorẽ, sibi tamen debitum? Prima ratio fuit ob inconstantiã & instabilitatem populi illius, qui illũ hodie in Regẽ coronâsset, acceptâsset, & unxisset; Et tamen non intermisisset postea, ut fecit, tradere Judæis. O quot animæ reperiuntur, quæ, ante & post Communionem, Christo promittunt mirabilia, illum eligentes, ut regnet super se. Et nihilominùs, primâ occasione obviante, illum tradunt in manus Inimicorum suorum; ut, unâ Colerâ, uno contemptu, unâ invidiâ instigante & movente, ac si nunquam cognovissent aut recepissent Christum Jesum?

Altera ratio faciens magis ad nostram Instructionem, est, quam adfert S. Gregor. dum ait; Salvatorem nostrum fugisse: Nos ut doceret, quantum apprehendere officia Ecclesiastica deberemus? & quantum nos opponere, dum illa acceptare cogimur; Quod multum abest ab illo, ut illa ambiamus, & quæramus, ut plurimi, prô dolor! faciunt. *Quis enim*, ait Magnus ille sanctus, *tam sine culpâ principari hominibus potuisset, quàm is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat?* Et nihilominùs, quia venerat in mundum, non solùm ut nos per

suam

ſuam Mortem redimeret, ſed etiam ut ſuo exemplo inſtrueret, recuſavit Dignitatem Regiam. Et tanto zelo incitatur & fertur impulſu ad omnes ſuſcipiendos contemptus, ad omnes tolerantias patiendas, & ipſam mortem ſuſtinendam. Erat tempus patiendi, non regnandi; Quod S. Gregor. apertiùs expreſſit: *Sed quia idcirco in Carne apparuit, ut non ſolùm nos per paſſionem redimeret, verùm etiam per converſationem doceret, Exemplum ſe ſequentibus præbens: Rex fieri noluit: Ad Crucis verò patibulum ſponte pervenit, ut membra ejus videlicet diſcerent, Favores Mundi fugere, terrores minimè timere.*

S. Gregor. paſſ. p. 1. c. 5.

O qualis Lectio pro his, qui ita avidè quærunt honores & Dignitates Eccleſiaſticas! *Oblatam Gloriam Calumnis fugit, pœnam probroſæ Mortis appetit.* Ecce Exemplum quod Salvator & Dominus noſter dedit! Nunc, non blandiendo nobis ipſis, Nos non decipiendo, non ſeducendo, videamus & conſideremus: quomodo illum imitemur? quomodo ſequamur? quâ affectione honores quæramus: Gloriam appetamus? quo deſiderio inhiemus præeminere, ab hominibus æſtimari? & laudari? Et inveniemus hujusmodi in nobis inclinationes non extinctas, non emortuas; verùm magis vivere, & quotidie creſcere & augeri; cùm tanto experiamur nos ardore in illa ferri, & quærere. Utinam omnes, qui die Sabbathino proximo comparebunt ad ordines ſuſcipiendos, hoc ſibi Exemplum ob oculos ponerent? Haud dubiè ordinatio non foret ita numeroſa. Patientia cum Judæis habenda eſt, ait S. Bernardus, quòd honores quærant, qui ſolùm terreſtres expectabant: At quâ fronte Chriſtiani, & multò magis Eccleſiaſtici, illos ſolùm queant deſiderare; cùm videant, ſuum Magiſtrum, Dominum ſuum, & ipſam ſapientiam recuſare illos, & fugere? *Certè non tam alacriter currerent ad honores, ſi ſentirent, eſſe onera. Quærat honores paganus, qui ſine Deo vivit; quærat Iudæus, qui terrenas promiſſiones accepit: ſed, quâ fronte aut quâ mente magis, Chriſtianus quærat honores mundanos, utpote qui ideo Chriſtianus factus eſt, ut Cœleſtes habeat, & poſſideat in æternitate honores.*

S. Bernard. ferm in Feſt. omnium Sanct.

Non ampliùs ſumus, ſicut illi, ait Apoſtolus: ſed Filii Dei ſumus, & per conſequens, liberi ab omni mundano honore & ambitione, Exemplo Magiſtri noſtri, qui nos ab hac ſervitute liberavit. Itaque jam non ſumus Ancillæ Filii, ſed Liberæ; quâ Libertate Chriſtus nos donavit. Galat. 4.



SER-

SERMO XIX.

PRO DOMINICA PASSIONIS.

De Innocentiâ Domini nostri.

I. Cur Salvator & Dominus hodie suam proponit Innocentiam?
II. Unde summa illa Innocentia Salvatoris nostri Jesu Christi procedebat?
III. Obligatio, quam habent Ecclesiastici, vivendi in Innocentiâ.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. v. 46.

QUæres: Cur Christus Dominus, qui ad omnia alia improperia Judæorum tacuit, aperuerit os suum, ut diceret, se peccatorem non esse? Ratio est: quia coram Deo peccato nihil est detestabilius, utpote Animam bonis omnibus spolians, eam miserabiliter vulnerans, eique mortem inferens, à quâ resuscitare & excitare nemo potest, nisi Christus, qui Lazarum quatriduanum, jam fœtentem in sepulchro, excitavit. Nemo autem ignorat, per Lazarum quatriduanum, fœtentem in sepulchro, peccatorem significari: quia majus est, peccatorem justificare, quàm totum mundum creare. Ideò inter omnia miracula, quæ fecit Christus, Maximum reputatur à SS. Patribus resuscitatio Lazari. *Inter omnia Miracula, quæ fecit Dominus noster Iesus Christus, Lazari Resurrectio præcipuè prædicatur.* Chrysologus *miraculum hoc* appellat *signum signorum, & virtutem virtutum*; Euthymius *Maximum & duplum miraculum*; *non solùm*, inquit, *qui jam olebat, resurrexit, sed etiam, qui obvinctus erat, exivit à monumento.* S. Basilius vocat Miraculum in Miraculo. *Ecce*, inquit, *mortuus à morte redivivus fit, ligatus quoq; ambulat! Admirare Miraculum in Miraculo.* Ideò ergò Christus qui venerat peccatores suscitare à morte peccati se immunem ab omni peccato ostendit, diffitens omnes suos adversarios posse sibi vel minimum ostendere, in quo deliquisset; Ut videbitur.

S. August. tract. 49. in Ioan.
Chrysol. serm. 63.
Euthym in hunc locum.
S. Basil. homil. 4. de Grat. act.
Ioan. 2. 4. v. 40.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Cur Dominus & Salvator noster suam hodiernâ die proponit Innocentiam, & Judæis ob oculos ponit, ut illam agnoscant, & ne præposterè judicent, & falsè? Prima ratio fuit, ut doceret nos, ne præposterè & antè tempus judicemus proximum;

illum licet opprobriis affici, calumniis impeti, & omnibus subjici injuriis videamus? ut Filius Dei apud Judæos tractabatur. *Nonne bene*, dicebant, *dicimus nos: quia Samaritanus es, & Dæmonium habes?* Ideò monet Apostolus: *Nolite, &c.* Joan. 8

Quoties, (recogitas bene) ante tempus judicâsti? Quoties ex levibus apparentiis tulisti judicium? Quoties ex relationibus falsis, ex suspicionibus levibus condemnâsti?

Judæi dicebant: Christum possessum à Dæmone, &, Dæmonium habere, appellabant Samaritanum, falsum Prophetam. Et nihilominùs nihil magis a veritate alienum erat reperibile? Idemne tu de tuo proximo judicas?

Altera ratio fuit, ut suam Doctrinam probaret & confirmaret; sequebatur enim evidenter, si peccare non posset, & peccatum in illo non esset assignabile: Illum vera docere; & Doctrinam ejus esse irrefragabilem. *Si veritatem*, ait, *dico vobis: quare non creditis mihi? si mihi non vultis credere, saltem operibus credite.*

Tertia Ratio fuit, ut ostendens, quòd nulli peccato subjectus esset, licet aliis humanis infirmitatibus subjaceret, plus & major esset, quàm cæteri homines. Erat enim Agnus Dei, qui tolleret peccata Mundi. Et supremus Pontifex, qui erat Mundum redempturus, virtute Innocentiæ suæ, & Exemptionis ab omni peccato. Quod Apostolus agnovit, & expressit. *Sic nobis*, ait, *decebat, ut esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cœlis factus.* Hebr. 7. v. 26.

Quarta Ratio fuit, ut suos tandem doceret Ministros ita vivere, ut vita eorum sit probatio, vel potiùs praxis & Demonstratio suæ Doctrinæ, seu illius, quod alios docent Et sicut sunt illius in suis functionibus imitatores, illum etiam & in modo vivendi imitentur, in suâ innocentiâ, inculpabili vitâ & impeccabilitate, monito S. Gregorii acquiescentes. *Qui Loci sui*, inquit, *necessitate exigitur summa dicere: hæc, eâdem necessitate compellitur summa monstrare.* Hocne præstas? Itane vitam ducis innocentem, ut impeccabilis videaris? S. Gregor. Past. p. 2. c. 3.

PUNCTUM II.

Considera secundò: Unde summa hæc Innocentia proveniat in Christo Jesu, qui nec poterat pati umbram vel minimi peccati.

Primò, hæc summa Christi Innocentia provenit ex Unione Hypostaticâ, quâ natura ejus humana Divinæ sociabatur in unitate personæ, cui nihil magis repugnat, quàm peccatum, exprimente scriptura: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. v. 35.

Secundò, hoc proveniebat ex plenitudine Gratiæ ipsi infusæ à primo momento suæ incarnationis, cui plenitudini Gratiæ continuò in ipso in omne opus bonũ influenti erat incompossibilis omnis culpa & peccatũ. *In quo omnis plenitudo Divinitatis inhabitat corporaliter.* Coloss. 2. v. 9.

Tertiò, proveniebat ex Gratiâ Capitis, quæ in illo erat, ut in principio, ex quo omnes Gratiæ procedere debebant, & in alios derivari, velut à summo Pontifice à Deo constituto ad omnes peccatores

tores sanctificandos, & justificandos. *Vidimus*, inquit Evangelista, *Eum plenum Gratiæ & veritatis; unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Ioan 1 v. 14. Ibid. v. 18.

Adores ergò Christum Jesum, in omnibus his qualitatibus, & summo Amore prosequere; summas illi persolve Gratias, quòd ille Innocens, & ipsa sanctitas, sese humiliare & exinanire amore tui voluerit, ut te à tuis liberaret peccatis; juxta verbum Apostoli: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

2. Cor. 5. v. 20.

PUNCTUM III.

QUalis obligatio, his omnibus visis & maturè ponderatis, Christiano incumbit, se in innocentiâ conservare, vel illam reparare, dum perdidit, quando considerat, hanc ipsam Christum Jesum precio proprii sanguinis ipsi meruisse? Verùm, quantò magis incumbit Ecclesiastico, hanc semper innocentiam in se incorruptam conservare, cui est, ut alios purificet, & sanctificet? Verum est, quòd quandiu sumus in hac vitâ, tandiu non simus impeccabiles, & quamcunq; circumspectionem adhibeamus, non possimus etiam evitare levia peccata: Nos tamen possumus ad minus, mediante Gratiâ illa vitare pro maximâ parte. In quo Ecclesiastici plus quàm cæteri, laborare debent: *Ab immundo* enim, juxta scripturam, *quis mundabitur? Si dixerimus, quia peccatum non habemus: Mendaces sumus, & veritas in nobis non est.*

Eccles 34. 1. Ioan. 1. v. 8.

Vide nunc & animadverte, si in tali sis statu, & tenens Christi Jesu locum, proportionaliter, innocens existas, ut ille? Si dicere possis, non Deo sed hominibus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hic est status, in quo esse debebas, ut Ecclesiam intrares. Quantum autem ab eo elongatus fueris pondera; Et nunc, quâ fronte gloriari posses de tuâ innocentiâ: cùm tot existant testes tuarum Deordinationum? Dixistine cum Prophetâ continuò in omni vitâ tuâ: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum?* Rogastine cum eodem, & toto corde Psal. 118. v. 13. precatus es: *Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova, in visceribus meis?* Psal. 50. v. 12.

Humiles te nunc coram Deo; detestare peccatum, ut summè contrarium unioni, quam incessanter habere debes cùm hac Divina Majestate, & Gratiæ, quam debes in plenitudine possidere; & præsentiæ, quam debes continuò Divinæ suæ bonitatis ob oculos habere, & functionibus, quæ quotidiè debes exercere. Et de futuro tuum ad Christum ipsum habe recursum, quem Apostolus nobis proponit hodierna die in Epistola, tanquam Magnum Sacerdotem, & Pontificem, qui incipit sacrificium cruentum offerre, quo debent omnia hominum peccata deleri? *qui per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ Redemptione inventa*; Illum in- Hebr. 9. v. 12. stantissimè supplicans, ut sua applicet merita pro tua sanctificatione, & te idoneum reddat, ut illi Majori servias fidelitate. Si enim sanguis Hircorum, aut Taurorum inquinatos sanctificat ab immundatione Carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per spiritū sanctum seipsum obtulit immaculatum, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

SERMO XX.

PRO DOMINICA PALMARUM.

De Regiâ poteſtate Domini & Salvatoris noſtri; & quid illi vi hujus qualitatis debeamus?

I. Quomodo Dominus & Salvator noſter Rex in ſcripturis appellatur?
II. Debitum, quod illi in hac qualitate debemus.
III. Reflexiones.

Ecce! Rex tuus venit manſuetus; Oſanna, Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini.
Matth. 21. v. 5.

PRævidens Zacharias Propheta glorioſum, humilemque ingreſſum Domini in Hieruſalem, exclamat: *Exalta filia Sion, jubila filia Hieruſalem. Ecce Rex tuus* veniet tibi, juſtus; Salvator: ipſe pauper. Planè quidem apparet exultandum, & jubilandum, quia Rex iſte juſtus ſit, ad ſuum rectè judicandum populum &c. Item, quia Salvator ſit ad protegendum; ſed unde exultandum, quia ipſe pauper? Multum per omnem modum. Quid eſt quod conturbat Regna, atque in infinitas prope conjicit anguſtias, quàm quia ut plurimum Rex Dives eſſe vult, & juxta inſatiabilem ſuam cupiditatem excoriat ſubditos, atque exſugit uſque ad internecionem; non tale Regnum elegit Dominus: *Regnum meum*, inquit, *non eſt de hoc mundo.* Ecce Rex tuus venit, ô Chriſtiane, tuæ ſaluti, tuæ utilitati; non ſibi terrenas coacervaturus divitias, ſed ipſe pauper; non ſibi venit, ſed tibi, ut tu ejus diteris paupertate; Etenim cùm veniat, tànquam legitimus Rex, neceſſe eſt, ut veniat in commodum Reipublicæ; eo namque fine Reges, Judicesque inſtituuntur, ut recti rectos faciant, ut de tuo Rege ſubjecta oſtendent.

PUNCTUM I.

COnſidera primò: Quod quando Dominus & Salvator noſter, in ſcripturis ſanctis Rex appellatur, non eo modo Rex appellatur, quo ex conſuetudine honorantur Principes, & Reges mundi hac qualitate, ſeu appellatione: Verum eſt, quod Filius Dei exiſtens, & ſupremus Monarcha Cœli, & terræ poterat comparere magnâ pompâ, & magnificentiâ Regi magnifico & glorioſo, debitâ

debitâ, & sibi appropriare omnia Imperia, & Regna Mundi; verùm cùm omnia hæc Regna non sint nisi Regna terrena, hæc ille contemnit, & protestatur ipse, quòd suum Regnum multis ab his discrepet modis: *Regnum meum non est ex hoc Mundo*, hoc est, non est status politicus, mundanis maximis, & legibus temporalibus directus; verùm est Ecclesia quam dirigit, & gubernat per leges æternales, & divinas, hoc est, corpus omnium fidelium in generali, & particulari; hoc est, quælibet anima, quam suo spiritu animat, & dirigit per suas inspirationes, & internas motiones secretarum suarum gratiarum. O quàm hoc regimen elongatum est â Mundano! ô quàm felices sunt illæ animæ, quæ sub hoc dulci regimine, & imperio vivunt. Verificatur enim dictum Prophetæ; *Dominus Rex noster salvabit nos.* Et illud Evangelistæ: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*, quia legibus æternis, & in omnibus perfectis directi: Quod & sanctus Augustinus expressit: *Non enim Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesq; visibiliter debellandos, sed Rex Israel, mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd ad Regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesq; perducat.*

Esaia, 33.
Luc. 1. v. 32.
August. tract. 55. in Ioan.

Hunc ergò Regem cordis tui adora, hunc hodierna die recognosce & assume in tuum legitimum Dominũ & ita.

PUNCTUM II.

DIsce debitum, & obligationem, quam illi in hac qualitate debes; primum debitum, & obligatio, quam illi debes, est fidelitas, quæ in eo sita est, ut alteri nulli personæ qualicunque eum reddas honorem æqualem illi, quem quisque suo Regi supremo debet, & nullam habeas quamcunque intelligentiam; vel societatem cum ejus hostibus, & inimicis; audi præceptum ejus, & serva: *Ego Dominus, & non alius præter me, non assumes nomen Domini tui in vanum.* Secundum, quod illi debes, est respectus & reverentia talis, ut nihil unquam cogites, facias, vel loquaris, quod illi vel in minimo sit injuriosum. Juxta præceptum ejus: *Dominum Deum tuum adorabis, & soli illi servies.* Tertium est, obedientia integra, & servitium absolutum, quod â te requirit, ut omnes ejus exactè adimpleas voluntates, immò ipsi obvies quantum in te est, præveniens, juxta dictum Tertulliani: *Non tantùm obsequi, sed & adulari debemus.* Ecce! unde poteris recognoscere, si Christus Jesus veraciter sit Rex Cordis tui, & quomodo facere, & conari debes, ut ille regnet in cordibus omnium fidelium illis recommendans has obligationes summi ponderis, & momenti ad salutem ipsorum exactissimè observandas.

Exod. 20.
Ibid.
Matth. 4. v. 10.

PUNCTUM III.

VErùm quàm sis elongatus ab eo, ut coneris, & allabores, ut illi ab aliis debitæ reddantur, obligationes, servitia, & observationes, cùm tu ipse toties, hisce contravenias? Quoties turpiter illum dereliquisti, & tradidisti in manus inimicorum suorum? Quoties Creaturis honorem reddidisti, quem illi soli

debebas? Quoties in ejus præsentia illum contempsisti? Quoties ejus voluntati restitisti? Quoties te suavi ejus jugo subtraxisti? *Dixisti non serviam.* Quoties tandem à tempore, quo ipsum recognovisti pro tuo Rege in baptismate, eum cum Judæis crucifixisti? Quoties porrò eum offendisti, toties, juxta dictum Apostoli, eum morti tradidisti. Quoties ergò adhuc eum crucifiges hac quindena Paschatis, sive per eos, qui indignè accedent proxima die Sabbathi ad sacros ordines, sive per Communiones, & Confessiones sacrilegas, innumerabilium Christianorum? Quot Herodes, & Caiphæ illum recipient, illi ut illudant, illi ut summam inferant injuriam? Animadverte saltem, ne hæc mala accidant tua culpa, tua negligentia, tuis præcipitatis absolutionibus, si Confessarius sis; Et ut sollicitior reddaris, memineris, quòd summè timendum sit, ne Deus sæpius offendatur in Festo Paschatis, quàm toto cætero anni decursu. Ideò Ecclesia facultatem tibi committit remittendi, & differendi Communiones Paschales, ut probes tuos pœnitentes, & impedias sacrilegas confessiones, & communiones, quæ ordinariè committuntur ab iis, qui sunt in peccatis habituati, qui una vice tantùm in anno confitentur, & communicant, coacti necessitate, non inducti charitate. Recurre ergò, cum sancto Bernardo, ad thronum divinæ misericordiæ, & dic corde, & affectu: *Veni interim Domine Iesu, aufer scandala de Regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu, qui debes, in eâ; venit enim avaritiâ, & vendicat in me sibi sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia mihi vult esse Rex; luxuria dicit ego regnabo, ambitio, detractio, invidia, & iracundia certant in me ipso, de me ipso: Cujus potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo, resisto; renitor, quantum juvas; Dominum meum Iesum reclamo; ipse me defendo, quia ipsius me juris agnosco; ipsum mihi Dominum, ipsum mihi Deum teneo; & dico non habeo Regem, nisi Dominum Iesum; Veni ergò, Domine, & disperge illos virtute tuâ, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus.* Christi induaris vestimentis, & iisdem ducaris sentimentis, Christi Jesu in cruce pendentis septimana hac in magna vivas humilitate, ejus exemplo: offeras teipsum in sacrificium cum hoc divino Salvatore, & sacrificatore pro tuis peccatis, & totius populi; considerans, quod illa sint, quæ illum tali in statu miserabili constituerunt. *Hoc sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui, cùm in forma Dei esset, humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis.*

S. Bernard. Serm 4. super missus est.



SER-

SERMO XXI.

PRO DIE FESTO PASCHATIS.

Vide inter Sermones de Festis.

Intentio Sermonum.

Pro sex Dominicis â Phaschate, usque ad Pentecosten.

MAteria sex horum Sermonum desumetur ex sex qualitatibus, seu dispositionibus principalibus necessariis ad formandum virum perfectum Apostolicum, quas Dominus, & Salvator noster spiritualiter notavit in Evangeliis sex Dominicarum sequentiũ, quibus mediantibus suos Apostolos disponit ad prædicationem Evangelii, & ad alias sui ministerii functiones, postquam receperant spiritum sanctum. Prima harum conditionum, & fundamentalior omnium, est Missio: *Sicut misit me meus Pater, ego mitto vos.* Secunda est, nutrimentum populo dandum, vel subministrandum verbo, & Exemplo, compræhensum parabolâ boni Pastoris: *Ego sum Pastor bonus.* Tertia est elongatio â maximis, & modis vivendi mundanis, hisce verbis compræhensa: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Quarta est scientia sanctorum, subjunctis contenta verbis: *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quinta est Spiritus orationis. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ultima est, Patientia, & longanimitas, ac constantia in persecutionibus: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*



SER-

SERMO XXII.

PRO DOMINICA OCTAVÆ PASCHATIS.

Prima conditio præsupposita necessariò omnibus aliis, ad ministerium Evangelicum requisitis, est Missio.

I. Necessitas missionis ad ministerium Ecclesiasticum debitè exercendum.
II. Potestas quam dat Salvator noster his verbis: sicut misit me Pater.
III. Quid à nobis requirit, ita eminens qualitas Ministri Christi Jesu.

Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos. Ioan. 20. v. 21.

CHristus hic tradit generaliter suis Ministris omnem potestatem in Ecclesiam suam, utpote judicialē potestatem remittendi peccata, & potestatem directivam instruendi, & docendi omnes in Ecclesia, quam tota Ecclesia contra hæreticos semper necessariam agnovit; *Porrò ante Adventū Christi nec pœnitentia erat Sacramentum, nec est post Adventum illius cuiquam ante Baptismum utilis. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ*, tunc præcipuè instituit cùm à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam in signi facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatē pertinaciter olim negantes magnâ ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos, explosit atque condemnavit.* Et meritò, nemo enim justè functioni satisfacit, nisi sibi impositæ à superiori, vel nisi ipse sit superior: Atqui nemo est, nisi Christus in Ecclesia superior, Ergò nemo non missus à Christo in Ecclesia functioni suæ, ut par est, satisfacit.

Trident. sess. 14. cap. 1.

PUNCTUM I.

COnsidera primò ex hisce paucis verbis necessitatem missionis in Ecclesiâ ad functiones Ecclesiasticas, debitè, &, ut par est, exequendas. Dominus, & Salvator noster melius non poterat nobis hanc innotescere facere, quàm se proponendo in exemplum, & dicendo, quòd non venisset à seipso, sed

quòd fuisset missus à Patre suo, & quòd, si mitteret suos Apostolos, non alio mitteret mandato, & potestate, quàm mandato, & potestate à Patre receptâ. Si porrò Filius Dei cum omnibus suis juribus, perfectionibus, & qualitatibus eminentissimis, cum illâ innocentia, scientiâ, & Zelo, cum fortitudine illâ, potestate, & auctoritate, & aliis præeminentibus excellentiis vi suæ divinæ, & temporalis Nativitatis, non usurpat nihilominus Sacerdotium, nec se suis ingerit functionibus ex se ipso, sed nisi vocatus Quid dici poterit de illis qui vitâ deordinatâ vixerint, nullâ pollentes primarum veritatum Evangelicarum notitiâ seipsos dirigere nō potentes, si se ingererent in ministerium sanctitatis, suscipererent aliorum directionem ex seipsis? *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Fac, & elice actum fidei circa hanc veritatem tanti ponderis, & momenti firmissimum, & roga Deum, ut hanc ipsam ingerat profundissimè in animas eorum, qui se disponunt ad statum Ecclesiasticum.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò: Potestatem, quam Dominus, & Salvator noster suis communicavit Apostolis, hisce Divinis verbis: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, & emphasin, & energiam hujus verbi: *Sicut.* Ita illis dicebat, hoc est tempus, quo oportet me separari à vobis, & quo redeo ad eum, qui misit me, ne contristemini meâ absentiâ; verùm magis ite, prosequimini, & continuate opus, quod ego cœpi. Memores estote me esse, qui vos elegi ad tam dignum ministerium, & sicut ego veni in Mundum ordinatione, & mandato mei Patris æterni, ut omnes in eo adimplerem ejus voluntates, pro salute hominum, pro prædicatione pœnitentiæ, pro iis liberandis ab eorum infirmitatibus & peccatis, illis ut darem exemplum, & ostenderem viam salutis, quam tenerent. Vos, quos elegi, & constitui Vicarios meos in terris, qui mearum actionum testes fuistis, quos à triennio in mea scholâ erudivi, quibus mea secreta, & mysteria revelavi, & fidi, quos mihi associavi, & assumpsi ad opus Redemptionis humanæ, Idem præstare, & exequi debetis. Ite ergò viriliter in universum Mundum, prædicate, & annunciate Mundo universo coram Regibus, Principibus, & universis mortalibus, quod ego annuntiavi vobis, quod vobis ad aurem locutus sum, & quod in occulto revelavi: Accipite spiritum sanctum ad remittenda peccata, ad functiones vestri ministerii debitè, & dignè obeundas; Et tantam potestatem vobis communico, quantam communicavit mihi Pater, dum misit me. Non perturbemini ob persecutiones, quæ vobis accidere debent, certi estote, & nulla ratione dubitate, nunquam ego vos deseram, verùm ita adero vestris intentionibus, ut in nullo sitis destituendi meis auxiliis. Memores estote, quòd ego vitam meam dederim pro vestra, & uno verbo, quòd laborare vos oporteat, eò modo, quo ego laboravi. Quod totum ipse sacro ore illis ante suam passionem prænuntiavit: *Venit hora, ut transeam ex hoc Mundo ad Patrem, & vadam ad eum qui*

misit me, non turbetur cor vestrum, sed euntes prædicate Evangelium omni Creaturæ, ego enim elegi vos, ut eatis, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, quia quæ placita sunt ei, facio semper. A meipso non veni, sed est verus qui misit me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & claudis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino & diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes, ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ita & ego mitto vos amicos meos, sicut agnos inter lupos, quod dixi vobis in tenebris, dicite in lumine, quod in aure audistis, prædicate super tecta.

Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Omnia dedit mihi Pater in manus, ecce omnia nota feci vobis; eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, sed ne timueritis eos; ecce enim vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi.

Ecce summarium vestræ missionis, ô Deus! quale ministerium, quod homines similes reddat Christo Jesu, qui eos fecit Redemptores aliquâ ratione secum, & cooperatores Redemptionis humanæ. Adora ergo hanc supremam potestatem, quam ita benigniter communicat Presbyteris Ecclesiæ suæ. Recipe ejus verba, quâ potes humilitate, & ut tantis, & sublimibus his correspondeas intentionibus, intende sequentibus.


PUNCTUM III.

QUod â te requirit in illo sublimi statu, & eminentiâ constituto, primum est, ut magna æstimes salutem animarum, quæ pretio sacri sanguinis Filii Dei redemptæ sunt, & pro quarum salute misit hodiè Apostolos, & mittere non desinet usque ad consummationem seculi Ministros dignos, & sufficientes, ut illæ dirigantur in viam salutis: secundum est unio in Christo: *Manete in me, & ego in vobis*, hoc est dicere, adhærete mihi perfectâ imitatione, considerantes primos Presbyteros, & ministros meos, quali illi mihi adhæserunt fidelitate quâ affectione collaborârunt, & quâ confidentiâ in omnibus suis occurrentiis & difficultatibus suum ad me recursum habuerunt, nulla re, quacunque â me separati, vel â meis adimplendis placitis præpediti. *Sicut enim palmes non potest ferre fructum â semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis, ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Ioan. 14. v. 4.

Vide nunc, & seriò pondera, quanti æstimaveris, & feceris animam; exempli gratiâ, hanc accipe, quæ tibi chara, & charior esse debet inter omnes, hoc est, quanti feceris ipsam tuam animam, quia si hanc neglexeris, quâ ratione aliarum curam habebis? An ignoras, quòd sit perdere animam suam, mortaliter peccare, & quòd sit se exponere proximo perditionis periculo, se exponere periculo mortaliter peccandi, & quòd sit se exponere magno periculo, se exponere periculo venialiter peccandi. *Qui diligit iniquitatē odit animam suā.* Psal. 10. v. 6. Et huic subscribens Tobias; *Qui faciunt*, inquit, *iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* Tob. 12 v. 10. Et tamen quàm parum hæc curas? quam,

rogo pœnam suscepisti? pro salute aliorum, quidnam passus es? Quomodo adhæres Christo? Cogitasne, sæpe de illo, scisne te ex parte illius & voluntate missum? Exhibesne tuum ministerium, pro tuo interesse, velut tibi exemplum dedit? Hic esto sollicitus; sola enim hæc unio, quam ad ipsum habemus, vivâ fide & operante per charitatem, quæ nobis robur, ut ait sanctus Joannes, ad vincendum mundum, hoc est, ad convertendos peccatores, te ejus probabit verum Ministrum, ut tui primò ipsius, non neglectâ cura, sis idoneus conversioni aliorum subservire.

Hæc est victoria, quæ vincit Mundum, fides nostra. Joan. 5. v. 4.



SERMO XXIII.

PRO DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Secunda qualitas seu perfectio necessaria viro Apostolico est, pascere populum verbo & exemplo.

I. Salvator noster in Evangelio denotat triplex genus pastorum, utpote furis mercenarii, & boni Pastoris.

II. Notæ, illos discernendi.

III. Quàm pauci sint boni Pastores?

Ego sum Pastor bonus. Iohan. 10. v. 10.

REvera bonus, omni enim benevolentiâ, sollicitudine, & industriâ quærit oves errantes, intellige peccatores; hanc benevolentiam multis aperit modis, primò per amorem gallinæ, pullos suos congregare volentis; secundo per amorem Matris puerum ad ubera revocantis. Tertiò, per modum sponsi sponsam etiam adulteram quærentis. Sed quid mirum? *In charitate*, ait, *perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans tui.* Ierem. 31. v. 3. *Et ego, quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* Osea. 11. v. 3. Ubi Rubertus, sicut nutrix infantiles ineptias perfert, & nunc verberat, nunc blanditur, sic ego, &c. Hoc agnoscens David: *Domine*, inquit, *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Psal. 20. v. 4. Triplex, ait Bernardus, nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans, & consummans.

mans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversionem, perficit gloria consumationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non potest dare terra nostra fructum salutis: neque enim aut inchoare bonum, donec â misericordia præveniamur, aut agere bonum, donec adjuvemur â gratia, aut consumari in bonis possumus, donec gloria repleamur, in quibus sollicitudo boni Pastoris versari debet, ut ex dicendis innotescet.

PUNCTUM I.

COnsidera quòd sit triplex genus Pastorum, multum differentium, quos Dominus Salvator noster distinguit in Evangelio, alii veniunt ad ovile tantùm, ut furentur, & mactent oves, & hi sunt fures. Alii, ut vident lupum venientem, continuò fugiunt, & hi sunt mercenarii; Et alii veniunt, ut oves conservent, & tueantur & exponunt se periculo mortis pro ipsis, & vitam ipsam, qui justè qualitatem boni Pastoris obtinent. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat: *Mercenarius, & qui non est Pastor, videt lupũ venientẽ, & dimittit oves, & fugit: Ego sum Pastor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis*, & hæc est proprietas boni Pastoris. Pete ergò lumen à Domino Salvatore, ut cognoscas, inter quos numereris, & hoc ut meliùs discernas, subsequentia maturè consideres.

PUNCTUM II.

COnsidera notas, quas nobis Salvator in Evangelio subministrat, ut bonum Pastorem distinguamus ab omni alio, qui non est Pastor. Notæ illæ principales tres sunt. Prima est, via quam tenent, ut intrent in ovile, omninò opposita, & contraria; altera est, intentio, quâ intrant, & tertia est labor, & differentes occupationes, quas suscipiunt. Primi aliam non habent intentionem, quàm malum operari, hoc est dicere, quàm furari, mactare, & perdere oves; & non curant, quâ ratione, vel quâ via intrent in ovile; *qui non intrat per ostium in ovile, fur est, & latro* Portæ Simoniæ, & confidentiæ sunt magis ordinariæ, per quas se intrudunt, *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* Ioan. 10. v. 1. Matth 7. v. 15. Omnis eorum labor, dum intrârunt, nõ est alius quàm corrumpere, & seducere oves, sive falsitate doctrinæ, sive depravatione morum, sive tandem Hipocrysi, & dissimulatione affectatâ. Mercenarii hoc commune habent cum primis, quod eorum introitus non sit justior, vel magis legitimus, non habentes ordinariè aliam vocationem, quàm avaritiæ, ambitionis, & aliorum vitiorum, quibus inducuntur, suscipere hujus ministerium, & si intentio sit diversa; non enim quærunt, ut primi, perdere oves, mactare, & seducere, sed tantum quærunt suum emolumentum, nec introducunt lupum in ovile, sed si videant venientem fugiunt: *Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Quærit, quæ sua sunt, non Iesu Christi, alioquin utiq; non fugeret, sed sua, immò seipsum super impenderet potius, quàm gregem suum raptoribus exponeret. Multi sunt mercenarii, qui in prosperitate leviter*

discerni

S. Bernard. serm. ad Past. in Synod. congregi.

discerni non possunt â bonis Pastoribus, habent enim multa cum ipsis communia, habuerunt namq; sanam electionem in ingressu, habent nihilominus mundam conversationem in progressu, pacem Ecclesiæ amant, & quærunt; non recusant gravedines oneris, sed hoc ideò, quia ambiunt gloriã honoris, amant enim primos recubitus in cœnis, messis multa, & Sacerdotes multi, & Mercenarii multi, sed operarii pauci, pauci, & admodum rari, inconfusibiles, qui, quos instruent verbo prædicationis, non destruant exemplo pravæ operationis, efficacius opere quàm verbo prædicantes. Gloria Dei, & salus animarum illis non sunt cordi, nec est finis eorum, omnis eorum labor est, ut seipsos pascant, honorem, & respectum quærant, sese in amicitiam Magnorum insinuent, blandiantur illis, qui ipsis favent, alios non curant, negligentes curam suarum ovium, vel si earum curam habeant, vel laborent; pro illis, aut etiam suum debitum exequantur, suæ satisfacientes obligationi, ut quandoque contingere potest, non est ex motivo virtutis, sed ex spe sordidi lucri, inde illis oriundi; Non ita est cum bonis Pastoribus, qui seipsos abnegantes, omni suo commodo, & interesse renunciantes, solùm quærunt gloriam Dei & salutem animarum, hi cognoscunt oves suas, ait Dominus, & pascunt verbo, & exemplo, ducunt illas ad bona pascua, contra luporum insultus tuentur, & in suis consolantur necessitatibus, assistunt in infirmitatibus, & requirunt in deviationibus reportantes eas super proprios humeros, vitam, & omnia pro earum salute exponentes. Ita Dominus noster Pastor bonus, per excellentiam se habuit, & habet erga nos. nos deducens, & conducens ad bona pascua, & vitam pro nobis exponens.

PUNCTUM III.

Vide nunc sub exemplari & archetypo boni Pastoris, quàm pauci boni Pastores in Ecclesia reperiantur, quàm multos fures, & mercenarios pati debeat, quàm pauci, qui intrent per portã, & quàm multi, qui aliundè invadant ovile, quàm multi qui laborent pro suo interesse, qui ament primos recubitus in cœnis, & societatibus, qui primâ tentatione occurrente, se absentant, qui patiantur ante oculos suos malum stabiliri, qui nihil possunt facere, aut pati pro animabus, semper parati nihilominùs pro lucro, & honore adipiscendo, avaritia, & ambitione excitati, se exponere omni generi periculorum, excitare scandala, sufferre inimicitias, dissimulare injurias, & non curare contemtus, ait sanctus Bernardus: Nec enim latere queunt præ multitudine. Major pars non quærit, quàm pascere suam vanitatem, concupiscentiam & malevolentiam, sciunt bene lacte ovium nutriri, lanâ vestiri, sed non curant, an oves perdantur, an errent, an â lupis devorentur, an scabie consumantur, & si morbidæ sint, & infectæ, illas non curant, ut sanentur, & â morte liberentur. Utinam ad minus se haberent erga suum gregem, ut mercenarii, & non ut lupi, utinam ipsimet illis malum non inferrent, utinam non fugerent, dum nemo est, qui persequitur! Utinam non exponerent gregem suum prædæ, & quando lupi veniunt, non fu-

rent, sed, prô dolor, ipsimet illas perturbant, ad se attrahunt vita sua scandalosa elongantes â pascuis justitiæ virtutis, & veritatis. Deplora hoc malum, & seriò examina, an tu non de horum sis numero, & ut hisce remedium adferas, tuum habe recursum ad magnum Pastorem animarum, Dominum nostrum Jesum Christum, cujus Epistolâ hodiernâ nobis ob oculos ponit. labores quos ipse passus est, ut nos oves errantes reduceret ad ovile, cui & nobis veri Pastoris expressit in Evangelio proprietates. *Qui intrat per ostium, Pastor est ovium, huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & deducit eas, & cùm proprias oves miserit, ante eas vadit. Et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus, alienæ autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienarum: Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum. Utinam hodie quicunque Pastores non sunt, Mercenarios gregi vellent se exhibere non lupos! utinam ipsi non læderent; utinam non exponerent gregem, donec lupus videretur? Et post pauca. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Pastorum hæc est beatitudo, non mercenariorum, multò minùs latronum est, vel luporum, usque adeò, siquidem persecutionem non sustinent, ut persecutionem malint sustinere, quàm justitiam. Cæterum propter avaritiam, & propter ambitionem paratos videas universa pericula subire, suscitare scandala, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta, &c.* S. Bern. de convers. ad Cleri: cap. 23.

Nunc excites te, tali bono exemplo, quod cum omnes Christi labores, tolerantiæ & passiones nullum alium habeant finem, quàm tibi ponere exemplum, & archetypon: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, eratis enim aliquando, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.* 1. Petr. 2. v. 21.



SER-

SERMO XXIV.

PRO TERTIA DOMINICA POST PASCHA.

Tertia qualitas ſeu perfectio neceſſaria viro Apoſtolico, eſt elongatio â maximis, & modo agendi, & vivendi mundanis.

I. Rationes obligantes Eccleſiaſticos ſe elongandi â modis agendi mundanis.
II. In quo conſiſtit elongatio?
III. Media hoc exequendi.

Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini.
Ioan.16. v.20.

MUndus gaudet, ſed revera eſt gaudium fallax, cujus exempla expreſſit Job: *Gaudent ad ſonitum organi, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Et Balthaſar Rex fecit grande convivium, ſed durationis non grandis, ſic enim ejus tempus erat, inſtante jam hoſte. Hæc eſt ſanè mundi miſeria, hæc eſt fallacia, ſic ſua gaudia mentitur mundus. *O munde immunde*, ait Auguſtinus, *tenere vis periens. Quid faceres? quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris.* Unde & Chryſoſtomus, hujus gaudii utilitatem expendens: *Quænam quæſo*, ait, *ſecularium voluptatum utilitas? Hodie ſunt, cras elabuntur hodie flos pulcherrimus, cras aridus pulvis; hodie ignis ardens, cras extinctus cinis.* Sic gaudium mundanum, decipit in mundo tranſiens.

Iob.21.v.12.

Auguſt. de verb. Dom. ſerm. 29.

Chryſoſt. homil.43. in caput 6. Ioan.

PUNCTUM I.

COnſidera primò motiva, & rationes quibus obligantur Eccleſiaſtici ſeſe elongare â modo agendi, & vivendi mundano. Memores verbi Domini, *vos deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum; vos de mundo hoc eſtis, ego nō ſum de mundo.* Prima ratio eſt, quia nihil eſt ſpiritui Eccleſiaſtico magis contrariū, ſi enim Apoſtolus potuit dicere omnibus Chriſtianis, quòd, induentes Jeſum Chriſtum in baptiſmate, exſpoliantes veterem hominem,

Ioan. 8.

minem, secundum spiritum mundanum viventem, nos non spiritum hujus mundi accepimus ; quantò magis dici debet de Ecclesiasticis, qui tenent locum ipsiusmet Christi Jesu, qui illos attraxit, & annumeravit inter eos, qui se sequuntur, illis ut alias daret cogitationes, alias affectiones, alias spes, & intentiones, alias maximas, & principia, ut ipse testatur hisce verbis ad suum æternum Patrem directis, in favorem suorum Apostolorum; *Non sunt de Mundo* ; & ipsis loquens Apostolis: *de Mundo*, inquit, *non estis, sed ego elegi vos de Mundo.* Altera ratio est, quod alias aliis pericula & vanitatem ostendere, & demonstrare non valeant, ut obligantur, & adhuc minùs eos ab his avertere, qui illis adhærent, & inhiant, si illi ipsi non fuerint ab illis elongati; Quia qui vult mundum movere, ut aiebat ille antiquus, debet pedem habere extra mundum. Hoc est dicere, affectionem, sic debent dicere Clerici Laicis, vos affectu terram sapitis, terrenis pascimini, delectamini, inhiatis, sursum cor non habetis ut explicat Augustinus in locum citatum Joannis 8. *Si Creaturis omnibus prodesse cupis, â Creaturis omnibus ad Deum te converte. Ego si exaltatus*, inquit Christus, *fuero â terrâ, omnia traham ad me ipsum. Nos omnia contemnimus, ut veritatem teneamus : ne in his mihi exhibeas molestiam , Christus enim his me docuit non egere*, inquiebat sanctus Epiph.

Thaull. ep. 30.
Ioan. 12. v. 32.

PUNCTUM II.

CONsidera secundo, in quo consistat hæc a mundanis elongatio. Hæc, uno verbo, in eo consistit, ut omninò ii facias contraria, quæ in Mundo fiunt; hoc est, habere tantum horrorem mundanarum pomparū, divitiarum, gaudiorum, delitiarum, & honorum transvolabilium , illaque fugere eadem aversione, qua mundani affectiones, & ad ea conversione illa amant, & inquirunt, ac tota inhærent aviditate. In hodierna die Dominus, & Salvator noster nobis præcipit plorare quando mundus gaudet, quæ major oppositio, quàm gaudii & fletûs? *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Etiam certis temporibus, & occasionibus commessationum generalium, recreationum inordinatarum, & ebrietatum ut in bacchanalibus, certis anni festis, debitum est Ecclesiasticorum, & obligatio illo tempore flere, & deflere peccata hominum , ac pœnitentiam agere, & dicere cum Apostolo, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Altera praxis hujus elongationis est, nihil habere ad usum suum exteriorem, de quo dici possit esse mundanum, vel habere modum mundanum, exempli causa habere collaria, crines, manicas, pileos, calceamenta, habitus, ac vestes, modum mundanum referentes, verùm oportet in hisce illas sequi Regulas, quæ ipsis præscriptæ sunt, vel quas sibi ipsi præscripserunt, juxta modū & exemplū antiquorum, & meliùs Regulatorū, quas nunquam mutent, illo modo, hodierna die multi se vestiunt, & habent, quos sequantur, nempe numerum infinitum bonorum Ecclesiasticorum, exemplo etiam Apostolorum, qui mundum non contemplabantur, nisi tanquam objectū horroris, & abominationis, & ejus maximas,

ad Galat. 6. v. 14.

ximas, velut maximas Diabolicas detestantur, in eo acquiescentes consilo Augustini dicentis : *Non potes amare, quod æternum est, nisi destiteris amare, quod temporale est, qui amat seculum, amare Deum non potest, occupatam habet manum, dicit ei Deus, tene quod do, non vult dimittere, quod tenebat, non potest accipere quod aufertur.* Et Concilii Carth. *nec in versibus, nec in calceamentis decorem quærant.* Hoc tandem Apostolo mundi contemptũ ingerebat, ut illum
Ad Phil. 3. v.8. in numero stercorum reponeret, *Omnia arbitror*, inquit, *ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Vide nunc, & examina, quam huc usq; adhæsionem habueris ad mundum, & mundana ; & huic pleno corde, & tota affectu renuntia , ut cum Apostolo Christum lucrifacere queas. unde

PUNCTUM III.

Disce & apprehende media, quibus te facilè expedias ab omnibus mundanis & transitoriis. Primum est semper loqui de modo agendi, & vivendi mundano, magno cum contemptu semper elongatus, longissimè, ut hujusmdoi mundanos agendi modos laudes, approbes, aut recommendes, ut plurimi faciunt, considerans falsitates, pericula, & vanitates suarum maximarum, quæ & si quis vel in minimo inhæreat, vel adhæreat, ita occupant memoriam. Spiritum ita perturbant, & voluntatem, ita maculant, ut nemo possit se ulterius ab illis expedire, nisi magno suo detrimento, molestiâ, & incommodo. Secundum est, recogitare, & respicere mercedem quam expectamus, hujusmodi, si plenè, contemnamus, & fugiamus. *Tristitia vestra*, ait Salvator, *vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, tristitiã habet, quia venit hora ejus, cùm autẽ peperit puerũ, jam non meminit pressuræ propter gaudium. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollit à vobis.* Ubi è contrario gaudium mundanorum vertetur in tristitiam, & lacrymas : Non mirandum est, si Peccatores, & Mundani animo carnali, & terreno respicientes bona cœlestia, & infinita, quæ Deus præparavit diligentibus se in cœlis ; illa vilipendant & contemnant ex eo, quod illis videantur parva, sed illi, qui suâ conversatione jam morantur in cœlis, cujusmodi sunt Ecclesiastici, dum lumina conjiciunt in hæc terrena, & inferiora; vident, & animadvertunt omne, quod in mundo est, esse minimum, & nulla æstimatione, aut pretio dignum, imò illis apparet, ut nihil; Hisce excitatus cogitatibus Isaias de illis dicebat, Cernent terram de longe: Utpote elongati, & occulsi ab omnibus terrenis, potentes dicere cum Apostolo: *Conversatio nostra in cœlis est.* Tertium tandem est cogitatio, quam nobis Apostolus ob oculos ponit, quâ nos consideramus nos ipsos, vel peregrinos & advenas super terram; eâ de causâ dicebat Sanctus Petrus: Adjuro vos, rogo, & obsecro vos elongare â mundanis, & terrenis affectionibus, cum ex vestra conditione, & vocatione ab his elongati sitis, vel elongari longissimè

Ioh. 16. v. 2

Phil. 3 v. 20.

gissimè de beatis, ut cives sanctorum, & domestici, Dei sitis,
Eph.2.v.19.
1.Pet.2.v.11.
Charissimi, obsecro vos; tanquam advenias peregrinos, abstinere & vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.

SERMO XXV.

PRO DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Quarta qualitas seu perfectio necessario viro Apostolico est scientia.

I. Obligatio, quàm habent Ecclesiastici, ut sint docti.
II. Qualis esse debeat scientia requisita in Ecclesiasticis.
III. Reflexiones super exilem scientiam Ecclesiasticorum.

Cum venerit spiritus paracletus docebit vos omnem veritatem. Joan.16.v.13.

DOcebit vos omnem veritatem, & practicam, & speculativam, id est, plenam, & perfectam scientiam rerum divinarum, necessariarum, & utilium ad salutem hominum, ad Ecclesiæ bonum regimen, v. g. ad abolitionem legalium observationum, ad introductionem Evangelicarum veritatum, ad institutionem Ecclesiasticorum rituum, & ceremoniarum. Ita Theophyl. & alii: *Docebit vos, quæcunq; audiet, id est; à me accipiet, quia de me accipiet, & annunciabit vobis,* id est, de meâ scientiâ quam una cum essentia divina à me accepit: ac si diceret. Nihil vos docebit contrarium doctrinæ meæ; meæ voluntati oppositum, aut à meis moribus, & vitæ meæ degendæ modo dissonum, docebit vos omnem veritatem, omnem expellens vanitatem, & falsitatem, ut repleti omni bonitate; & scientiâ capaces sitis, alios docere verbo & exemplo, ut ex dicendis patebit.

PUNCTUM I.

COnsidera primò obligationem, quam habent Ecclesiastici, ut sint docti, & in sacris scientiis versati. Prima ratio est, quia sine tali scientia non possunt aliqua ratione satisfacere suo muneri, & ministerio, quod consistit

pro majori parte in instructione, directione, & informatione populi; Et ipso facto, si Apostoli semper in sua remansissent nuditate, & quòd mediante lumine infuso spiritus sancti illis non fuisset communicata scientia necessaria, quomodo potuissent instruere ignorantes, cōfundere hæreses, & stabilire leges? Jam Christus illis communicaverat intelligentiam scripturarum per explicationem, quam illis fecerat, toto tempore incolatûs sui inter illos, & nihilominùs illis adhuc hodiè promittit spiritum sanctū, qui illorum foret pædagogus, &
Matth. 5. v. 13. Magister: *Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit, & suggeret vobis, omnia quæcunque dixero vobis: Vos estis sal terræ: Vos estis lux mundi.* Ita est, quòd medio sermone, & verbo, sicut divino sale, vir Apostolicus præservet corda fidelium à corruptione peccati: hoc est, quod mediâ doctrinâ, & scientia mereatur nomen, quod illi Christus dat, vos estis lumen mundi.

Admirare hic cæcitatem plurium, qui nunquam, vel valde parum studuerint, non potentes, unius mediæ horæ exhortationem facere, non audentes etiam quandoque se præsentare pro cura animarum. An non est magnus abusus potestatis Ecclesiasticæ, quòd hujusmodi admittantur ad Ordinationes, cum non possit in executionem, & exercitium venire? An nō est hoc scandalizare, Ecclesiam exponere periculo, & damnationi oves Christi, & gravissimas committere culpas in suis muneribus, & dare occasionem, & ansam libertinis, & malevolis contemnendi res sacras, cum non possint facere innotescere eorum sanctitatem; Hæreticos convincere, falsitates rejicere, mediante veritate, quàm defendere non possunt, & suum gregem propugnare, docere, & instruere, etiam in obviis, ut in illis verificetur dictum Prophetæ: *Venite omnes bestiæ agri, ad devorandū universas bestias saltus, speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* *Esa. 56. v. 9.*

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, qualis esse debeat scientia hæc requisita in Ecclesiasticis: Dominus, Salvator noster hanc docet, & facit innotescere verbis subjunctis; *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem*, quibus duo docet, primò quàm extensa debeat esse hæc scientia, & quæ ejus esse debeat amplitudo: *omnem veritatem.* Secundò medium principale illam acquirendi: Verùm cum dicit: omnem veritatem, non intelligit de veritatibus humanis, de scientiis Philosophicis, vel Theologicis, quæ res faciunt innotescere per suas causas, quæ serviunt sæpè plus ad superbiam, inflationem, & perditionem, quàm ad salvationem, & ædificationem, sed de scientia, quæ ædificat, hoc est dicere, quę deservit ad instructionem proximi, ad intelligentiam scripturarum, & ad authoritatem Ecclesiæ. Eadem ratione, dum ait, quod spiritus sanctus illos docebit, ut Pædagogus, & Magister, non vult excludere media ordinaria acquirendi scientias, cujusmodi sunt studia, conferentiæ, scholasticæ exercitationes, sed vult nos docere, quòd sicut Apostoli

omninò ignorantes medio spiritu sancto doctissimi, quasi in momento effecti sint, & capaces comparendi in celebrioribus Academiis, & doctiores seculi confundendi, ita nos sæpè plus addiscemus in ejus scholâ in oratione, quàm in nostris intensissimis studiis, in Academiis, & Universitatibus celeberrimis sub profundissimorum Magistrorum ferulâ, & directione: & quod saltem semper debeamus implorare ejus assistentiam, inspirationem, & auxilium prius quàm nos alicui applicemus studio: Verum enim est verbum Domini:
Joan.15.v.5. *Qui manet in me, & ego in eô, hic fert fru-*
Psal.127. v. 2. *ctum multum.* Et illud: *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sed eritis, qui manducatis panem doloris*; Et quidem maximum impedimentum, quo præpedimur, quò minùs docti evadamus, est nimia in nobis ipsis confidentia, & non plenaria nostri ipsius sub directione spiritus Dei resignatio, qui eâ de causâ sibi complacet, mirabilia sæpè efficere, & extraordinaria per personas minùs doctas sibi magis tamen unitas: sicut videmus hoc nostro tempore quod hæreses extirpare, & refutare dignetur per personas laicas, & secundùm seculum simpliciores; *Spiritus enim, ubi vult spirat.*

PUNCTUM III.

DEplora hic parvam directionem, & providentiam multorum Ecclesiasticorum, qui omninò alia discunt, & sciunt, quæ scire nō debēt, negligunt ea, quæ scire debent, libros tractantes de indistructionibus familiaribus, de rebus divinis, quas deberent populo exponere, & explicare, & se applicant altissimis & inutilibus speculationibus quæ nulli deserviunt. Et fac eodem tempore reflexionem super teipsum, & vide, ac considera, an habeas notitiam omnium veritatum tibi necessariarum ad salutem? quibus & tu utaris in tuis vivendi directionibus, & quas populo exponas ad eum dirigendum in viam salutis, An non tibiipsi nimium fidis? Incipisne, & consummas tua studia oratione? Ad illamne tuum habes recursum in occurrentibus difficultatibus? Verùm tua scientia estne scientia in praxi exercitata, ac practica, an purè theoria? Producitne illa primò in te, quod in aliis desiderares? Deservitne tibi ad vitę tuæ reformationem, ad tui temporis debitam habendam rationem, vel tibi deseruit ad majora damna per nimiam applicationem, cum præjudicio aliorum, ad functiones tibi indebitas, & tuam excedentes commissionem? fac serium super hæc examen, nihil dissimules, culpas à te commissas non occultes, non excuses, nō mitiges: Et pete à Deo per unctionem spiritus sancti, ut tua scientia sit pariter invincta, hoc est, tibi, & aliis proficua; habe recursum ad Patrem luminum, à quo, sicut ait S. Jacobus, *omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit*, à quo omnis claritas, & lux derivatur, qua irradiantur omnes piè ab eo requirentes lumen scientiæ, & gratiæ, ille enim est fons, & origo omnis sapientiæ, & gratiæ virtutis, & scientiæ. *Omne da-* Iac.1.v.17.
tum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.

SER-

SERMO XXVI.

PRO DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Quinta qualitas seu perfectio viri Apostolici est Spiritus Orationis.

I. Obligatio quam habent Ecclesiastici, ut sint Orationis viri.
II. Conditiones necessariæ, ut orationes sint efficaces.
III. Defectus, qui committuntur in Oratione.

Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. v. 23.

IN remedium omnium tribulationum reliquit nobis Christus per orationem refugiū ad Christum, ut autē oratio nostra effectū sortiatur, debet habere tria: nimirum lumen, calorem, & ardorem. Primus porrò effectus orationis, est animæ illuminatio, qua anima se ad Deum cognoscit. Unde bene Chrisologus tenuiter ait Micans stella assuescit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis, & dierum. Sic
Psal. 33 v. 5. David in Psalmis. *Accedite ad eum, & illuminamini; & facies vestræ non confun-*
Psal. 118. v. 135. *dentur.* Et iterum, *faciem*, inquit, *tuam illumina super servum tuum*; Et alibi, *illuminans tu mirabiliter à montibus æter-*
Psal 75. v. 5. *nis.* Hinc patet debilitatem Christianorū moderni temporis provenire ex eo, quòd non accedant ad Deum, ut par est. Oratio excitat & calorem, suspiria, & lacrymas. Sic de seipso testatur Psaltes: *Concaluit*, ait, *cor meum, intra me, & in* Psal. 38. v. 4.
meditatione meâ exardescit ignis. Unde D. Augustinus, omnes effectus luminis S. August.
pariter & caloris ab oratione proveni- solil. Cap.
entis referens dicebat: *Quid hoc, quod* 34.
sentio? Quis est ignis, qui calefacit cor meum? O ignis, qui semper ardens; & nunquā extingueris, accende me! Excitat & ardorem; sic David finitâ oratione suâ, ait, *probâsti cor meum, & visitâsti* Psal. 16 v. 3.
nocte, igne me examinâsti, & non est inventa in me iniquitas. Et alibi: *Propter*
verba labiorum tuorum, ego custodivi Psal. 25. v. 2.
vias duras. Et iterum, *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum.* Ardor utique hic ab oratione causatus, animam ad omne bonum accendit, comburit omnes imperfectiones, inspirat contemptum Mundi, & omnes dispositiones ad veram orationem requisitas, ut ex dicendis patebit.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Insistens sensui verborum præfixi thematis, obligationes, quas habent Ecclesiastici ad orandum. Prima est, quòd hæc virtus sit absolutè necessaria, non solùm ad suam salutem operandam, in medio terræ, verùm etiam ad aliorum salutis directionem; quia sicut instrumentum, usui nostro deserviens, conjunctum esse debet manui operarii, vel operantis, sic Ecclesiastici, qui sunt velut instrumenta in manu Dei, & Christi, ad procurandam, & quærendam salutem animarum, nunquam poterunt tali intentione servire, & satisfacere tam grandi proposito, nisi sint uniti per communicationem, quam cum illo participant in oratione Deo, & Christo. Ob quod monet Christus, *manete*, inquit, *in me, & ego in vobis*; & ibidem: *Sine me nihil potestis facere*. Altera est, ex eo, quòd hoc in exercitio, discitur modus animas dirigendi in viam salutis, â malis avertendo, & convertendo ad bona. Ibi homo Apostolicus petit & impetrat grandem â Deo scientiam, suo ministerio necessariam; ibi recipit illustrationes, ad illuminandas animas, flammas ad accendendas & verbum potens, & efficax ad corda penetranda, & convertenda; inde haurit spiritum discretionis, ut penetret, & clare videat fundum conscientiarum, ut sciat distinguere inter vias bonas, & malas, inter flexuosas, & rectas, & recognoscere falsitates, & astutias Sathanæ, quibus animas decipere, & seducere allaborat, dum se transfigurat in Angelum lucis; ibi accipit gladium, quo omnes hostes salutis potenter prosternat, conterat, & usq; ad internetionem deleat; Ibi audit sibi dici, *accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israelis*. Admirare hic multorum deceptionem, qui impendunt totum suum tempus, & consumunt totum vitæ suæ decursum loquendo, & prædicando incessanter, sine ullo recursu unquam ad orationem, ut faciant fructificare suas prædicationes, & dent virtutem verbo labiorum suorum. Hanc desere deceptionem, in eâ si fueris, & disce, sæpè orare, ad orationem tuum recursum frequenter habere; quadrans porrò horæ ferventis orationis plus gratiæ, plus roboris, & plus virtutis; & fortitudinis impetrat peccatori, ad sua vitia deserenda, ad sua deploranda peccata, & ad se perfectè convertendum ad Deum, quàm longi discursus, quos quis cum illo misceret, ut duobus magnis Ecclesiæ Doctoribus accidit, sancto Paulo, & Augustino, qui non sunt conversi, nisi virtute orationis, hic, virtute orationis Matris suæ; ille virtute orationis sancti Stephani, testimonio ejusdem sancti Augustini, *si Stephanus non orâsset, Ecclesia Paulum non haberet*. Quod confirmat sanctus Jacobus exemplo Eliæ. *Elias homo erat*, inquit, *similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum*.

Ioan 15 v 4. Ibid. v. 5. 2. Mch. 15. v. 16. Iacob. 5. v. 17. Aug. verb. serm.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò conditiones necessarias, ut effectus orationis nostræ impetrentur. Dominus & Salvator noster,

noster, duas nobis in Evangelio hodierno notat, & exponit. Prima est, magna confidentia. *Amen dico vobis, petite, & accipitis, &c.* Certè si Deus non haberet intentionem externam, & sincerissimam, nobis dandi, quod petimus, non ita nos premeret, ut ab eo peteremus, ipse qui est suprema veritas, & infinita bonitas, nec vult, aut potest fallere nos, nec ipse falli potest. Audi, quid dicat, *omnia, quæ orantes petitis, credite, quia accipietis & evenient vobis: Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis.* Altera, & principalis est, ut oratio fiat, nomine Christi Jesu Salvatoris nostri, id est, primò, ut illa fiat nomine ejus, ita ut quando aliquid â Deo petimus ab illo petamus, nō nomine nostro, sed nomine filii ejus, qui illud in nobis, pro nobis â Patre suo petit, & qui propriè datur. Et hic est proprius modus orandi Ecclesiasticorum, qui Christi locum tenent, & ministerium exercent, ac Deo loquuntur nomine ejus. Secundò, ut fiat per merita vitæ, & mortis Domini, & Salvatoris nostri Christi Jesu, cui Pater æternus nihil recusare potest, juxta praxin, quàm nos docet Ecclesia, dum concludit omnes suas orationes, *Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* Et ut fiat pro re necessariâ, & utili ad nostram salutem, & non pro re inutili, & nocivâ saluti, in quo nostræ imperfectiones sæpè nobis sunt impedimento. Oratio ergò debet fieri in fide, juxta dictum Augustini: *Si fides deficit, Oratio perit.* Quod autem Christi nomine fieri debeat, ex Christi verbo innotescit, *Ego sum*, inquit, *ostium, pulsate, & aperietur. Stant Angeli ad januam ut introducant, non ut repellant, ut suggerant, non ut terreant; nulla est pompa in januâ meâ, si accedit pupillus parvâ manu, pulsare januam paternam, nuntiant eum Angeli Domino &c. Hoc amat janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundet opportunis, importunis: Propterea ipse Dominus videns januā suam â petitorum voce, & pulsantium clamore silere, invitat omnes ad orationem. Postulet, in fide, nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui â vento movetur, & circumfertur.*

Marc. 11. v. 24. Matth. 21. v. 22. August. de verb. Com. serm. 36. Aug. serm. 2. in Rogat. Iacob. 1. c. 6.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò defectus, qui committuntur in orationibus; primus est, orare sine confidentiâ, ut faciunt plures, quos sanctus Jacobus comparat fluctibus maris, quos venti quandoque agitant ad unam, quandoque ad alteram partem, nunquam immotos relinquentes, sed in continuo motu agitantes, *non æstimet homo ille*, ait, *quod accipiat aliquid â Domino.* Utpote si sine confidentia, ut fluctuans in utramque partem oret. Ideò hortatur Apostolus: *Adeamus*, inquit, *cum fiduciâ ad thronum gratiæ.* Secundus est, dum oratio non conjungitur cum oratione Christi, vel cum Christo; ex eo, quòd hæc unio dependeat præcisè ex intrinsecis nostrarum petitionum essentiis, & naturis, non nisi merito unius Mediatoris, & Redemptoris Deo acceptabilium, & non aliter; *Unus est enim Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus ad quem habemus accessum per fidem. Et non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est*

Hebr. 4 v. 16. S. August. tract. 102. in Ioan.

est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Hoc est in nomine Christi petendam, si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam, quidquid autem aliud petitur nihil; non quia nulla omninò res est, sed quia, in tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Tertius est, petere res utiles, vel illas quæ non contrariantur nostræ saluti; cujusmodi sunt: divitiæ, honores, voluptates, delitiæ mundanæ, &c. *Non enim petitur in nomine Salvatoris*, ait Augustinus, *quidquid petitur contra rationem salutis.* Sed maximus defectus omnium ille est, qui nobis hodiernâ die in Epistolâ notatur, & exprimitur, in personâ ejus, qui consideravit vultum Nativitatis suæ in speculo, sed tantâ negligentiâ & inadvertentiâ, ut non animadverterit sordes, & maculas super faciem suam, vel non curat, ut purgentur, sed continuò obliviscitur, qualis fuerit, & idem sæpissimè accidit iis, qui orationes fundunt tantâ tepiditate, & tam exili curâ, ut nullum inde fructum referant, nullas divinas percipiant inspirationes, nullas gratias mereantur, nullum sentiant ad bonum impulsum, non quia non dantur, sed quia non recipiuntur, vel potiùs rejiciuntur. Et ideò non est mirum, si semper quantocunque etiam tempore insistant orationi, verbi gratiâ, decem, aut viginti annorum, semper iidem maneant, in nullo meliores facti, quia ita orant, ut fructum inde nullum recipiant, quod exprimit sanctus Jacobus in sua canonicâ, *si quis auditor est verbi, & non factor, comparabitur viro, consideranti vultum Nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, & abiit, & oblitus est, qualis fuerit; qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in eâ, & non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in suo facto erit.* Iacob. 1. v. 23.

Vide nunc, & non segniter pondera, an non sis de eorum tepidè & languidè orantium numero, ut remedium, quàmprimùm potes, adferas, sequens consilium Apostoli Jacobi tibi hodiernâ die datum; Et noli, quasi captivas tenere illustrationes, & sensus, seu impulsus divinos tibi in meditatione, seu oratione communicatos, verùm magis fac, in operibus bonis, & virtutum exercitiis patescere. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* Iacob. 1. v. 22.



SER-

SERMO XXVII.

PRO DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

Quæ est Dominica infra octavam Ascensionis, ostendens sextam qualitatem seu perfectionem viri Apostolici, quæ est patientia in persecutionibus.

I. Rationes quæ obligent Ecclesiasticos ad hanc virtutem.
II. Quales sint persecutiones contra quas viriliter oportet nos armare patientiâ.
III. Media quibus in persecutionibus non deficimus, constantes in bono.

Venit hora; ut omnis qui interficit vos, arbitretur, se obsequium præstare Deo. Joan. 16. v. 2.

QUàm appositè loquitur Salvator, ut eos consoletur, vocans omne tempus passionis, *horam* ostendens, quâm parum durent hujus vitæ calamitates. Hoc est sanctorum solamen intelligere vitæ brevitatem, & finiendas brevi calamitates, quia transeunt in momento, & mutantur in meliùs, sicut omnia hujusmodi prospera momento transeunt in deteriora mutanda, ut egregiè expressit sapiens, variis comparationibus factis, *transierunt*, inquit, *omnia illa, tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ pertransiit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam avis, quæ transvolat in aëre, avis nullum invenitur argumentum itineris. Aut tanquam sagittæ emissa in locum destinatum, divisus aër continuò in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius.* Ad has metaphoras reducamus omnia, & mala, quæ sub cœlo molestant, & bona, quæ sub cœlo delectare videntur; Unum est gloria sanctitatis, quam venantur hypocritæ. Quid illa est nisi umbra, quæ sole divini judicii adveniente protinus evanescit? *Nuntius percurrens*, prædicator est, qui sibi in applausu complacens auditorii, & propriarum pulverem aliquem excitans cogitationum, sed nullius valoris. *Navis pertransiens*, est vir multis oneratus divitiis,

vitiis, transiens usque ad portum mortis, ubi exoneretur, nec in mari ullum deinceps apparet vestigium. *Avis* est stultus, præclaris indutus vestibus, velut plumis variegatus, per compita volans ad apparendum. *Sagitta emissa* est bellicosus ad nocendum doctus, & gloriam sibi ex arte conquirens militari: vel vanus in mundanis scientiis disputator, qui supremam putat esse gloriam, dum scitè, subtiliter, ac velociter confoderit antagonistas, adveniente morte, de his nihil invenietur; sicut & mala vertentur in bona: tristitia enim vertetur in gaudium, post horam patientiæ, pœna in gloriam, contemptus, & vilipensiones in laudem, & commendationem æternalem.

PUNCTUM I.

COnsidera primò rationes, quibus obligantur Ecclesiastici ad hanc virtutem. Prima est, quia eorum ministeria associata sunt multis pœnis, contradictionibus, & oppositionibus tantis, ac tam frequentibus difficultatibus, ut si non armentur, & animentur patientiâ solidâ, & stabili, nulla proba, aut adversitate concuscibili, nihil unquam magni efficere, aut præstare poterunt, quod exprimere voluit Psalmista, dum ait,
Psalm. 91. *Bene patientes erunt, ut annuntient.* Intellige veritatẽ, virtutẽ & gloriam intrepidè sine timore, in quo gloriatur Apo-
Ad Rom. 5. v. 10. stol⁹; *sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem spem, &c.* Et hoc sibi â spiritu sancto testatum alibi fatetur, *spiritus sanctus per omnes Civitates mihi protestatur, dicens; quoniam vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil horum vereor, dummodo consummem cursum meum, & ministerium, quod accepi â Domino.* Act. 2. v. 23. Altera ratio est, quia omnis gloria consistit in multâ patientiâ ob Christi amorem, & honorem, hoc est testimonium, cujus meminit Salvator noster, suis loquens Apostolis, quod sibi reddi à suis voluit: *Et vos testimonium perhibebitis de me*, & alibi, *eritis mihi testes in Ierusalem.* Quomodo reddiderunt testimonium Christo, nisi per multas tolerantias, per magnitudinem, & fortitudinem animi, quâ testimonium reddiderunt de Christo in crudelissimis, & maximis persecutionibus, & tandem pro Christi honore, nomine, & gloriâ, sanguinem profundentes, mortẽ gloriosè susceperunt, & quæ plures attraxit, ad Christum â mundo alienavit, animos fortiùs allexit, & firmius Christo junxit, quàm ipsa miracula? Ita videmus, & animadvertimus, quòd Salvator noster non possit portare, & habere nomen sacrum, *Iesu*, hoc est dicere, Salvatoris, quin si circumcidatur, perdens aliquam partem sui sacri sanguinis, & quòd non possit habere effectum Redemptoris, quàm effundendo suum sacrum sanguinem, usque ad ultimam guttam, ita verum est, ac verificatum, quòd, ut homines redimeret, & salvaret, oportuit id eum pati, patientiam practicare, & sibi ipsi mori, ac se ipsum exinanire usque ad mortem crucis, ut expressit Propheta, *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Esa. 53. v. 10. Et de Apostolis dicitur: *Hi sunt, qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo.*

PUN-

v.23.

PUNCTUM II.

CONsidera, quales sint persecutiones, contra quas oportet nos armare patientiâ. Persecutionum duplex genus est, aliæ porveniunt ab intrinseco, in interiori homine, cujusmodi sunt tentationes, quas Diabolus in nobis suscitat, & excitat, tepiditates, & interiora tædia, inquietudines animi, sollicitudines, & curæ inanes, ac aliæ pœnæ, quas sanctus Paulus ita vivaciter experiebatur in se, & sentiebat, ut testatur de seipso in variis suarum Epistolarum passibus: Aliæ proveniunt ab extrinseco, ut omnes fatigationes corporis, vigiliæ, oppositiones, contradictiones, contemptus, irrisiones, vilipensiones, suppressiones, maledictiones, & omnes contemptus, & adversitates, quas mundani adinveniunt contra maximas Evangelicas, regulas vitæ, & vitam hominum piorum, ac sanctorum, sed super omnia, omnes persecutiones, provenientes â falsis fratribus, qui nos vexant irrisionibus, contemptu & oppressionibus, vocantes nos superstitiosos, nobis apud omnes detrahentes, in sinistram partem omnes nostras intentiones trahentes, actiones dijudicantes, & ex unâ parte totum destruentes, quod nos, & alii boni ædificare allaborant, & conantur. Hoc totum expressit variis in locis Apostolus: *In labore, & ærumnâ, invigiliis multis, in fame & siti in frigore, & nuditate. Præterea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me callaphizet. Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in angustiis pro Christo, in periculis, in falsis fratribus.*

2. Ad Cor. 11. v. 5.

2. Ad Cor. 12. v. 7.

Vide nunc, ad quid te oporteat resolvere, si tuam exequi cupis obligationẽ, si tuæ vocationi satisfacere intendis? Vide an non jam de facto similia tibi acciderint, ut sis paratꝰ similibus probari, ut verus Minister Christi, & vir Apostolicꝰ?

PUNCTUM III.

DIsce ergò nunc media, quibus præventus, & adjutus, possis resistere hisce omnibus insultibus, & te contra omnes persecutionum incidentias firmare. Primum est, considerare exemplum Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, ac Apostolorum ejus, qui nunquam hostes majores, & inimicos vehementiores habuerunt, quàm Sacerdotes, & Doctores legis, & qui nunquam fuerunt magis contempti, & vilipensi, ac rejecti, quàm in propriis patriis. Ita gloriatur Apostolus, se continuò fuisse in exercitio patientiæ, sufferendo famem, & sitim, nuditatem, injurias, persecutiones, & omnes mundi machinationes, imprecationes, maledictiones, & impugnationes. Quod & Christus passus fuerat in seipso, ut exprimitur in Evangelio, *Derident eum Pharisæi, quærunt eum interficere, ducunt eum in super cilium montis, ut præcipitent.* Ideò bene Salvator. *Amen dico*, inquit, *vobis; Non est Propheta sine honore nisi in patriâ suâ.* Cujus exemplo iuducti eadẽ passi sunt Apostoli, & omnes viri Apostolici, quod de se Apostolus testatur: *Signa Apostolatus mei*, inquit, *super vos facta sunt in omni patientiâ.* Et alibi, *Usque adhanc horam*

Luc. 4. v. 29.


1. ad Cor. 12. v. 12.

1. ad Cor. 4. v. 11.

ram & esurimus , & sitimus. Idem testatur sanctus Lucas in actibus de omnibus Apostolis, quòd nunquam majori perfunderētur gaudio,& exultatione,quàm quando recederent â Judicibus, â quibus multa passi fuissent propter Evangelium: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Alterum est, prævidere omnes possibiles insultus,contradictiones,& oppositiones, increpationes, & coram Deo sibi persuadere, & firmiter in animum inducere statum Ecclesiasticum,esse statum tollerantiarum,patientiæ,& multarum miseriarum, & persecutionum suscipiendarum, ac pro Christo & Evangelio patienter sufferendarum, & instantissimē petere super omnia,ut nobis,dum se occasio præsentat, det robur mentis, & animi fortitudinem ad resistendum, & veraciter in omnibus occurrentiis, opportunitatibus, & incidentiis nos habere ac præbere; ut veros Christi discipulos, Apostolorum imitatores, ac dignos talium Magistrorum successores. Hoc est consilium, quod tibi sanctus Petrus in suâ canonicâ dat,ac suadet; *Estote prudentes,& vigilate in orationibus,sicut boni dispensatores, ut in omnibus honorificetur Deus.*

Am.5.v.41.

1. Petri.4. v.7.



SERMO XXVIII.

PRO DIE PENTECOSTES.

Vide inter Sermones de Festis.

SERMO XXIX.

PRO PRIMA DOMINICA POST PENTECOSTEN,quæ semper coincidit cum Festo sanctissimæ Trinitatis. Vide inter sermones de Festis.

SERMO XXX.

PRO SECUNDA DOMINICA POST PENTECOSTEN.

Quæ semper coincidit infra octavam venerabilis Sacramenti.

Vide inter sermones de Festis.

Sermo XXXI.

PRO DOMINICA TERITA POST PENTECOSTEN.

De curâ & sollicitudine, quam Pastor habere debet de ovibus suis errantibus; hoc est, de reducendis peccatoribus ad viam salutis, & ad debitum suæ obligationis.

I. Rationes quæ obligant Pastores ad hanc sollicitudinem & curam.
II. Quomodo se habere debeat in inquisitione ovis errantis,
III. Quomodo Salvator noster perfectè adimpleverit officia & ministeria boni Pastoris.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam, nonne dimittit nonaginta novem, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat illam. Lucæ 15. v. 4.

IN hac parabolâ delineatum habes amorem Dei ad peccatores, ut convertantur, si quis Dei amorem considerare velit erga peccatorem, ponderet parabolam Evangelicam Matthæi 20. De Domino vineæ, qui non contentus, horâ tertiâ exire, exit etiam circa sextam, & undecimam. In quâ parabolâ videmus propensum Dei affectum in peccatores, qui non contentus vocare summo mane in pueritiâ, vocat & in meridie, hoc est in virili ætate vocat in senectute, vocat in ætate decrepitâ, nisi miser peccator divinæ vocationis obstaculum præbeat. Unde eleganter Augustinus sermone 50. de verbis Domini. *Attendite*, inquit *fratres mei, ne ideò quisq; differat venire ad vineã, quia securus est, quoniam quandocunq; venerit, ipsum denarium accepturus est*. Securus est quidem, quòd ipse denarius illi promittitur, sed differre non jubetur. Simili penè sensu in responsione suâ amplitudinem suæ misericordiæ ostendit Christus: Nonne duodecim sunt horæ diei, inquit, quasi diceret, & ego ad vesperam usque laborabo; Ego verus sol justitiæ quamdiu dies vitæ meæ durabunt, lucem peccatoribus subministrabo, ut à nocte ignorantiæ resurgant.

Esa. 4. v. 4. Ideo bene apud Prophetam; *Quid est quod debui*, inquit, *ultra facere vineæ* Cant. 1. v. 9. *meæ, & non feci*, quasi diceret. Nihil unquam omisi, quòd ad ejus perfectam culturam posset conducere. Verùm enim est verbum Domini apud Evangelistam: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et non est qui se abscondat à calore ejus. Misericordia porrò Domini plena est terra.* Quæ se

Psalmo 18. v 7
Psal. 118.

extendit etiã ad oves errantes, ut eas reducat ad ovile, sub curâ Pastoris custodiendas, & conservandas.

PUNCTUM I.

COnsidera primò rationes obligantes Pastores ad specialem curam suscipiendam ovium errantium, hoc est, ad reducendos peccatores ad viam salutis, & ad debitum suæ obligationis. Prima est, consideratio Domini, & Salvatoris nostri, qui non possumus evidentiorem nostri in eum amorem & affectũ ostendere, quàm curam suscipere illius quod ita amavit, & quod tantâ diligentiâ, labore, & sollicitudine requisivit, & quod pretio sui sacri sanguinis redemit. Hoc est testimoniũ & certitudo, quam â sancto Petro, priusquàm illi suum gregem crederet, requisivit: *Petre amas me? Pasce oves meas. Nõ enim*, inquit, Chrysostomus. *Dum testatum volebat, quantum à Petro amaretur, siquidem id multis nobis argumentis constabat, verùm hoc, dum ille ajebat, ut & Petrum, & cæteros nos doceret, quantâ benevolentiâ, ac charitate, erga suam ipse Ecclesiam afficeretur: ut hac ratione, & nos quoq; ejusdem Ecclesiæ studium curamq; toto animo susciperemus*. Altera est consideratio ipsorum met peccatorũ; quos respicere debemus, ut membra infirma, & ægra corporis Filii Dei, quod est Ecclesia sicut materiam ejus certaminum pœnarum, & sicut præmium suarum victoriarum, & sicut bonum pretio vitæ ejus acquisitum, quia non possumus majorem testari amorem, quàm illos â præcipitio præservare, illis manum præbentes, ut extra-

S. Chrys. lib. 2. de Sacerd.

extrahantur è sordibus peccati, monito Apostoli acquiescentes: *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi hominem instruite.* Tertia tandem est obligatio quę, Pastor rationem reddere debet sub pœna propriæ vitæ, & salutis omnium suarum ovium. Verum est, quod Pastor, qui non habet curam, nisi sui gregis ovium, hoc est animalium irrationalium, si quampiam contingat illum perdere, sive luporum ferocitate, sive furum rapinâ, vel quacunque aliâ infirmitate contagiosâ poterit bene impetrare, & obtinere veniam Domini gregis, ait Chrysostomus, qui, si omni rigore cum illo agere velit, liberabitur porrecto pretio, sed si ille, qui curam habet hominum gregis rationabilis Christi Jesu convictus sit, quampiam ovem suâ culpâ perditam non ejus bona terrena, sed anima ejus periclitatur, & hæc est querimonia, quam Deus facit contra eos, apud Prophetam: *Quod abjectum est, non reduxistis, quod perierat non quæsistis. Etenim*, inquit Chrysostomus, *qui oves perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliqua, fortassis veniam nonnullam à Domino gregis impetret. Sin & pœnam exiget, damnum, nonnisi pecunia constat, at verò, cui homines ipsi, rationalis Christi grex, concrediti sunt, hanc primùm ovibus deperditis, non pecuniarum, sed animæ propriæ jacturam facere oportet.* O Deus, quale periculum! Quod homo respondere debeat de alienis actionibus, qui de propriis respondere non sufficit?

Ad Gal. 6. v. 1.

Ezech 34. v. 4.

S. Chrysost. lib. 2. de Saserd. cap. 2.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò: Qua ratione Pastor se habere debeat in requisitione suarum paupercularum ovium. Salvator noster docet nos, quòd primum oporteat deserere omnia alia negotia, hoc est, si ita loqui liceat, curam omniū bonarum, & sanctarum animarum, & se totū, ac totaliter applicare conversioni peccatorum, & plus æstimare quòd unum solum reduxerit in viam rectam, & semitam salutis, quam videre omnes alios, continuare, & prosequi suum cursum per semitas ordinarias justitiæ, & mandatorum Dei. Adverte hic transeunter abusum plurimorum Ecclesiasticorum, qui totum suum tempus impendunt conversationibus personarum devotarum, illis sine intermissione colloquentes, & quòd maximè elongātur ab eo, ut requirant peccatores, imò vix eos volunt respicere, & audire, dum illi se præsentent & offerunt, & vix dant illis unum horæ quadrantem, quo possent ab illis instrui, & reduci ad bonum, & conversionem; hoc Salvator non fecit, *Qui dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad eam, quæ perierat, donec inveniat eam. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens, & veniens domum, convocat amicos, & vicinos, dicens, congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo majus super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novē justis, qui nō indigent pœnitentiâ.* Secundum est, quòd ipsemet in propria persona it, & requirit

Luca 15.

quirit

quirit ovem erranté, quam lupus illi rapuerat, nec quiescit, quousque illam repererit, & assumptam in humeros suos reduxerit ad ovile, ut ostendat quomodo Pastor debeat ire, venire, inquirere, rogare, cōjurare, objurgare, nullū laborem subterfugere, omnē suā impendere industriam, & omnia genera mediorū adhibere, ut peccatorem reducat ad cor, & ad semitam justitiæ, & rectitudinis, quò tendit illud Apostoli ad Timotheū: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra in omni patientia, & doctrina.* Tertium est, ut quando invenerit, illam assumat in humeros suos, nō illam fustibus excipiendo, molestando, vexando, sed illam cum omni mansuetudine, & suavitate possibili tractando, ut ostendat, quomodo non oporteat peccatores rejicere, aut arguere, cum animi acerbitate, & amaritudine; verùm magis illis testificari corde aperto, & speciali lætitiâ, ac benevolentia se summo affici gaudio de eorum conversione, & ad ovile Christi reductione, ut sub optimo Pastore pascuis fruantur divinarum gratiarum, & cœlestium bonorum, ita Apostoli adimplens monitionem: *Hujusmodi instruite in spiritu lenitatis,* & 2. ad Timotheum 2. *Servum Dei mansuetum esse oportet ad omnes docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui veritati resistunt.* Non percussorem.

2. ad Tim. 4. v. 2.

Ad Galat. 6. v. 1.

2. ad Tim. 2. v. 24.

Ad Tit. v. 7.

PUNCTUM III.

Considera, quomodo Dominus, & Salvator noster perfectè adimpleverit omnia officia, & ministeria boni Pastoris, quando descendit de cœlo in terram, quando reliquit Angelos, qui ipsum nunquam offenderant, ut veniret quærere hanc parvulam oviculam, hoc est hominem, qui multum aberraverat a recto tramite, quando nostras in se suscepit miserias, quando integris triginta tribus annis sine relaxatione laboravit, quando suscepit nostra peccata, super suos divinos humeros, quando adhuc nos quotidiè tanta charitate prosequitur, tanta mansuetudine, & suavitate nobiscum agit, non obstantibus omnibus nostris infidelitatibus, peccatis, & in malo obstinationibus. Ita sancti, ejus exemplo, sese habuerunt erga peccatores, Illud est medium, quo usus est sanctus Joannes Evangelista, pro reductione illius juvenis, quem educaverat in timore Dei, & qui ab eo tempore, malo infortunio, sese aggregaverat latronibus, eorum factus antesignanus, & Princeps, illum sanctus Joannes in propria persona requisivit, totus fractus, & debilitatus senectute, ac illum reperiens, nullis cum eo usus est verborum acerbitatibus, verùm magis benignè consolatus, illum tanta recepit mansuetudine, animi dulcedine, & charitate, ut ad oscula ejus manuum se dimiserit, quibus tot furta, & tot homicidia commiserat, illi loquens tali dulcedine, tanta dexteritate, & docilitate, ac tanta mentis testificatione, ut cor ejus tetigerit, commoverit, & retraxerit a præcipitio æternæ damnationis. Hic poterat cum Psalmista dicere: *Erravi, sicut ovis, quæ periit.* Et quantò nos magis ad Christum omni momento ingeminare debemus, cum sancta Matre Ecclesia, omnem animi

Psal. 118. 176.

animi ostendentes gratitudinem. *Quaerens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus*: ut exprimitur in Evangelio. *Fatigatus Iesus sedebat supra fontem.* In quem locum S. Augustinus. *Non frustra*, inquit, *fatigatur virtus Dei, non frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur, non frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo praesente firmamur, fatigatur tamen Iesus, & fatigatur ab itinere, & sedet, & supra puteum sedet, & horâ sextâ fatigatus sedet, tibi fatigatus est ab itinere Iesus.*

Ioan. 4. v. 6.

S August. tract. 15. in Ioan.

Illisne mediis usus es usque in hanc horam? Quam curam habuisti, ut reduceres peccatores publicos, & scandalosos tuae Parochiae? quantum ex tuo impendisti? Esne aliquando locutus illis, vel in publico, vel in privato: Quibus modis cum illis egisti in confessionali? Quâ dulcedine, quâ animi teneritudine illos recepisti? Adverte, & animadverte defectus, & excessus, quos commisisti, emendationem propone. Habesne minorem zelum animas conservandi, & salvandi, quàm Diabolus habet, illas perdendi? Ecce hodiernâ die sanctus Petrus illum tibi proponit, velut leonem rugientem, qui circuit quaerens, quem devoret, omnes infestans fideles, devotos perturbans, peccatores, quantum in se est, usque in profundum deducens, ut condemnentur, & pereant. Quomodo quiescere potes, & dormire sine sollicitudine, tuis indulgens appetitibus, sciens nos tam potentem inimicum habere continuò nobis insidiantem? Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Vigila ergò, ne insperatè invadaris, strictè serva terminos temperantiae, ne te somnus occupet, consilio Principis Apostolorum acquiescens; *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret.* 1. Pet. 5. v. 8



SERMO XXVII.

PRO DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Quomodo oporteat se habere in piscatione animarum.

I. Cur viri Apostolici in scripturis sacris comparentur piscatoribus.
II. Instructiones quas debent Ecclesiastici ex historiâ Evangelicâ haurire.
III. Quomodo Dominus, & Salvator noster his perfectissimè usus sit.

Piscatores descenderant, & lavabant retia. Luc. 5. v. 2.

LAvabant Retia, nempe illa, quibus homines debebant capere monito Prophetæ acquiescentes: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillos, defendite viduam.* (Esa. 1. v. 16.) Has jam virtutes sibi necessarias agnoscentes lavabant retia, quibus caperent homines, intellectum scilicet, & affectum malis expurgabant passionibus, ut essent capaces gratiæ Dei, & spiritûs Apostolici, ne redargutionem Prophetæ incurrerent; *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. 49. v. 16.) Mundi munda tractantes, & se conformantes suo Magistro, qui eos prius in se volebat perfectos, quàm alios perficerent, ut essent lucernæ ardentes & lucentes in se igne charitatis, & lucentes proximo lumine sanctæ conversationis, futuri Præsules, & Doctores populorum, qui olivæ comparantur, propter vim triplicem olei; oleum enim illuminat, pascit, fessa fovet membra, sic illi erant illuminaturi verbo, exemplo nutrituri, & egentes omni temporali beneficio foturi, ideò in se perfecti esse debebant, mundi, & sancti, ideò lavabant retia sua, summâ de præteritis contritione dolentes, & de futuris, ne reinciderent, sed magis in omni bono proficerent, providentes.

PUNCTUM I.

COnsidera primò: Cur viri Apostolici, in tot sacræ scripturæ passibus piscatoribus comparentur. Primò fuit, quia sicut piscatores faciunt professionem, continuò in mari navigandi, & laborandi, jacientes retia sua, ut pisces capiant, ita Ministri Evangelici continuò in

in mari hujus seculi retia in manu habere debent, hoc est, verbum Dei in ore, ut conentur homines capere, lucrari, & ad Deum reducere, & illos retrahere â modo vivendi inordinato, & abominabili, quem in hoc mundo habent, qui est, ut ait Augustinus, mare semper agitatum tempestatibus, & periculosum naufragiis, ubi homines se sicut pisces quasi devorant, & comedunt. Ideò Deus per Prophetam: *Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Et alibi: *Et erunt pisces multi satis; postquam venerint illuc aquæ istæ, & stabunt super illas piscatores.* Leguntur verba piscatorum, & subduntur colla Imperatorum, ait sanctus Augustinus, *Mare istud,* inquit idem Augustinus, *seculum est, fluctibus, seu tentationibus turbulentum, tempestatibus periculosum, naufragiis molestum, ubi se invicem homines, quasi pisces, devorant.* Secundò, ideò viri Apostolici vocantur piscatores, ait sanctus Chrysostomus, jacientes sua retia, illa jaciunt secundùm fortunam, & non sciunt, quos sint capturi pisces; eodē modo qui prædicant Evangelium, non possunt scire, quos Deus velit ad se trahere, mediante eorum prædicatione; illis sufficere debet, semper laborare, & jacere retia sua, non curantes, quos illi sint compræhensuri; *Sicut qui retia,* inquit, *jactat in aquam, nescit, quos pisces compræhensurus sit, sed quos illi Deus transmiserit, intrant in retia; sic & Doctor, quando divini sermonis retia super populum jactat, nescit qui sint accessuri ad eum, sed quoscunq; Deus excitaverit, illi adhærent doctrinæ. Ergo sicut in piscatore labor solus requiritur piscandi. Deus autem transmittit capturam, sic & in Doctore nihil requiritur, nisi instantia doctrinæ: Populum autem non corrigit homo, sed Deus.* Et ita sicut piscator, quando piscatio illi bene succedit, plus debet attribuere bonum successum fortunæ, quæ illi bene voluit, vel potiùs Deo, qui pisces deduxit in retia, quàm suo labori, & dexteritati: Ita piscator Evangelicus, quando suâ prædicatione refert fructum, aliquos lucrans, & convertens, totum hunc bonum successum Deo attribuere debet, qui ita dispòsuit. Vide nunc, & considera, si in Ministerio prædicationis, & instructionis labores? quomodo te habeas? si hoc cum assiduitate, & humilitate perficias? totum bonum successum, inde tibi provenientem Deo referens. Et quia adhuc in multis potest quis in his errare, considera subsequentia.

Ierem 16. v 16. *Ezech. 47.* *S. August. serm. 5. de divers cap. 2.* *Chrys. hom. 7 oper. imperf in cap. 4. Matth.*

PUNCTUM II.

Considera consequenter secundò ex successu hujus hodierni Evangelii instructiones, & documenta, quæ Dominus, & Salvator noster illis dat, qui in publico loquuntur Primum est, ait sanctus Gregorius, sese accommodare populo, ejusque capacitati, non altiora tractando mysteria, quàm possent ab auditoribus intelligi, nec etiam res nimis humiles, & depressas magis, quæ tædium adferant auditoribus, magis quàm utilitatem, quòd Salvator noster voluit intelligi, quando rogavit Petrum, ut reduceret navem â terra, *rogavit eum â terra seducere pusillum.* Qui turbam erudiunt non in profundum mysterio- *S. Greg. 17. mora. cap. 12.*

rum se abripere debent, nec etiam in terrâ, quasi terrena, prædicare, sed pro captu medium tenere sciendum est, suæ dexteritati, suis studiis, suæ propriæ industriæ, & totam suam fiduciam, & spem ponere in fortitudine, & efficaciâ verbi Dei, quod prædicant, dicentes cum Petro, *In verbo tuo laxabo rete.* Tertium est, facere super seipsos de tempore in tempus, ac de die in diem reflexiones serias, & se seriò examinare super veritates, quas aliis annuntiant, ac se purgare ab omnibus peccatorum sordibus, quas sæpe in discursibus, & conversationibus cum secularibus contrahunt, ad modum, quo Apostoli lavabant sua retia, ut illa redderent nitidiora, & aptiora ad capturam. Quartum est, summè studere humilitati, quidquid acciderit, ex eo, quòd omnis nostra doctrina, nostra dexteritas, labor, & diligentia, quâ Ministerium Evangelicum obire laboramus, non cessantes retia ad capturam jacere, non sint nostra, sed ejus, qui misit nos; Exemplo Christi confiden-
Jan. 7. v. 16 tes: *Doctrina mea, non est mea*, inquit. Et nos, ut Petrus humiliantes: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Tantam enim habemus causam, quòd Dominus nostro dignetur uti Ministerio, admirationis, quantam Petrus habuit. Quintum est, laborare sine intermissione, sed laborare ordinatè, in societate Domini, & Salvatoris nostri, hoc est dicere suæ vocationi conformiter in statu gratiæ, & unionis cum illo, sine quo aliâs laboraremus in tenebris, & omnem operam perdentes, nihil caperemus. *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus.*

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò; quomodo Dominus noster exactissimè practicarit has omnes conditiones veri Prædicatoris Evangelici. Primò, quia potens adferre res altissimas, & pulcherrimas, mysteria sublimissima proponere, se nihilominus accommodavit suis auditoribus, non loquens eis unquam, nisi in parabolis, utens familiaribus comparationibus, desumptis ex simplicibus experientiis, & quotidianis exemplis, & *Marc. 4. v.*
sine parabolis non loquebatur eis. Secun- *34.*
dò, quando venit, venit duntaxat ex ordinatione æterni Patris, post quadraginta dierum præparationem in jejunio, & continuâ contemplatione transacta. Tertiò, ut evitaret vanos populi applausus, post suas prædicationes, & ad populũ conferentias, retrahat se solùm, in montem, ut oraret: *Exiit in montem* *Luc. 6. v. 12.*
ipse solus, & erat pernoctans in oratione Dei: Et tandem non cessat continuis tribus annis prædicare in omni loco personis universis, omni occurrentiâ, & occasione, ac omni tempore. Fac modo comparationem tui cum illo, intuere, & considera Ministerium tibi ab eo creditum; recogita rationem tibi illi districtè reddendam, *Vide Ministerium, quod ac-* *ad Coloss 4.*
cepisti, inquit Apostolus, *ut illud im-* *v. 17.*
pleas. Si difficultates te terreant, vel retardent, pete gratiam, illas superandi, & considera gloriam, tibi hodiernâ die ab Apostolo in suâ Epistolâ propositam, quæ omnes tuas pœnas alleviabit, faciẽs tibi omnes dulcescere. *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus* *ad Rom 8.*
temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *v. 18.*

SER-

SERMO XXXIII.

PRO QUINTA DOMINICA POST PENTECOSTEN.

De ſpiritu interiori, quo animari debent omnes noſtræ actiones.

I. Quales erant Phariſæi, cum quibus nos Salvator comparat.
II. In quo debet noſtra juſtitia magis abundare quàm juſtitia Phariſæorum.
III. Reflexio, & comparatio humilians.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plusquam Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in Regnum Cælorum. Matth. 5. v. 20.

PHariſaica virtus non niſi in eorum facie pingebatur, Chriſtus autem cordis virtutem requirit, non faciei. Phariſæi bonæ virtutis mali pictores, externam quandam juſtitiæ imaginem depingebant, de corde parum ſolliciti erant; externum pingebant vultum, exterminantes facies ſuas; pingebant item os, & labia: *Populus hic*, ait Dominus, *labiis me honorat, cor autem*, quod parum curabant, inquit *eorum, longè eſt à me.* Gratiæ Princeps, & auctor Chriſtus; pulcherrimæ juſtitiæ, & beatitudinis pulcherrimus pictor, non externam ſolam virtutis effigiem: ſed internam quoque medullam, & cor, divinis verbis præſcribit, dicens: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Non ſecundùm faciem duntaxat, & labiorum honore, & externo ſolùm corporis eloquio, ſed in veritate, mundi cordis, & ſpiritus ſacrificio; nam tales adoratores requirit Deus, ſicut ſcriptum eſt: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum Regem.* Ideò vult Chriſtus juſtitiam noſtrā reſidere in interiori homine, in cordis rectitudine, & puritate, non tantùm in exteriori corporis compoſitione, & vanitate, ut ex dicendis patebit.

Matth. 15. v. 8. — Joan. 4. v. 23 — Proverb. 22. v. 11.

PUNCTUM I.

COnſidera primò, ut meliùs intelligas, ad quid hoc præceptum, nos obliget, qui erant Phariſæi, quibus Dominus noſter nos comparat, erat enim

secta Pharisæorum inter Judæos certarum personarum secta, à mundo separatarum, qui vitæ magis recollectæ faciebant professionem, & qui exactiùs observabant mandata Dei, qui religiosissimè transigebant omnia Festa, qui bis jejunabant in Sabbatho, seu septimana, qui frequenter elargiebantur pauperibus eleemosynas, qui decimas solvebant fidelissimè omnium bonorũ sibi à Deo concessorum, qui longas, & frequentes fundebant orationes, qui nulli pœnæ, nulli labori parcebant, ut alios sibi associarent, imitatores in suo vivendi modo invenirent, qui miscebant se directioni animarum, cathedras ascendentes, & docentes pópulum veritates legis, qui in exteriori summè erant exemplares in eorum habitu, incessu, compositione, locutione, & sermonibus, qui erant in veneratione, & admiratione toti mundo, & qui poterant dici Religiosi illius temporis, quia religiosissimè, quantum ad exterius vivebant. Pharisæi, hebraicè secundùm Hieronymum, dicti sunt quasi divisi à reliquo populo, à quo se quasi justiores separaverant; ideò Pharisæus in Evangelio se laudans, dicebat: *Iejuno bis in Sabbatho, decimas do omniũ quæ possideo. Orationes longas orantes*, inquit Christus, *Circuitis mare, & aridã, ut faciatis unum proselytum.* Poteftne hîc plus desiderari? Qui tantùm hodiernâ die faceret, reputaretur sanctus, quo non obstante tamen Salvator noster asseverat, & nos certificat, illos non tenere viam salutis, & quòd, si nostra justitia non magis abundet, quàm illorum, id est, si non fuerimus perfectiores, non intrabimus regnum cœlorum? Verùm

Hieronym. quæst. 1 super Genesin.
Luc. 18. v. 12.
Matth 23. v. 15.

quomodo hæc possunt intelligi? require intelligentiam â Domino, & Salvatore nostro, & ab eo disce.

PUNCTUM II.

Disce, & apprehende, quando Dominus & Salvator noster nos obligat ad majorem perfectionem, quàm erat perfectio Scribarum, & Pharisæorum, non est in substantiâ vel in multiplicitate actionum; quia si quis ipso facto omnes has bonas actiones exerceret, quas exercebant Scribæ, & Pharisæi, ut oportet; sine dubio foret Deo acceptissimus, & multum mereretur; sed in modo faciendi, & operandi, vult quod superemus Scribas, & Pharisæos, hoc est, dicere, quòd, sicut illi omnes suas actiones ob purum respectum humanum faciebant, nos nostras faciamus ob respectum divinum, & ob gloriam Dei, & sicut illorum actiones purè exteriùs erant apparentes, nullâ interiori bonâ intentione procedentes, ita nostræ actiones sint repletæ spiritu interiori, & intentione bonâ prodeuntes. Ecce principalis, & præcipua differentia inter spiritum Judaismi, & Christianismi: Ecce magnum Christianismi secretum, quod adhuc hodiernâ die distinguit perfectòs ab imperfectis, solidè virtuosos ab Hypocritis, & quod Dominus, Salvator noster nobis sæpe inculcat in scripturis sanctis, ut in Apocalypsi, quando facit nobis innotescere, esse duo genera operum aliorum perfectorum, & imperfectorum, nimirum plenorum, & vacuorum coram Deo, *Non invenio opera tua plena coram Deo meo.* Et principaliter

cipaliter in exemplo Pharisæorum, quos hodie etsi bonos apparentes, & in æstimatione hominum perfectos, Dominus tamen illos redarguit Hypocrisis, & vanæ complacentiæ mundanæ, quos vocat Duces cæcos; sepulchra dealbata, genimina viperarum, quorū cor erat plenum rapinâ, avaritiâ, ambitione, & omni vitiô: *Væ vobis! Duces cæci, serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ.* Quâ veritate sic supposita.

Matth. 23. v. 33.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, in quem nos statum redacti sumus, & judica, quàm pauci erunt, non dico Christianorum, sed Ecclesiasticorum, qui salvabuntur; cùm tam paucos videamus, qui possunt gloriari, se habere solùm virtutes Pharisæorum, nam quot inveniuntur, qui se, ut Pharisæi, subtrahunt â modo vivendi, & agendi humano, maximas seculi relinquentes? Verùm â contrario, quàm multi reperiuntur, qui, loco dandi eleemosynas, non quærunt nisi se ditare, loco jejunii, se inebriare, & comessationibus indulgere; qui, dum loqui deberent, tacent; qui, dum sunt obligati instruere, non sunt hujusmodi instructionis dandæ capaces; qui pati non possunt maximas, & veritates Evangelicas, quia eorum sunt oppositæ concupiscentiæ, eos redarguentes, & accusantes: Et tandem qui loco dandi de se bona exempla, excitant scandala in populo; Ad minùs Pharisæi habebant exterius actiones laudabiles, & si ipsi non tenerent viam salutis, illam tamen alios docebant? sed sæpe inveniuntur Ecclesiastici, qui nullam suæ professionis ostendunt notā, qui gloriantur apparere Laici, qui populum relinquunt in tenebris ignorantiæ formidabilis, Et inter eos quos meliores, & sanctiores æstimamus, quos adhuc inveniuntur Pharisæi, non dico, hypocritæ? Qui ob respectum humanum, & intentionem sinistram parendi hominibus, operantur? quot inveniuntur, qui libenter apparent mortificati, haurientes vanitatem ex ipsâ humilitate simulata? qui dilatant philacteria sua per habitus suos mundanos, fluctuantes super terram? *Qui amant primos recubitus in Cœnis, primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi?* Qui prædicant, & confessiones ob hoc audiunt, qui disciplinam Ecclesiasticam eâ de causâ violant, & contemnunt eos, qui illam tueri, & defendere satagant, qui sub prætextu directionis; *penetrant domos, & captivos ducunt mulierculas oneratas peccatis?* *Qui comedunt domos viduarum, longas orationes orantes?* Qui mitigant veritates Evangelicas, blandientes in vitiis, ubi reprehendere deberent; Ubi sunt ergò inter Ecclesiasticos, qui sunt perfectiores Pharisæis?

Matth. 23. v. 14.

Relinque de hoc Deo judicium quoad alios; sed attende tibi ipsi, examina teipsum super hiscè omnibus capitibus, & vide, quomodo hucusque tuas exercueris actiones, si illi coram Deo plenæ fuerint, & non solùm coram hominibus apparentes? hanc à Christo, & Salvatore nostro require gratiam, ut cum sancto Petro in hodiernâ Epistola possis sanctitate veridica tuorum morum, non solùm apparentia Pharisaica satisfacere nomen ejus inter homines; *Dominum nostrum Iesum sanctificate in cordibus vestris.*

1. Pet. 3. v. 15.

SER-

SERMO XXIV.

PRO SEXTA DOMINICA POST PENTECOSTEN.

De Providentiâ Paternâ Dei.

I. Providentia paterna Domini Salvatoris noſtri, erga illos, qui ſibi ſunt dati.
II. Inſtructiones, quas Dominus, & Salvator noſter ſpecialiter dat Eccleſiaſticis in Evangelio hujus diei.
III. Reflexiones ſuper has veritates.

Miſereor ſuper turbam, quia, ecce! jam triduo ſuſtinent me. Marci 8. v. 2.

QUando turba eſt cum Jeſu, illi ſe conjunctam tenens virtuosâ vitâ, non illi deerunt neceſſaria, ſed divina miſeratione providebuntur. Quod in multis patuit, & valde numeroſis Chriſti pauperum congregationibus, ad hæc religioſæ paupertatis inſtitutum eſt Chriſti promiſſorum confirmatio: Diſſuaſerat enim Chriſtus multis argumentis ſuperfluam ſollicitudinem eorum, quæ ad victum, & veſtitum neceſſaria ſunt, ſub ſpe, & promiſſione paternæ providentiæ, circa filios in ſe confidentes, manebat tamen anxietas multorum dicentium: *Quid manducabimus, aut quo operiemur?* Ut igitur facta promiſſio Chriſti, verificaretur, per manifeſtam, & palpabilem experientiam, addidit animum quibusdam imperterritis animabus, ut, omnia temporalia a ſe excutientes, Chriſtum ſequerentur, ut hodie exponitur in Evangelio: Turba ipſum ſecuta eſt, ſe nudos committerent brachiis crucifixi, & quærentes primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, cætera omnia eis adjicienda ex Chriſti promisſione expectarent, quos hæc fiducia non fefellit, ſicut nec confidentia turbæ hodiernâ die in Chriſtum eam fefellit, & ob hoc Chriſtus ad ſui ſingularem providentiam voluit oſtendere multis miraculis, & in Evangelio expreſſis ab eo tempore incolatûs ſui inter homines factis, & in hiſtoriis autenticis repertis, in confirmationem ſuorum poſtmodum virtute ejus patratis. Ideò interrogat

rogat discipulos : *Quando misi vos sine sacculo , & perâ, & calceamentis, nunquid aliquid defecit vobis ?* At illi dixerunt, *nihil.* Quo voluit Christus omnem in omnibus in se nostram reponi confidentiam, ut patebit ex dicendis.

PUNCTUM I.

CONsidera primò , in hisce verbis Evangelii, singularem providentiam paternalem Dei erga eos, qui se illi dant, & totos committunt: Dominus, & Salvator noster, non expectat, quòd hic populus, qui tantum testificatus fuerat ardorem, & tantam ostenderat affectionem in ejus sequelã, petat ejus auxilium, & assistentiam. Eorum prævenit desiderium, ille , qui majorem curam habet, nostri, quàm nos ipsi, compassione movetur, super eorum miseriam, & non contentus, quòd illis alimoniam spiritualem subministraverat abundanter, verùm vult adhuc illos reficere corporaliter, ne in aliquo deficiant vel spirituali, vel corporali subsidio, ut nobis ostenderet, quòd illi, qui eum sequuntur, non debeant rei ullius curam habere, & quòd nulla res, quæ illis necessaria erit, illis unquam deerit; etiamsi, ut hodiernâ die, miraculo illis subvenire deberet, *æqualiter enim cura est illi de omnibus* ; Et juxta Psalmistam, *non est inopia timentibus eum : Divites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem dominum non minuentur omni bono.* Ah! quæ spiritus requies , & animi quietudo, si nos possimus nos in omnibus nostris negotiis committere divinæ providentiæ, ut fecerunt in hodierno Evangelio tot

Sap.6.v.6.

Psal 33. v. 10.

homines Christum secuti ! si crederemus quòd omni tempore, in omni loco; in omni occasione, & occurrentiâ Deus cogitet de nobis, nostris necessitatibus etiam temporalibus subvenire intendat, curâ singulari , & amore majori quâm paterno, nos non tot anxietatibus, & sollicitudinibus pro bonis terrenis vexaremur, & conturbaremur, acquiescentes consilio Psalmistæ: *Iacta in Domino curam tuam, & ipse te enutriet.* Et Prophetæ: *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis, quomodo si cui mater blandiatur.* Et ipsius verbo Domini crederemus : *nunquid oblivisci potest mulier infantis sui, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce! in manibus meis descripsi te.*

Psal. 54. v. 25.

Esa. 66. v. 22.

Esa. 39. v. 15.

Cogita, & bene recogita paululum te recolligens, quoties hos divinæ providentiæ tractus in totæ vitæ tuæ decursu expertus es, in tuâ directione , & in omnibus tuis negotiis spiritualibus, & temporalibus. Referas ergò gratias, quàm potes maximas divinæ voluntati, de singulari curâ , & sollicitudine, quam tui hucusque habuit, submittas te omni respectu & deferentiâ, omni illi dispositioni, ordinationi, & directioni omnium, quæ tibi vult evenire; Et hoc tibi commune est , & esse debet cum omnibus Christianis.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò instructiones particulares, quas possunt recolligere Ecclesiastici, prima est, quòd sint dispensatores ordinarii gratiarum ,

quas Deus facit hominibus. Ita Dominus, & Salvator noster hodiernâ die dat suis discipulis potestatem instruendi populum, ad quod eos obligat maximâ fidelitate, ne quid vel prodigaliter de suis, quos illis comisit, thesauris prodigant, & expendant, vel quidquā negligē ter deperdi permittant, ut videmus, quòd maximā curam habent colligendi, quæ superaverant, ne quicquam deperderetur; *Dabat*, inquit discipulis suis, *ut apponerent & sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sporta. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens?* Secunda est, frangere populo, quando illi loquuntur in publico, panem sacræ scripturæ, & doctrinæ Christianæ, hoc est, illis dare intelligentiam, & reddere facilè intelligibilem scripturam, & doctrinam Christianam comparationibus familiaribus, & terminis claris, non multi studii. *Gratias agens fregit: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Ultima est jungere exemplum Salvatoris, dum erogant eleemosynam spiritualem cum temporali, assuefacientes se non dare eleemosynam alicui pauperi, & si non esset nisi unius denarii, quin illi simul proponunt verbum salutis, dum adest occasio, & permittit tempus, illum interrogando de aliquo principali mysterio fidei, si Deum vesperi, & manè oret, si sciat suum Pater noster, Ave Maria, Credo, Decem Præcepta, si sæpe frequentet confessionem, & similia. Quia pauperes nunquam sunt magis susceptibiles, & capaces instructionum, quàm quando tempus animadvertunt commodum, quo sumus dispositi, illis benefacere.

Lucæ 12. v. 2.

Matth. 15. v. 36. Thren. 4.

PUNCTUM III.

CONsidera etiā tertiò, quâ fidelitate in tuis exhibendis functionibus, & ministeriis obeundis usus es? quomodo thesauros tibi commissos distribueris, quâ sis usus methodo in tuis instructionibus? Etsi unquam volueris elargiri eleemosynam eo modo, quo dictum ēst; sed super omnia, cujus fueris opinionis, sensûs & sentimenti, quoad divinam providentiam; si nunquam de Deo habueris diffidentiam? si nunquam contra ejus dispositiones murmuraveris? si non alios te feliciores æstimaveris, quòd pluribus affluant temporalibus commoditatibus, & divitiis? si cum Prophetâ dixeris: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit?* In quo si defeceris, coneris vel hodie, hac inductus veritate, ut certissimè credas, & nullâ ratione dubites, Deum tibi continuò invigilare, ne aliquid tibi desit; quia nihil est, cujus non sis capax, fide hujus veritatis firmatus, & in medio maximarum disgratiarum frueris pace admirabili, & quiete profundissimâ exspectabis summâ tranquillitate sine apprehensione omnes futuros eventus, firmatus verbis Domini per Prophetam: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Et certificatus verbis ejusdem Domini, *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.*

Psal. 22. v. 1.

Oseæ 11. v. 1

Marci 9. v. 22.

Hæ sunt veritates sensati & maximæ veri Christiani, qui non habet amplius vitam, nec vivit nisi in Christo Jesu, & ille est spiritus novus, in quo debemus ambulare, qui nobis datus est â tempore ba-

re baptismi suscepti, ut simus elongati à mundo, & mundanis maximis, à principiis idololatrarum, & libertinorum, qui omnem suam confidentiam ponunt in propria dexteritate, labore, & industria; qui sumus Religione summè ab illis discrepantes, simus etiam spiritu, & modo vivendi, juxta monitum Apostoli: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et alibi: *Quicunq; enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

ad Col. 3. v. 3.

ad Rom. 6. v. 3.

SERMO XXXV.

PRO SEPTIMA DOMINICA POST PENTECOSTEN.

Vt quis salvetur, suis debet satisfacere obligationibus.

I. Tres magnæ veritates, quas Dominus, & Salvator noster nos docet in Evangelio concernentes nostras obligationes.
II. Tria genera Ecclesiasticorum omninò contrarium exequentium.
III. Media medendi huic malo universali.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum. Matth. 7. v. 21.

HÆc est autem voluntas Patris, qui in cœlis est, ut servemus mandata ejus quæ, teste Joanne, gravia non sunt, quod non consistit in verbo, sed in opere, ut ostendit divus Augustinus; Ostendere volens justam punitionem inobedientiæ Adami: *Quisquis,* inquit, *damnationem Adæ vel nimiam, vel injustam putet, metiri profectò nescit;* quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas: sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima est imperata, ita & in paradyso tantò major inobedientia fuit, quando id quod præceptum est nullius difficultatis fuit, non ergò dictio, seu verbum remuneratur, vel punitur, sed operatio, & obsequium: Ergò non omnis, qui dicit: *Domine, Domine,* intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei. Fides

quippe sine operibus mortua est, ut scribit Jacobus in suâ Canonicâ. Ut patebit magis ex dicendis.

PUNCTUM I.

Considera primò in hisce paucis vocibus contineri tres maximas veritates, quas Dominus & Salvator noster nos hodiernâ die docet. Prima est, quòd oporteat nos totaliter, & adæquatè nostræ satisfacere obligationi, ac debito, si in æquo nullâ ratione debemus, vel possumus sperare salutem, quidquid aliàs fecerimus. Hoc est, quod Salvator intelligi vult per *Facere voluntatem Patris sui.* Quia, cùm hæc voluntas sit omnibus manifestata Christianis, per mandata Dei, & Ecclesiæ, est cuilibet designata, & notata in particulari per debitum, & obligationem conditionis suę, ita ut sit voluntas Dei, quòd unusquisque exequatur, quod ab eo sua requirit, obligatio & professio, vi impositi, tali obligationi præcepti; verbi gratiâ, quòd Presbyter unus exequatur debitum Presbyteri, curatus debitum curati, Judex debitum judicis, mercator debitum mercatoris, & ita de cæteris omnibus: *Unicuiq; pro ut Deus donavit.* Eo sensu Christus loquebatur suo præcursori: *sic nos decet implere omnem justitiam,* Cui & Apostolus subscribens, ad hoc omnes hortatur, *Rogamus vos, ut ambuletis dignè, Deo, per omnia placentes.* Et alibi: *In quâ vocatione vocati estis, in eâ ambulate.* Et Christus in Evangelio: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Sicut enim sol, ut dicebat ille antiquus, non exhibet, aut facit officium pluviæ, hoc est, quod nobis dicit Evangelium: Quòd arbor, quæ non producit fructum, excidetur: Quem ergò fructum expectare debemus ab arbore, nisi fructum suæ speciei, ut ex malo poma, ex cerasæto cerasa, & ita de aliis, ut exprimitur Genesis, 12. *Protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum. lignumq; faciens fructum, & habens unumquodq; sementem iuxta speciem suam.* Altera est, perfectè exequi obligationem suam: Quia non dictum est simpliciter, quòd arbor, quæ non feret fructum, excidetur, sed quæ non feret fructum bonum; ac si dicere vellet, quòd benefacere inadæquatè, vel imperfectè nihil sit facere, & imò sit facere malum, Exempli gratiâ; legere breviariũ cum distractione, sacrum missæ sacrificium sine præparatione celebrare, alias actiones exercere sine spiritu interiori, & intentione bona, non est quandoq; minus malum, quàm omninò intermittere, quia oportet facere bonum, ut sit bonum, sicut oportet facere, ut sit factum, juxta verbum Prophetæ: *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter, & negligenter,* Et juxta illud Deuteronomii: *Iustè, quod justum est, persequeris.* Ad quod hortatur Apostolus: *Quodcunq; facitis,* inquit, *ex animo operamini.* Tertia est, exequi suam obligationem cum præferentiâ ad omnem aliam devotionem, ex eo, quòd hoc sit bonum necessarium, super quod judicabimur; alterum bonum solùm voluntarium: In quo plures decipiuntur, qui sub prætextu boni, sæpe operantur malum occultũ, & hoc est illud bonum apparens, quod Dominus, & Sal-

Marginal notes: Matth. 3. v. 15. — Col. 1. v. 10. — 1. ad Cor. 7. v. 20. — Matth. 3. v. 10. — Ibid. 7. v. 16. — Gen. 1. v. 12. — Ierem. 48. v. 10. — Deut. 16. v. 20. — ad Coll. 3. v. 23.

& Salvator noster vult nos vitare, & attendere non minùs, quàm â falsis Prophetis: Qui veniunt in vestibus ovium, & qui suum malum, sub prætextu boni apparentis, contegunt, & abscondunt: *Attendite*, inquit, *â falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

PUNCTUM II.

Considera secundò tria genera Ecclesiasticorum, qui omninò tribus hisce veritatibus in suis contraveniunt actionibus. Primi sunt, quos sanctus Bernardus describit duplici suorū operum passu, qui omninò aliter agunt, vivunt, & operantur, quàm eorum conditio, & vocatio ab iis requirat, quos potiùs milites judicabis, mercatores, agricolas, vel aulicos, quàm Ecclesiasticos, ex eo quòd habitu, victu, conversatione, ac agendi, & vivendi modo, illos potiùs referant, quàm Ecclesiasticos, conversantur, ut aulici, lucris intendunt, ut mercatores, rei domesticæ student, ut agricolæ, canibus, servis, & cursoribus sæpe stipantur, ut venatores, dominantur ut milites, atquo ad functiones Ecclesiasticas illas solùm ignorant, ut ne nomen quidam mereantur Ecclesiastici, qui in omnibus illi contrariantur statui: *Clerici*, inquit sanctus Bernardus, *aliud esse, aliud videri volunt, nempe habitu milites, quæstu Clericos, aut actu neutrum exhibent, nam neq; pugnant ut milites, neq; evangelizant, ut Clerici, cujus ordinis sunt? Cum utriusq; se cupiunt, utrumq; deserunt, & confundunt. Cum militibus superbia fastus, amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, alia & similia, quæq; frequentant.* In hæc verba &c. c. 4. Alii sunt personæ, quæ ipso facto laborant, & quæ suis satisfaciunt functionibus, & obligationibus: sed tantùm superficialiter, valdè imperfectè, juxta eorum devotionem, juxta eorum humores, qui non volunt ulli rei adhærere, vel ad quidpiam se obligare, verùm semper volunt esse independentes, qui faciunt quod ipsis bonū esse videtur, & qui volunt, ut superiores illis subjiciantur, & obligentur, dum faciunt, quod eos facere oportet, vi obligationis sibi impositæ. O Deus optime, in quæ devenimus tempora, sunt ne adhuc hujusmodi generis reperibiles? O utinam non essent! Tertii tandem & ultimi, qui in majori sunt numero, illi sunt, qui faciunt bonum voluntarium, excluso necessario; hoc est, qui suam præferunt devotionem suis obligationibus, qui prætextu studii, vel affectione meditandi prætermittunt, & omittunt illud, ad quod obligantur. Exempli causâ, assistentiam in divinis officiis, servitium debitum suis parochianis, visitationem infirmorum in sui muneris debitam, qui se certis confraternitatibus, aut congregationibus cum præjudicio sui muneris, astringunt, quibus eorum obligatio est incompossibilis, quam Deo, & Ecclesiæ reddere debent, qui intendunt orationi, privatim, dum alii choro intersunt, qui dant eleemosynam extraneis, pauperibus, parentibus neglectis, qui, dum pastores sunt suum gregem deserunt tempore adventûs, & quadragesimæ, ut aliis in locis, & parochiis se audire faciant, non intelligentes, quod relinquant.

S. Bernard. lib. 3. de consid. cap 3.

linquant suam obligationem, & illud, ad quod vocati sunt, ut veri Pastores, & alibi mercenarios agant, qui tot suscipiunt negotia, ut unum aliud impediat, qui diebus festivis, & dominicis suscipiunt peregrinationes, suis functionibus incompatibiles, qui plus scrupuli habent in aliquo jejunio devotionis, quàm in jejunio Ecclesiæ, omisisse aliquam devotionis oratiunculam, quàm sui breviarii recitationem. O quot reperiuntur, qui se in hisce & similibus decipiunt, & qui licet æstimentur spirituales in oculis mundi, multùm tamen ab omni spiritualitate elongantur in oculis Dei. In hos cadit verbũ Prophetæ: *Doctor & idolum delinquens gregem.* Non autem queunt cum sponsâ dicere. *Ordinavit in me charitatem.* Vide nunc, an tu forte non sis ex horum numero, ut quàmprimùm ab his te eximes, meliora secuturus.

Zach. 11. v 17.
Cant. 2. v. 4.

PUNCTUM III.

Disce, & tibi imbibe media, hisce malis ita universalibus medendi. Primum medium est, bene recognoscere omnes suas obligationes, illas magni æstimare, illas inquirere; & investigare usque ad minimas, illas tibi ob oculos ponere, ut media necessaria tuæ salutis, & ut tot articulos, quorum Deus â te requiret rationem strictissimam, in hoc nec tuis indulgens appetitibus, ac inclinationibus, nec aliorum insistens exemplis, qui simili decepti apprehensione te seducant, verùm magis insistas regulis infallibilibus in sacris canonibus præscriptis, inhæreas instructionibus, quæ tibi proponuntur, aut proponi possunt â personis doctis, zelosis, & in similibus actionibus obligationis exercitatis, procedentibus in suis omnibus sine querelâ, etiam coram probatis; hoc zelo accensus optabat sanctus Bernardus: *Vtinam*, inquit, *& in me tantillum Dominus Iesus ordinet charitatis, quod dedit, ut sic mihi curæ sint universa, quæ sunt ipsius; ut tamen, quod mei potissimum propositi, seu officii esse constiterit, ante omnia curem. Quod charitas indicat præponendum, id charius amplectendum ordo postulat charitatis.* Alterum est, diffidere de omnibus devotionibus particularibus animadvertendo, nunquam ullam introducere, quæ præjudicativa esse possit ordinationibus Ecclesiæ, & assistentiæ servitii ordinarii parochiæ, quamcunque præferat pietatis apparentiam. In eo consilio Apostoli acquiescendo: *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie malâ abstinete vos.* Et sancti Joannis in primâ Canonicâ. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Tertium est hanc veritatem seriò populo proponere, & inculcare, qui se sæpe de facili similibus devotionibus apprehensivis decipi permittit. Unde proveniunt ordinariè magnæ deordinationes, non solùm ob desertiones quæ fiunt, parochiarum, verùm etiam ob rixas, & contentionem, quæ in familiis oriuntur propter profanationem sacramentorum, & scandalum, quod causant plures in simili apprehensivâ, & inordinatâ devotione. Unde oriuntur sæpiùs plures personæ, quæ ob hujusmodi magnis agitantur scrupulis ex defectu, quod hujusmodi

S. Bernard. serm. 49 in Cant.
1. ad Thessal 5. v 21.
1. Iohan. v. 1.

non interfuerint, quæ sub prætextu meditandi, aut alia bona exercendi, credunt se posse reddere aliqua ratione impeccabiles, nullam sibi facientes conscientiam facere desideria, & cupiditates bonorum terrenorum, mundanorum honorum, & facere inimicitias, in familiis discordias disseminare, curam relinquere propriæ familiæ, privata odia, & secretas invidias intra cordis sui receptacula retinere magis quàm alii minus devoti. Ut verè verificetur de illis, illud Jacobi: *Ubi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum.* In hos & illud Christi cadere convincitur. *Væ vobis, qui decimatis mentham, & rutham, & anethum, & relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam! Hæc oportuit facere, & illa non omittere: Duces cœci, excolentes culicem, camelum autem glutientes.* Nec evadunt illud Prophetæ: *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas quærunt, dissolvere colligationes impietatis.* Ideò bene hortatur sanctus Jacobus: *Emundate*, inquit, *manus peccatores; & purificate corda, duplices animo.*

Iacob. 3. v.16.

Matth. 23. v.23.

Esa 58. v. 2.

Iacob. 4. v. 8

Disce nunc, & firmiter apprehende, constantes servaturus resolutiones hisce conformes mediis, & super omnia plenè recognoscere coneris debitū tuæ cognitionis, & vocationis, & de futuro perfectione majori, & fidelitate firmiori illud exequere. Quia hic est totus fructus, quē Deus â te requirit, qui esse debet causa tuæ coronæ, & æterni præmii, sicut erit, ut ait S. Paulus, in hac vitâ tuæ sanctificationis occasio: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.*

SERMO XXXVI.

PRO DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

De rigorosâ ratione, quam Deo reddere oportet in horâ mortis.

I. Quòd omnia bona, quæ habemus à Deo proveniunt, & quòd oporteat omnium rationem reddere.
II. Qui erunt articuli rationum reddendarum?
III. Media, rigorem temperandi judicis.

Redde rationem villicationis tuæ; Luc. 16. v. 2.

Cùm

Cùm oculi Domini plus lucidiores sint super cœlum, ita ut omnia eis nuda sint, & aperta, quare dicitur hic in personâ hominis divitis, vocare villicum suum, ut examinet eum, an sicut relatũ ei erat, dissipasset bona ipsius? Ad ostendendum tantam esse Dei misericordiam, ut non nisi invitus puniat: *Omnem in nos*, inquit Chrysostomus, *Dei benignitatem, neq; cogitatione comprehendere, neq; narrare possibile est.* Nam etsi, juxta Psaltem: *judicia Dei, abyssus multa misericordia certè super exaltat judicium.* Audi dicentẽ: *Quoniam dixisti, in æternum misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis.* Ædificabitur utique in cœlis, in quibus coronantur omnes beati in misericordia & miserationibus: Veritas verò tantum præparabitur, unde & descendere cogitur, ut in vindictam exardescat. Immò & Esaias: *Irascetur*, inquit, *ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo*: Quasi dicat, Irasci non opus ejus: imò *ut faciat opus suum*, id est justitiæ suæ, *peregrinum opus ejus ab eo*: Id est, illi contrarium quodammodo est. Unde & Threnorum 3. dicitur: *Non humiliavit*, ait, *ex corde suo, & abjecit filios hominum.* Sed audi qualibus modis: *tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, à facie terræ.* Et per Prophetam: *Heu*, inquit, *consolabor super hostibus meis, & vindicabo de inimicis meis.* Et: *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israel? Quomodo dabo te, sicut Adama: ponã te, ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea.* Unde Augustinus: *Quasi, plus*, inquit, *cruciat eum passio miseri, quàm miserum ipsum passio sui.* Ex quibus patet, quanta sit misericordia hominis, expectans eos ad pœnitentiam.

Chrys. lib. 1. de provid. Dei. tom. 5. post med.
Psal. 35. v. 7.
Psal. 88. v. 3.
Esa. 28. v. 21
Thren. 3.
Gen. 6. v. 7.
Esa. 1. v. 24
Osee 11. v. 8.
S. August. lib. de spirit. & anim.

PUNCTUM I.

Considera in hisce verbis duas magnas, & excellentes veritates, quas Dominus noster nos docet: Prima est, quòd omnia bona, quæ nos habemus, ab eo proveniant, & quòd simus tantùm eorum administratores, & œconomi. *Quid habes, quod non accepisti?* sive consideremus bona temporalia, & corporalia, sive cœlestia, & spiritualia; *Omne porrò datum optimum desursum est, descendens à Patre luminum.* Hoc est, quod & Job agnoscit: *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me, & plasmaverunt me.* Hæc & confessus est Martyr in suâ Passione, *E Cœlo*, inquit, *ista possideo.* Cui doctrinæ conformiter loquens Chrysologus: *Bonum nimis, si ad nos illa aptemus singuli, si ad nos ita referamus, qui in terra, nos debemus sentire villicos, non Dominos putare, prorogationis temporariæ ministerium suscepisse, non invenisse jus perpetuum possidendi.* Hoc est quod insinuatur Oseæ 2. *Quia ego dedi ei frumentum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Belial.* Altera ratio est, quòd sit venturus die nobis ignoto, quo rationem reddere nos oportebit omnium horum bonorum Deo, qui illorum Dominus est, & dedit. Imagineris tibi, jam hanc horam advenisse, & quòd ipso facto & de præsenti oporteat te reddere rationem villicationis tuæ, & tuæ

Iac. 1. v. 17.
Iob. 10. v. 8.
2. Mach. 7. v. 11.
S. Chrysol. serm. 126. de villico.
Osee. 2. v. 8.

tuæ administrationis, & quòd Deus tibi dicat, sibi præsenti; *Redde villicationis tuæ rationem?* Quid fecisti de bonis omnibus, quę à me recepisti? Quomodo do illa impendisti? in quē usum, in quem finem, & quali ratione? & modo? Quomodo administrasti tua bona temporalia; Quomodo usus es bonis corporis, & animæ, bonis sanitatis, fortitudinis, tuorum sensuum interiorum, & exteriorum? Quâ ratione usus es oculis tuis, auribus, tuo spiritu, tuâ scientiâ, & dexteritate, omnibus partibus, & facultatibus animæ tuæ? Calcules paululum tuos discursus, exitus, & introitus, quos unquam fecisti, passus singulos numera, omnes tuas cogitationes, locutiones universas, motus omnes labiorum tuorum, & voluntarias corporis tui, & animi commotiones, & uno verbo, omnia quæ à te emanarunt, à tempore discretionis, & usûs rationis, usque in hanc horam; tibi ob oculos pone; omnia hæc notata sunt in libris, qui proponentur in judicio Dei, pro districto tui examine nihil dissimulabitur, nihil omittetur, transeas nunc alteriùs, & accedas ad bona supernaturalia, ut vides, & animadvertas, quem fructum ex illis retuleris. Consideres, quales receperis benedictiones, quales illustrationes, quales motus internos à Deo receperis, & inflammationes divinas à tempore tui Baptismi, vel in frequentandis Sacramentis, vel in meditationibus exercendis, vel ex lectionibus bonorum librorum, aut aliis occasionibus, quem usum, horum omnium fecisti, quem fructum retulisti? Responde, & recogita, & dic cum servo meo Job: *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* Iob.14.v.16. Non ignoras quod tibi dictum est in Deuteronomio: *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Deut.32. v.34.

PUNCTUM II.

VErùm si hîc non subsistas, nec quidquam replicare habeas contra has rationes, quod tibi commune & cum omnibus Christianis, quid tunc erit, dum examinationi subjicieris, ut Ecclesiasticus, & quando primò ratio à te exigetur bonorum temporalium Ecclesiasticorum; Si fueris Beneficiarius, tibi clarè ob oculos ponetur fuisse te tantum illorum dispensatorem, villicum, receptorem, & œconomum, ut loquuntur sancti Patres, & quòd fueris minùs eorum proprietarius, quàm seculares sint, suorum bonorum; Ex eo quod sint patrimonia pauperum, & pretia peccatorum. *Iudicium enim incipiet à domo Dei.* 1.Petr.4. v.17. *Et judicium durissimum his qui præsunt, fiet.* Sap.6.v.6. Audebisne, tunc inserere cōputui, quidquid expenderis in vestes superfluas, in excessus extraordinarios, & exorbitantes, in lusus, in mobilia inutilia, in recreationes, in convivia superflua, & uno verbo, quidquid expenderis, & exposueris pro servitio mundi, & Diaboli? *Omni siquidem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & qui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Luca 12. v.48. Quales tunc angustiæ, quales anxietates tibi orientur, quales perturbationes patieris tunc cùm tibi ob oculos ponetur clarissimè, & convincenter, quòd pro-

phanaveris vaſa templi Domini impendens animam tuam, quæ eſt Deo ſacrata triplici caractere, & omnes ejus facultates, vires, & potentias, in uſum, qui non eſt ejus finis? Quòd loco, quòd referres fructum proficiens in bono, utens gratiis, illuſtrationibus, & internis divinis motionibus quas recepiſti in ſtudiis, in orationibus, in receſſibus, in piis lectionibus, in ſacratiſſimorum ſacramentorum frequentationibus, in ſanctis converſationibus, in exemplorum bonorum exhibitionibus, in inſtructionibus, in tuum profectum, hæc omnia diſſipâſti, omnibus abutens, nec ullum inde referens nocumentum, ac incommodum. Non inde factus es humilior, non magis charitativus, non virtuoſior? Etſi curam habueris animarum, quando â te ratio ulterius requiretur, curæ tibi commiſſæ, commiſſarum Eccleſiarum, tuarum viſitationum, tuarum aſſiſtentiarum, & conſolationum in infirmitatibus, tuarum ſollicitudinum in pacificandis tuis ſubditis, in proceſſibus abbreviandis, in diſcordiis, & differentiis ſedandis, in inſtructionibus tuis parochianis dandis, & tunc tibi dicetur: *Ubi eſt, grex qui datus eſt tibi; pecus inclytum tuum, quid dices*, ait Propheta, *Cum viſitaverit te? tu enim docuiſti eos adverſum te, & erudiſti in caput tuum. Nunquid non dolores apprehendent te, quaſi mulierem parturientem?* Quod totum ſanctus Chryſoſtomus clarè expreſſit: *ſed & Eccleſiarum propoſiti adminiſtrationis ſuæ rationem ſunt exhibituri, atq; hi præ cæteris grave ratiocininm ſuſtinebunt, cui enim verbi miniſterium commiſſum eſt, rigidè illic examinabitur, ſi neque ſegnitie, neq; invidiâ quicquã prætermiſit eorum, quæ debuerat dicere, & operibus declaravit, ſi omnia præceperit, nihilq; quod utile eſſet, auditores celaverit, rurſum, cui Epiſcopatus obtigit, quando altiùs dignitatis faſtigium conſcendit, tantò graviùs ab eo ratio repoſcetur, non doctrinæ ſolùm, & circa pauperes curæ, ſed & ordinandorum examinis, & aliarum rorum infinitarum.* Humilieris hîc, conſiderans tantam hujus judicii ſeveritatem; fatere, te diſſipâſſe bona Domini tui, & quia de præterito culpæ ſunt irreparabiles, de futuro ſis ſollicitus, ne denuò incurras, de prætetitis doleas, & ſatisfaciens. Sequere conſilium Evangelicum quod in uũ comodũ imiteris filios hujus ſeculi: *Filiũ hujus ſeculi*, inquit, *prudentiores filiis ſuis, in generatione ſuâ. Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Imiteris dico filios hujus ſeculi in generatione tuâ, quæ ex Deo eſt, quâ juſtificeris, quâ in bono proficias, quâ de commiſſis pœniteas, quâ egentibus ſubvenias, & tibi ipſi proſpicias; grandis ſiquidem culpa, teſte ſancto Ambroſio: *ſi fidelis ſciente te egeat.* Cave ergò, eodem ſuadente, ne intra loculos tuos includas ſalutem inopum, & tanquam in tumulis ſepelias vitam pauperum.

Ierem 13. v. 20. — *S. Chryſoſt. hom 20 ut putatur in varia loca S. Matth.* — *Lucæ 16. v. 9.* — *S. Amb. 1. de offic. 30. Idem 2. de off.*

PUNCTUM III.

Vide nunc, & ſeriò conſidera, quid de futuro facere poteris ad rigorem hujus judcii temperandum, & ad diſtrictionem diſtricti hujus computus, & rationis evadendam. Primum medium

dium est, imitari villicum Evangelicum, & tibi facere, sicut ipse, amicos, sive per devotionem, quam habes erga virginem beatissimam, erga sanctum Josephum, erga alios tibi designatos Patronos, vel in alios sanctos Paradysi, & per preces, quas illis offeremus quotidie, sive per eleemosynas spirituales, sive per corporales, quas possumus, pauperibus facere proportionaliter, & conformiter nostris facultatibus, & commoditatibus in eo acquiescens consilio Apostoli: *Quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Secundum est; meliùs impendere omnia bona, quæ recepimus â Deo, temporalia, in eleemosynas, & hoc eò libentiùs, si simus Ecclesiastici; corporalia in Dei, & proximi servitium, & spiritualia in mortificandis nostris passionibus, in subjiciendâ carne spiritui, & in spiritu gratiæ subdendo. Hoc est consilium quod nobis dat Apostolus, in suâ Epistolâ, dum ait: Quòd simus obligati vivere non secundùm carnem, sed secundùm spiritum Christi Jesu. *Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus, si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et alibi, *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Huic igitur insistens consilio tuum degendæ vitæ de futuro modum, ordines, ut commissa deleas, & committenda præcaveas.

Coloss 3. v. 17.

Rom 8. v. 12.

Rom. 6. v. 19.

SERMO XXXVII.

PRO NONA DOMINICA POST PENTECOSTEN.

De triplici genere personarum, quæ prophanant domum Dei.

I. Primi sunt illi, qui intrant Ecclesias, vel in iis se cum insolentia habent.
II. Alii sunt, qui suam animam maculant peccatis mortalibus.
III. Tertii sunt Ecclesiastici symoniaci, confidentiales.

Ingressus Iesus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis, scriptum est, quia domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Luc. 19. v 45.

MIrantur cæteri quòd Lazarus suscitatus est, & revera mirandum est, mortuo corpori animam reddere, ego verò præsens, signum magis miror, quòd unus homo qui putabatur filius fabri, mendicus, non habens, ubi caput suum reclinaret, non habens exercitum, non erat Dux, non erat Judex. Quam itaque habuit potestatem, ut faceret sibi flagellum de funibus, & tantam ejiceret multitudinem, unus inquam, homo ejiceret multitudinem? & quam multitudinem ejiciebat? Quæ vendebat, quæ lucra sua in templo redimebat: nemo contradixit, nemo contradixit, nemo est ausus contradicere, Filio enim defendēti Patris honorē & propulsanti injuriam, nemo ausus est resistere. Tanta enim potest divina virt⁹, in eo, qui quærit gloriam Dei, zelo domus Dei, incitatus, quomodo Christus in præsenti illam Patris sui in omnibus, & decorem domus Dei, in quo omnes debent imitari, & maximè Ecclesiastici.

Chrysost. hom. 13 in Marc.

PUNCTUM I.

COnsidera primò. Quòd per mercatores, fures, & latrones hos, quos Dominus, & Salvator noster ejecit è templo, queat intelligi triplex genus hominum, qui prophanant templum, seu domum Dei. Primi sunt illi, qui intrant Ecclesias capite erecto, vagabundi, & distracti, ac si intrarent forum, vel aulā choreaiū tantùm ut videant, vel, ut videantur, qui illo tempore cogitant omninò de aliis rebus, non ad eos spectantibus, non de oratione, devotione, aut rebus divinis, qui se modis ibidē indecentibus gerunt, qui luxu vestium, corporum compositione, & suis susurris, ac discursibus, velut in loco existentes publico, plus adferunt molestiæ; & scandali, quàm modestiæ, ædificationis, & boni exempli, videntur velle Deo illudere; etiā in domo ej⁹. O qualis deordinatio, ô detestabilis insolentia! verùm cujus est culpa? Haud dubiè Ecclesiasticorum, qui multùm in hisce deficiunt, nullo zelo domûs Dei excitati, hujusmodi ut instruant, vel impediant, juxta suæ obligationis exigentiam. Contra hos loquitur Propheta: *Væ*, inquit, *qui pompaticè ingrediuntur domum Dei.* Et præcipit Christus hos è domo Dei expelli: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*; potuit dicere domum nugationis, insolentiæ, levitatis, & confusionis. *Recordati sunt verò discipuli ejus, quia scriptum est, zelus domûs tuæ comedit me.*

Amos 6. v. 1.

Eheu! si filius Dei excitatus zelo gloriæ, & honoris Dei, ita exarsit contra hos, qui prophanabant templum Salomonis per negotiationem rerum necessariarum ad sacrificium, etsi juxta quosdam non fuerit nisi in portâ, vel ante portam templi, quomodo deberet accendi zelus Ecclesiasticorum contra eos, qui se tantâ irreverentiâ habent in nostris Ecclesiis, quæ multis modis honore, & sanctitate excedunt templum Salomonis, & Judæorum? *Admiror*, inquit sanctus Chrysostomus, *quòd fulgur non nos omnes* cum culpabilibus prosternat, & conterat, dum hujusmodi ante oculos animadvertimus deordinationes, sine eo, quòd nos vel in minimo moveamur, vel impedire nitamur. Verùm

quomodo

quomodo hi possent hujusmodi inordinationes, & insolentias præpedire, vel præcavere, cùm illi sint primi, qui tales comittant insolentias, in locis sacris deambulando, discurrendo, ridendo, de novis seculi inquirendo, & qui dum monentur, scandalizantur? Quæ graphicè expressit Chrysostomus: *Alios video stare*, inquit, *& nugari, dum preces fiunt, & quidā ex illis, adhuc meliores scilicet, idē faciunt, non solūm dum preces fiunt, sed etiam dum Sacerdos benedicit: O audacia! non esset mirum si fulmen demitteretur, non solūm in illos, sed etiam in nos. Digna enim fulmine sunt hæc.*

Chrysost. hom. 24. in act.

PUNCTUM II.

SEcundum genus personarum, quæ prophanant domum Dei, sunt illi qui medio peccato mortali vendicat animas suas Diabolo infeliciter, & ponunt idolum suæ brutalitatis super altare domus cordis sui, & furantur Deo honorem, qui ipsi debetur, & illum deferunt Dæmoni, Considera bene hanc infelicitatem, & maledictionem, de qua conquæritur Deus per Prophetam: *Projecisti me post corpus tuum.* Et ipsimet peccatores confitentur: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactū.* Ecce! quòd hodiernâ die Domino, & Salvatori nostro lacrymas elicit super civitatem Jerusalem, cùm ruina hujus civitatis, & mors temporalis omnium habitantium in eâ, nimis parum esset ad eliciendas lacrymas tam pretiosas; hoc malum ita deflendum, & tam detestabile est ipsum peccatum, quod tam sensibiliter tangit cor, sunt tua etiam in particulari peccata, & delicta, propter quæ ille gemit, pati non debet, nisi extremo dolore, & amaritudine animi, quod videat, quòd anima tua, quæ est verum ejus templum, in qua spiritus sanctus suum constituerat, & stabiliverat thronum, ubi erat intimè præsens per suam gratiam sanctificantem, & per providentiam omninò particularem, sit facta Dæmonum receptaculum, inhabitatio malignorum, & possessio Principis tenebrarum. Hæc est illa abominabilis desolatio in loco sancto, ob quam Salvator noster meritò irascitur, & si dissimulat, non est nisi, ut expectet te ad pœnitentiam, vel suo tempore graviùs puniat. *Cùm videritis*, inquit, *abominationem desolationis stantem in loco sancto, erit tunc tribulatio magna.* Unde sanctus Hieronymus: *Possumus*, inquit, *regem lugentem nostra vitia, atq; peccata, eum dicere qui appropinquans Ierusalem, flevit super illam. Infelix verè, qui vendit, & infœlix qui emit, uterq; enim eidem subjacet pœnæ, & punitioni.* Vide tu nunc an de eorum sis numero, tam maledictæ subjectus dominationi?

Esa 38. v. 17.
Esa. 18. v. 15
Matth. 24. v. 1.

PUNCTUM III.

TErtium genus tandem eorum qu[i] profanant domum Dei, illi sunt, a[it] Chrysostomus, inter Ecclesiasticos, qu[i] cum beneficiis negotiantur, ea venden[tes], & ementes, qui gratias Spiritus san[cti] pretio argenti, & auri æstimant, & qui sese ditant ex Ecclesiæ bonis, & benedictionibus. Eheu! quàm magnu[s] hodiernâ die, ait idem sanctus, reperi[tur] hujusmodi generis hominum nu[merus].

 meru[s].

rus. *Usq; hodie multi sunt in templo, qui vendant.* Verùm, væ illi; addit, qui emit, & infelix ille, qui vendit. Altaria, ait, temporalibus onerantur bonis, & tabula, quæ serviebat pro sustentandis panibus Propositionis, effecta est mensa, & officina mercatoris, & ubi offerri debet sacrificium, & victimæ Divinitati, seu Deo, non fiunt nisi avaritiæ oblationes. *Avaritiâ sacerdotum, altaria, non sunt altaria, sed mensæ numulariorum. Mensas,* inquit, *ubi debebant esse panes propositionis, & gratiarum Dei; ibi avaritiæ victimæ sunt, & non sinebat transferri vas per templum eo tempore in carnali templo non dimittebat ferri vas, & hodie quanta in templo Dei vasa morantur immunda? Eo tempore transferri non licebat vasa, & non dicit immunda, sed quæcunq; simpliciter nuncupavit: Nunc verò quanta vasa mundantur intrinsecus? scriptum est,* inquit, *domus mea domus orationis vocabitur. Hoc in Propheta legitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum, O infelicitatem nostram! ò nos omni lacrymarum fonte plangendos. In Evangelio Ioannis legimus: Vos autem fecistis eam domum negotiationis. Ubicunq; latrones sunt, ibi domus negotiationis, utinam de præterito populo esset tantùm dictum; utinam de Iudæis legeretur, non idem de Christianis! ploraremus quidem illos, sed de nobis gauderemus. Nunc verò in multis locis domus Dei, domus Patris sit domus negotiationis. Videtis quàm tepidè loquor. Res jam manifesta est, ut expositione non egeat, ego ipse, qui loquor, & unusquisq; de vobis, sive Presbyter, sive Diaconus, sive Episcopus, heri pauper, hodie dives, & dives in domo Dei. Nonne vobis fecisse videtur domum Patris domū negotiationis? De istis loquitur & Apostolus existimantes quæstum esse pietatem.*

Chrysost. hom. 13. in Marcum. ut putatur.

Jungas nunc tuas lachrymas, cum lachrymis Christi Jesu, ad deplotanda hæc ingentia mala, nunquam enim meliùs possent impendi; sed vide, & animadverte eodem tempore, an tu non sis de horum numero; fac reflexionem seriam super hoc triplex genº personarū, te fortè è invenies, complicē in omni triplici genere. Nonne es tu, qui loco, quòd exempla bona dare in Ecclesiâ deberes, sedare tumultus, garrientes corrigere, insolentes redarguere, tantâ te ibi habes incompositione, & immodestiâ hinc inde circumspiciens, huc & illuc discurrens, diversos commiscens sermones, vel dormitans, vel aliquid aliud simile faciens, nullum de te exemplum dans commendationis? Nunquid tu ipse tandem, qui negotiaris, & tuum ministerium exponis pro infelici pretio maledictæ pecuniæ? Animadverte, quo rigore hodiernâ die Dominus & Salvator noster agit cum his negotiatoribus templi, & memineris, quòd non sit nisi objectum, vel rude delineamentum, vel figura imperfecta futuræ ejus punitionis, quam tibi reservat, si ejus templum prophanaveris in aliquo horum trium modorum. Hoc est, quod nobis vult facere innotescere S. Paulus, dum dicit: Quòd omnia illis contingebant in figurâ. Et quòd nobis tot essent lectiones ad redargutionem, & rigorem: *Hæc enim omnia contingebant illis in figurâ, scripta sunt autem, ad correptionem.* *2. ad Cor. 10 v. 11.*

SER-

SERMO XXXVIII.

PRO DECIMA DOMINICA POST PENTECOSTEN.

De humilitate Clericali.

I. Rationes quæ obligant Ecclesiasticos ut sint humiles.
II. In quo consistat humilitas Ecclesiastica.
III. Motiva, quæ nos ad ipsam excitare possunt.

Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Lucæ, 18. v. 14.

Iob. 22 v. 29. Utique juxta verbum Domini, *qui humiliatus fuerit, erit in gloriâ, & qui inclinaverit suos oculos, ipse salvabitur.* Qui autem salvabitur, exaltabitur, & hoc signum colligi potest ex primâ beatitudine â Christo nobis præmonstratâ, cùm dixit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Humilitas porrò ex imo electa, & evecta primogenita summi Regis efficitur, & condimentum reliquarum virtutum, dulce vehiculum, compeditis, qui ingesserunt pedes suos in compedes sapientiæ: Porrò tibi sunt quæ radicatam nutriunt humilitatem: Assiduitas subjectionis: *Beatus enim qui portaverit jugum ab adolescentiâ suâ.* (Thren. 3. v. 27.) Consideratio propriæ fragilitatis. Cōparatio viri melioris, ut scilicet semper consideret homo, quid sibi abest, & quid aliis adest. Hæc sola virtutem se esse ignorat, ipsa de suo contemptu fit honorabilior, & in sui abjectione alias virtutes exigens, dum ex eo proficit, quo officit, omnia enim dispendia compensat. Humiliare ergò, *nec filio patris tui sit dedecori humilitas, quæ non dedeçat filium Dei,* inquit Blesensis. Descendit Naaman de curru superbiæ, in Jordanem, qui interpretatur descensus, sive humilitas, & â leprâ mundatur. Descende & tu, atque humiliare, si vis â peccato mundari, qui autem â peccato mundatur, salvatur, & qui salvatur, exaltabitur, ergò qui se humiliat, exaltabitur, quia sociabitur Regi gloriæ in throno majestatis suæ, qui se humiliaverit cum illo in dejectione hominum, & vituperio

PUN-

PUNCTUM I.

COnſidera primò rationes, quæ obligant Eccleſiaſticos particulariter, magis quàm alios, ut ſint fundati in humilitate, Prima ratio deſumitur ex parte Dei, ex eo quò continuò egemus ejus gratiis, favoribus, & adjutoriis, noſtris ut ſatisfaciamus functionibus, quæ cùm ſint omnes ſupernaturales, ſuperantes omnes noſtras vires, & hominum induſtrias, nos ſub continuâ dependentiâ divinorum donorum obligantes ſub hac agnitione noſtræ indigentiæ, illi nos continuò ſubmittere, & ab eo requirere omni humilitate ſubſiſtentiæ rationem, ut in eo in quo in nobis deficimus, in illo ſubſiſtamus, & proficiamus, & quantumcunque profecerimus, nihil unquam ex hoc attribuamus. Conſilio Eccleſiaſtici acquieſcentes, Nos verè inEccl 3. v. 20. ſtruentis: *Quantò major es*, inquit, *humilia te ipſum in omnibus.* Et ſancto Au-S. Auguſt. ſerm 74. de tempo. guſtino conſentientes dicenti: *Quanto humilior, tantò capacior, tantò plenior. Deus* porrò *ab humilibus honoratur.* Id-Eccleſ. 2. v 21. que eâ potiſſimâ de causâ, quia ſoli huJoan 15. v. 5. miles Dei perfectam habent cognitionem, ipſi reddentes totũ eſſe, tibi nihil, Chriſti teſtimonio conformiter dicentis, *ſine me nihil poteſtis facere.* Altera ratio deſumitur ex parte proximi, cui obligati ſumus ſervire, ac noſtræ conditionis, & ſtatûs Eccleſiaſtici, conſtituti in ſtatu ſervitutis, ut Dominus, & Salvator noſter nobis demonſtrat, dum ait, quòd non venerit ut illi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, quando ſuis loquitur Apoſtolis, illis aſſeverat quòd is, qui futurus erit major, erit ſicut minor, & illis pedes lavans, dixit: *Ego exemplum dedi vobis, ut ſicut ego feci vobis, ita vobis invicem faciatis.* Unde provenit, ut qui eſt honarabilior in qualitate ſummi Pontificis, ut ſanctus Gregorius docuit ſuis ſucceſſoribus, ſit ſervus, & nomine, & re ſervorum Dei. *Principes Eccleſiæ*, inquit Chryſoſtomus, *fiunt, ut ſerviant minoribus ſuis, & miniſtrent eis, quæcunque acceperunt à Chriſto, ut ſuas utilitates negligent, & eorum procurent, & ſi opus fuerit neque mori recuſent pro ſalute inferiorum ſuorum, ſicut Apoſtolus dicit: Ego autem impendam, & ſuperimpendam ipſe pro animabus veſtris, ipſi honores in Chriſto; Prima quidem facie videntur honores, revera autem non ſunt honores diverſi, ſed diverſa miniſteria.* S. Chryſoſt. hom. ob Imp. 22. Tertia tandem deſumitur ex propria eorum indignitate, paupertate, nuditate, ignorantiâ, impotentiâ comparatâ magnitudini, ſanctitati, majeſtati, & omnipotentię illius, cujus locum obtinent in ſancto altari in cujus nomine loquuntur, & ſi ita loqui liceat, ſe illis ſubjicit. Ergò ad cognoſcendum, in quo conſiſtat humilitas Eccleſiaſticorum, conſideratis verbis Apoſtoli dicentis: *Ea quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut ea quæ ſunt, deſtrueret.* Et 1 Cor. 1. v 27. illa Joſuæ: *obediente Domino voci hominis.* Joſ. 10. v. 14.

PUNCTUM II.

COnſidera ſecundò hanc virtutem dividi, velut in tres partes: Cujus prima pars eſt, humilitas cordis, altera humilitas ſermonis, & tertia, humilitas actionis. Humilitas cordis in Eccleſiaſticis

cis consistit, ut se existiment indignos. minimo gradu, qui in Ecclesia est, repe-ribilis, & semper diffidant, sibi ipsis, vel proprio genio, eâ de causâ, quod qui hanc vocationem, benè ponderant, eam non amplectuntur, nisi magno, & bono consilio præhabito, idque semper magno cum timore, excludentes omnes cogitationes gradûs altioris, ambitionis, ministerii vel dignitatis altioris Ecclesiasticæ, illa s nunquam velut suspectas affectantes, sed magis fugientes, quantum ex se est, imò non se intrudentes inordinatè, nisi servatis interst;tiis, ut sacris initientur ordinibus] seriò acquiescentes consilio Chrysostomi: *Primatum*, inquit, *Ecclesiasticum concupiscere, neq; causa, quia neq; justum est, neq; utile, quis enim sapiens ultrò se subjicere festinat servituti, labori, dolori, & quod majus est, periculo tali: ut det rationem pro omni Ecclesia apud justum judicem, nisi forte nec credit judicium Dei.* Humilitas sermonis in eo sita est, ut nihil proferat in laudem sui, nullum alium contemnat, non referat sua gesta, æstimationem suam apud homines, bonum successum suarum actionum, & negotiorum; Verùm magis recognoscens hæc omnia â Deo provenire, illi soli referat in acceptum, & fructum omnem, & causam, & dicat cum sancto Joanne: Dum illi succedit, *Dominus est*; vel ut nos alibi docet Dominus, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Humilitas actionis consistit in hoc ut alios nô supplantet astutiis, & fraudibus circumveniens, suis nimis fidens judiciis, verùm magis se submittat directioni personæ intelligentis & illuminatæ, ut ab ea instruatur, & dirigatur in omni occurrente necessitate, vel occasione, simplices libenter, & parvas suscipiat functiones, ut cathechizare pueris, prædicare in pagis, côfessiones pauperû audire; visitare carceres, & hospitalia, ut eos, qui ibi detinentur, instruat, ambulare oculis demissis, & super omnia in Ecclesiâ omnem modestiã servare, pati libenter injurias, vilipensiones, & contempt⁹, undecunq; illi nobis proveniant, & tandem agere cum debito respectu, cum omnibus superioribus, & Præpositis, licet non sint magnæ nobilitatis, vel magnarum divitiarum, scientiarum, vel etiam virtutum, simus semper primi in illis salutandis, illis cedendo libenter locum honoratiorem: Hæc est lectio, quam nos docet hodiernâ die publicanus in Evangelio, qui ostendit humilitatem cordis sui, in eo quòd levare oculos in cœlum non audeat, humilitatem sermonis, in eo quòd agnoscat se maximum peccatorem, & humilitatem actionis in tunsione pectoris sui, & in petitione veniæ suorum peccatorum se tenens procul ab omnibus aliis separatû, quasi eorû consortio indignum: ut exprimitur in Evangelio: *Publicanus à longe stans, non audebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suû; dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Ad hoc hortatur Apostolus, *in humilitate superiores invicem arbitrantes, honore invicem prævenientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Hoc Christus suo nos docuit exemplo: *Ego*, inquit, *non quæro gloriam meam.* Et in hoc reprehendit Pharisæos: *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra,* quia,

Chry supra.

Luc. 18. v. 13.

ad Rom. 12. v. 26.

Ioan. 8. v. 50.

Luc. 16. v. 15.

quia, quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, motiva, quæ nos possunt excitare, & inducere ad hanc virtutem desiderandam, & quærendam. Nulla possunt inveniri meliora, & potentiora, quàm illud quod nobis Salvator noster hodiernâ die proponit, dum ex unâ parte constituit punitionem superborum, ex altera humilium remunerationem: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*: humiliabitur, inquit Salvator, vel in vitâ civili per homines ipsos, qui arrogantiam ferre nō possunt, vel in vitâ spirituali per subtractionem gratiarum, quæ illum relinquent, & deserent in peccatis infamibus, & indecentibus, vel in vitâ æternali justo Dei judicio contra illum lato. Omninò contraria evenient humili, *qui se humiliat*, inquit Christus, *exaltabitur*: exaltabitur corā hominibus, qui honorant humilitatē: Exaltabitur coram Deo, qui omnes suas benedicit actiones, & prosperare facit, coram sanctis Paradysi, & cœlorum, inter quos humilis exaltabitur, eo modo, quo se humiliaverit hic in terrâ. Hæc variis exprimuntur scripturis: *Elevatum est cor ejus, & facta est contra eum ira, humiliatusq; est postea, eò quòd exaltatum fuisset cor ejus.* Quod expressit Apostolus ad Romanos, *dicentes se esse*, inquit, *sapientes, stulti facti sunt, propter* *quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam &c.* Horum pœna specificatur in Apocalypsi: *Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Superbum*, juxta sapientem, *sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Quod & expressit Job: *Ponit humiles*, inquit, *in sublime.* Illud utrumque pulchrè Augustinus in Apostolo Paulo demonstrat: *Paulus*, inquit, *primò Paulus, hoc est primò superbus, postea humilis; prostravit Christus unâ voce Saulum, erexit Paulum, hoc est prostravit superbum, erexit humilem, prostratus est, persecutor, erectus est prædicator.* Elige nunc ex his duobus unum, aut exaltari, vel humiliari à Deo, vide, in quo magis deficis contra humilitatem, si illam in corde habeas, si illa exterius in tuis locum inveniat discursibus, quos misces cum aliis, si in actionibus tuis, quas facis, illam clarescere facis; pete incessanter ab eo, qui illam tibi exemplo ostendit, qui vult ut illam discas â se, quia, si, juxta sanctum Paulum, non possimus aliquid cogitare boni à nobis, quasi ex nobis, intendere minimâ intentione aliquam actionem virtuosam, sine assistentiâ, & gratiâ Dei: Quantò magis egemus ejus auxilio, & gratiâ, ut virtutem ita contrariam, & repugnantem naturæ humanæ, quæ non est, nisi quasi superbia, addiscamus, & assequamur? *Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.*

2. Paralip. 26. v. 16.
ad Rom. 1. v. 22.
Apoc. 18. v. 7.
Prov. 29.
Iob. 5. v. 11.
S. August. serm 47 de temp.
1. Corinth. 12. v. 3.

SER-

SERMO XXXIX.

PRO DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

De surditate spirituali.

I. Quid sit surditas spiritualis?
II. Quàm sit periculosa, & maximè Ecclesiasticis.
III. Remedia illi malo adhibenda.

Adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur ut imponat illi manum. Marci 7. v.32.

NOn poterant hi homines surdo huic, & muto præstare beneficium majus, quam adducere eum ad Christum: *Omne etenim bonum ab ipso, ad hoc enim ipse venit*, ut ipse testatur: Ut vitam habeamus, & dilectionem Dei in nobis, ideo reprehendit Judæos, dum ait: *Sed cognovi vos*, inquit, *quia dilectionem Dei non habetis in vobis*; hæc porrò dilectio, est vita, quam vult Christus, nos habere in nobis scilicet ut invicem diligamus: Fundamentum porrò omnis amicitiæ est amor, amor autem est vinculum duorum, aut plurium, ut dicit Aristoteles. *Et una anima duorum amicorum*, hoc enim proprium est amori, & ut binet & conjungat plurium animos, ita ut unam habeant voluntatem, eundem effectum, in eundemque quasi effectum tendant. Unde & concordia fratrum dicitur, quasi unitas cordium. *Multitudinis credentium erat cor unum &, anima una.* Quod exponens Euthymius: *Charitas*, inquit, *erga nos in magistro nostro Christo, inter omnes alias virtutes potissimùm eluxit*: Hæc est unitas spiritûs in vinculo pacis, hoc est cor unum, & anima una, Hac ergò charitate illi homines inducti adduxerunt surdum, & mutum ad Christum, ut ab illo loquelam reciperet, & auditũ, loquelam ad Deum laudandum, auditũ ad illum audiendum, & illi credendum, quæ sunt officia amicorum Christi.

Ioan. 5, v. 40. — *Arist. 9. Ethic. cap. 8.* — *Act. 4. v. 32.*

PUNCTUM I.

COnsidera primò in persona hujus pauperis surdi, & muti, quem Salvator hodiernâ die sanat, speciem certam surditatis, quæ est surditas spiritûs, multò periculosior & gravior, quàm surditas corporis reperiri: surditas, quæ accidit, dum aures obturamus, &

obfirmamus inspirationibus spiritûs sancti, ex eo quòd illas nolimus vel absolutè suscipere, vel obedire: *Noluit intelligere, ut bene ageret*, ait Propheta, loquens de primis, & alibi: Verterunt terga, & non facies, verterunt terga, inquit, quando eos voluit instruere, ipsos monere, & ostendere malum, in quod se præcipitare volebant, simulabant se audire, & non audiebant. Ideò hortatur Dominus per Prophetam: *Surdi*, inquit, *audite, & cœci intuemini ad videndum.*
Esa.4.v.18. *Quis cœcus nisi serv⁹ meus, & surdus, nisi ad quem nuntios misi? Laboravi rogans.*
Ier.15.v.6. O Deus bone! Quot sunt surdi hodiernâ die inter Ecclesiasticos, qui, dum monentur, informantur, & instruuntur de suis obligationibus, audire nolunt, facere negligunt, vilipendentes, contemnentes, & risui habentes omnes monitiones, vertunt terga omnibus bonis cōsiliis, & monitionibus cum risu, & contemptu? Hoc ipsa experientia probat; sed vide: Quoties Deus tibi locutus est? te monuit? tibi inspiravit in piis, & spiritualibus lectionibus, in prædicationibus, in confessionibus, & in aliis mille occasionibus? non audivisti, non æstimasti, imò rejecisti omnia ejus consilia, monitiones omnes, & inspirationes? Quoties tibi dixit, quòd non deberes ita adhærere mundo, quòd non posses duobus Dominis servire, & ut viveres, ut decet Clericum, oporteret te elongare à societatibus mundanis, à modo vivendi seculari, à mundanis conversationibus. Quòd oporteret amare paupertatem, mortificationem, humilitatem, & cæteras virtutes decentes Christianum, & maximè Clericum. Audivistisne? credidisti? fecisti? Timendum est, & verè timendum, si non sis in illo infœlici statu surditatis, quòd nihilominus brevi in eum devenies, vide, quales in te invenias ad hunc dispositiones? Videris dicere cum Pharaone: *Quis est Dominus, ut* Exod.5.v.2. *audiam eum, & dimittam Israel? Dominum nescio, & Israel non dimittam.* In te cadunt verba Prophetæ: *Et noluerunt at-* Zach.7.v.11. *tendere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt, ut ada-* Ioan.10.v.25. *mantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus in spiritu suo.* Et verba ipsius Christi: *Loquor vobis, & non creditis.* Roga ergò Deum, ut adaperiat tibi aures, ut audias, intellectum illuminet, ut intelligas, in quo sis statu, & horreas, ut convertaris ad Dominum, illi obediens in omnibus factus.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò, quàm hæc surditas sit periculosa. Primò, quia Deum offendit, qui loquitur nobis, qui nos monet, instruit, & vocat. Quanta hæc indecentia, & absurditas Deum non audire, quando se nobis vult communicare, & nos suorum secretorum facere participes? Secundò, quia hoc modo nos privamus notitiis necessariis nostræ salutis operandæ, quas aliter nunquam poterimus discere, vel acquirere. Verùm maximum omnium malum, quod concernit particulariter Ecclesiasticos, est quòd Deus etiam suo tempore non audiet, quando ad ipsum recurremus in nostris necessitatibus, & in ultimo nostro certamine. Hoc est, nostras preces non admittere,

mittet, quas illi offeremus, imò rejiciet, ut per Prophetam nobis prædixit: *sum locutus ad vos*, inquit per Jeremiam, *& non audistis, vocavi vos, & non respondistis, ecce projiciam vos à facie meâ. Qui declinat aures*, inquit sapiens, *suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Suo tempore, & certo die excitaberis, ut mihi loquaris, dicit alibi: Clamabis ad me, me invocabis, auxilium meum requires, sed non audiam. nam simulabo me te non intelligere, te rejiciam, tunc invocabunt me; & non exaudiam, manè consurgent, & non invenient me. O qualis infœlicitas qualis miseria, qualis desperatio, dum anima in talem statum redacta est, ut Deus eam non dignetur audire, preces ejus admittere! si te in hoc culpabilem recognoveris, ne tardes quærere sanitatem, de remedio cogitare, ut evadas, & convalescas.

Proverb. 28. v. 9.

PUNCTUM III.

COnsidera tertiò, quid Salvator noster huic pauperi surdo fecerit? Hoc erit, quod tu & addiscere debes, & facere, ut sanari, & alios sanare possis. Primò, ipsum sumit separatim, hoc est, elongat ipsum â multitudine, ut ostendat, quòd vox, & verbum Dei non percipitur, vel auditur inter mundanos discursus, in societatibus, & tumultibus hominum, & quòd quamdiu erimus implicati maximis, & principiis corruptis mundanorum, in periculosis conversationibus, in desideriis, & affectionibus inordinatis, semper erimus surdi ad sermones divinos; ideò illum, ut sanaret, removit Christus â turba, *apprehendens*, inquit scriptura, *eum de turbâ seorsum misit digitos suos in auriculas ejus*, â turbulentis cogitationibus, actis inordinatis, sermonibusque incompositis educitur, qui sanari meretur. Vox, seu verbum Dei est summè dulce, & non potest intelligi, nisi in silentio, in tribunali, in lecto, in infirmitate, ibi ordinariè fortiùs loqui debemus, ubi magis intelligimus, *non in commotione Dominus, sed in susurro auræ tenuis.* Secundò Salvator noster cœlum intuens, magnũ emisit suspirium, quòd nobis primò ostendit effectum spiritus sancti in animâ, dum illam tangit, dum in illâ exitat consicientię remorsus, dolorem de commissis peccatis, desiderium veniæ obtinendæ, quę illam excitant, ut oculos elevet ad cœlum, petat se convertendi auxilium, & gratiam. *Et suspiciens*, inquit, *in cœlum ingemuit, & ait illi ephetha, quod est, adaperire, & statim apertæ sunt aures ejus. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Secundò, quomodo nos oporteat habere, dum aliquod opus bonum aggredi volumus, & maximè in conversione peccatorum, pro quibus oculos in cœlum elevare debemus, unde omnem successum expectare debemus, omne auxilium, & gratiam, imitantes Prophetam: *Dominus Deus*, inquit, *aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Et tandem immittit digitos in aures surdi, ut illas adaperiat donis spiritûs sancti, & divinæ allocutioni, & claudat mundanis discursibus, novellis, & curiositatibus, quas ita avidè quæritaudire.

2. Reg. 19. v. 12.

ad Rom. 8. v. 26.

Esa. 50. v. 5.

Te hodie huic divino Magisto, & Medico

Medico simul repræsenta, protesteris de cætero audire velle, quidquid tibi illi Psal. 84. v. 6 placuerit loqui, dic: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*; & cum Psalmistâ: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Uterisne iisdē remediis respectu eorū, qui in eadē versantur afflictione, & si illis adferas solatium ab eorum liberes afflictionibus, & infirmitatibus vel ipse â talib⁹ libereris, tibi nil attribuas, verùm omnia silentio involvas, & omnibus imponas silentium, sicut hodiernâ die Salvator noster illi quem sanaverat, præcepit, ne diceret: *Et præcepit illis ne cui dicerent.* Recognoscens hunc effectum esse divinæ gratiæ in ipsum Deum refundendum, qui omnia in nobis bona operatur, ut ait Apostolus in hodiernâ Epistolâ. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit*, ad Corinth. 5. v. 10.

SERMO XL.

PRO DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

De Assistentia, & auxilio, quod Ecclesiastici debent proximo.

I. Quantum Ecclesiastici sint obligati assistere omnibus miseris, & pauperibus, exemplo Samaritani.

II. In quo debent testificari hanc assistentiam.

III. Exemplum Domini, & Salvatoris nostri illos ad hoc movere debet.

Samaritanus quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est, & appropians alligavit vulnera ejus. Lucæ 10. v. 33.

SAmaritanus, qui interpretatur custos, denotat Prælatum, vel Patremfamiliâs debere habere sollicitam curam pro infirmis. In hoc porrò Salvator noster superioribus sui formam officii præscripsit, ideò ad Apostolos ait, *qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut ministrator.* Luca 22. v. 26. Prælatorum munus est ministrare, subditisque sedulâ curâ prospicere de necessariis. Hujus exemplum

emplum præbuit seipsum Princeps pastorum: *Ego*, inquiens, *in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Et transiturus ipse ex hoc mundo ad Patrem, eandem curam suo commisit vicario, dicens: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Atque ex his Christi verbis nata est universalis Apostolorum edita constitutis, *ut sit qui præest in solitudine.* Translato curarum temporalium onere â subditis in humeros superiorum, Congregatio subditorum sine sollicitudine est: Cogitans solùm quæ Domini sunt. Quod expressit Dominus per Prophetam: sedebit populus meus, inquit, in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ. Hinc Apostolus ad Timotheum: *Si quis*, inquit, *suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Ita voluit Dominus, ut sui ex misericordia aliis in omnibus servirent, & subvenirent, & maximè superiores suis deservirent, & subvenirent subditis.

Ibid. 22. v.27.

Ioan. 21. v.15.

1. ad Tim. 5. v.8.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, quantum Ecclesiastici obligati sint suis assistere, & subvenire proximis, maximè miseris, & miserabilibus. Ratio est, quia obtinent locum boni Samaritani, quem Dominus & Salvator noster hodiernâ die in Evangelio repræsentavit, cujus exemplum imitari meliùs non possunt, quàm curam suscipiendo similium personarum miserabilium: Et hoc est potissimum, quod Concilium tridentinum, & alia ante ipsum, ab Episcopis requirunt, *ut curam agant miserabilium personarum. Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere.* Et ipso facto; cur enim tot reditus, & tot bona Ecclesiis sunt communicata, & data, nisi ùt assistant, & subveniant iis, qui egent? Et nihilominus mirabili metamorphosi videtur, & animadvertitur, quòd immisericordiores erga pauperes, infirmos, & egenos sint Ecclesiastici, & de facto videtur, quòd hic spiritus charitatis qui semper essentialis fuit Presbyteris, sit ablatus, & translatus â ministris Christi Jesu, ad confusionem Clericorum ad personas seculares, sine quorum subsidio & auxilio maxima pars miserorum, & miserabilium privaretur omni subsidio, & spirituali, & temporali, quæ tamen illis summè sunt necessaria. Vellesne cedere tuam coronam Laìcis, & te ostendere similem Presbytero inhumano, omni charitate, & misericordia vacuo, & huic Levitæ, qui tantum horrorem ex visu pauperis afflicti conceperunt, ut illum relinquentes in summo periculo utriusque vitæ abiverint? Verè in te, & tuis similibus verificabitur verbum Domini: *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum ejus.*

Concil. Trid. sess 23. cap. 1.

Matth. 21. v 33.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, in quo debeamus proximo subvenire, & auxiliari: hoc auxilium, & subsidium, quod reddere

reddere debemus proximo, uno verbo, consistit in eo, ut nulli rei parcamus ad nos spectanti, quæ potest deservire pro ejus subsidio, & solatio: Ita fecit bonus Samaritanus, qui non poterat plus facere, quàm impendere totum, quod habuit, suum oleum, & vinum, suum jumentum, & argentum, suam personam, & operam pro solatio, & medela illius miseri, qui ceciderat inter latrones; *Homo quidā descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semi vivo relicto: Accidit autem ut Sacerdos descenderet eâdem viâ, & viso ille præteriit: similiter & Levita, cùm esset secus locum, & videret eum transiit; Samaritanus autem quidam, iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordiâ motus est, & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinū, & imponens illū in jumentū suū in stabulum duxit, & curam ejus egit.* Et ut ad particulariora descendamus, sicut sunt tria genera miseriarum, spiritualium, corporalium, & temporalium, non sufficit Ecclesiasticis applicare se, ut in unâ miseros sublevent, & non in aliâ, verùm oportet quòd eorum charitas se extendat ad miseros sublevandos, in quovis genere harum miseriarum, quantum in ipsis est potentiæ, & facultatis, nihil prætermittendo, vel omittendo, & maximè in spiritualibus, quæ maximæ sunt miseriæ, & si illæ non sint sensibiliores quibus oporteat adferre remedium, ut per instructiones, correctiones, sacramentorum administrationes, & maximè sacramenti pœnitentiæ, in quo nunquam oportet ferre, nisi oleum & vinum, non autem acetum, ut non reddatur odiosum, sed onerosum.

Lucæ 10.

An non est res misera, & detestabilis, quòd tempore illo, quo tam claram mysteriorum divinorum habemus notitiam, adhuc tanta inter Ecclesiasticos inveniatur ignorantia, ut nullam censeant compassionē in miseriis spiritualibus erga proximum, ut laborent illum his liberare? Vide quid hucusque feceris, ut hanc extermines ignorantiam, quid ex tuis contribueris, quam habeas æstimationem ex tuis visitationibus, auxiliis apud infirmos, egenos, & miseros, ignorantes, ac peccatores? Quomodo hisce te impenderis, ut in suis sublevarentur miseriis, non dicitur quòd oporteat te illos sanare absolutè, hoc enim est proprium soli supremo medico, in cujus potestate mors & vita consistunt, sed ad minus, quòd oporteat te curam illorum habere. *Curam illius habe.* inquit, *non curationem.* Fac nunc resolutionem firmam, & immutabilem, te de cætero velle illis majori zelo, charitate, & subsidio benigniori subvenire.

PUNCTUM III.

Considera tertiò exemplum Domini, & Salvatoris nostri, qui perfectè adimplevit, & adhuc quotidiè implet officium boni Samaritani. Invenit genus humanum, in suo in mundum introitu totum plagis plenum peccatorum & ita omnibus destitutum viribus, quòd erat impossibile, seipsum erigere. *Iacebat in malis,* inquit sanctus Augustinus, *vel etiam volvebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius generis humani*

August. in Enchrid.

mani

mani massa damnata. Vidit animam nostram,& omnes facultates,ac potentias in ignorantiis, in peccatis & malitiis in deordinationibus,& pravis consuetudinibus involutas. Quid fecit? Remedium ignorantiæ nostri intellectus adhibuit suis illustrationibus, quas clarescere fecit,suis prædicationibus, & doctrinis. O quales illustrationes, quales veritates ejus sunt Evangelia! Voluntatem roboravit suis verbis, & exemplis, suâ gratiâ, & suo divino impulsu illam animavit, induxit, & incitavit ad amplectandum bonum. Nihil potentiùs est,quàm ejus exemplum,& gratia. Et quid aliud facit quotidiè per sua Sacramenta quæ instituit, velut tot canales olei & vini, suarum misericordiarum, gratiarum, & donorum, & velut medicamenta pretiosissima, quæ composuit ex sacratissimo sanguine suo, quibus infirmos sanaret, debiles roboraret, & dejectos erigeret, & mortuos suscitaret?

Vide nunc, ad hoc exemplum & archetypon tibi ob oculos positum, quid hucusque feceris, quam curam miserorum susceperis, quid fecisse debueris, qualem laborem impendisse, ut illis solatium adferres, pro quibus Christus Jesus suum pretiosissimum effudit sanguinem: *Qui non dat pro ovibus*, inquit sanctus Gregorius, *substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suam?* Quomodo illos eriges cum ipse terræ affixus jaceas? quomodo sanabis, cùm ipse,infirmitate depressus medico egeas? etiam semimortuus læsuris, & cicatricibus peccatorum tuorum desperatus appareas?

Recognosce, rogo, & cordi maximè sumas,quòd sis miserabilis, & quòd loco,quo deberes alios sanare, egeas ipse medico; Recurre ad hunc divinum Samaritanum,omni affectu,& humilitate, ostendas illi tuas cicatrices, plagas, infirmitates, & impotentias, quas sanctus Paulus hodie nobis ob oculos ponit, & pete ab eo,ac suppliciter roga, quòd, si tuo velit uti servitio, aliis ut subvenias, & mederis, te capacem efficiat, ac idoneum ministrum. *Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & ideò idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* 2. ad Cor. 3.v.5.

SERMO XLI.

PRO DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

De gratitudine, & recognitione erga Deum.

I. Rationes quæ nos obligant ad hanc virtutem.
II. De quo Deo referre debeamus gratias, & in quo consistunt hæ gratiæ Deo referendæ.
III. Media, has in praxin reducendi.

Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt, non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Lucæ, 17. v. 17.

TU pro beneficiis acceptis, quam refers gratitudinem, quomodo te obligatum recognoscis, qua ratione studes huic tuæ obligationi satisfacere? cogita, quoties visum receperis, mediante sacerdotali benedictione, & absolutione, sed quomodo regressus es, ut dares gloriam Deo? tui muneris est, ut recognoscas tot tibi exhibita divina beneficia, cautus ambules, converseris sanctiùs, humiliùs te habeas ut de te veraciter dici possit ab unoquoq;: *Animadverto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.* Hæc animadversio vehemens incentivum est bonarum voluntatum in Deo benefactore nostro, ut non tantùm eâ ratione inducatur compassione indigentiæ nostræ, quâ erga alios miseros, sed etiam excitetur suâ charitate, & affectu nobis in omnibus subveniendi, nobis ulteriùs benefaciendi. Nihil enim Deo, & Christo acceptius est gratitudine, seu gratiarum actione, seu voce laudis, dum illi de omnibus quæ accipimus laudem & gloriam reddimus. Hoc enim unicum tributum pro omnibus suis bonis, & donis exigit Deus ab homine, ut illi rependat affectum gratitudinis, & gratiarum actionis. Unde Psalmista: *Non accipiam de domo tua vitulos: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Psal. 49. v. 9. & 14. Nam, ut Cassiodorus, *Gloriosis magis placent præconia quam tributa:* Ambrosius

quoq; delectatur, ait, *cantu non solùm laudari, sed & reconciliari.* Vis ergò scire, ô homo quomodo placere potes Deo? Gratias age. Unde Rupertus, *inter alias causas hominis lapsus, hanc refert, quia* Rom. 1. v. 21. *creatus Dominum non laudavit*, & Apostolus, *Philosophorum, & sapientum hujus mundi dominationem in hoc reducit: quia non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Cecinerunt Angeli Deo in creatione suâ. Ubi eras ait Deus Job, cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei? Quin imò, ubi Paulus de hominibus redemptis loquitur: *Ipsius*, ait, *sumus factura creati in Christo Iesu, in operibus bonis.* Ideò monet Bern. serm. 41 in Cant. Bernardus. *Nulla*, inquit, *Dei dona debitâ gratiarū actione frustrentur, nō gravia, nō mediocria, nō pusilla.* Quod intelligens hic alienigena redit, ut det gloriam Deo, & gratiarum actionem referat, pro sibi exhibito summo beneficio, se illo modo capacem reddens, ad ultiora recipienda Dei dona.

PUNCTUM I.

Considera primò rationes, quæ nos obligant, ut recognoscamus gratias, beneficia, & dona, quæ quotidiè â Deo recipimus. Ratio prima est, quia ingratitudo est animæ inimica, quæ exhaurit omnia merita, & privat omnibus bonis, quæ ante acceperat, & obstaculum ponit, ne nova accipiat. Ecce ratio, ob quam Dominus & Salvator noster hodiernâ die conqueratur, ex eo quòd decem leprosos sanaverit, & tantùm unus veniat id recognoscens, & quòd alibi mandat uni, quam liberaverat à Dæmone, ut referret, & annuntiaret ubique magna bona, quæ ab eo receperat: *Vade*, ait, *& annuntia, quanta tibi Dominus fecerit.* Et hoc est exercitium, quod sanctus Paulus toties nobis recommendat, & quod occupat omnes beatos in cœlis. Ideò conqueritur sanctus Bernardus: *Paucos admodum novimus*, inquit, *qui dignas super acceptis* Augus. in *beneficiis gratias agere videantur. Deus* Psal. 58. *meus, misericordia mea, non invenit impletus bonis DEI, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. Misericordia mea, quid est? Totum quidquid sum de misericordia tua est. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Non agit retributiones, aliud enim debebatur, & redditum est, quod non debebatur. Unde & ille, Quid retribuam Domino, pro omnibus* August. in *quæ retribuit mihi? Non ait quæ tribuit* Psal. 102. *mihi, sed quæ retribuit mihi, retribuisti tu mala pro bonis, & retribuit ipse bona pro malis.* Sed hisce omnibus rationibus omissis, nunquid exemplum Domini, & Salvatoris nostri sufficere debebat, ut induceret nos ad tam justam obligationem adimplendam, qui in principio suarum orationum, & antequam aliquod miraculum patraret, consueverat Deo Patri suo æterno gratias referre, eò usque quòd volens instituere, & stabilire maximum Sacramentum omnium Sacramentorum, quod suæ reliquit Ecclesiæ, illi dedit nomen Eucharistiæ, ut ostenderet, quòd character nobilior Religionis, inquit Augustinus, & perfectius sacrificium, quòd Deo reddi possit, sit

gratiarum actio, & beneficiorum recognitio. Ad quod adhortatur Apostolus, *omnes universim, in omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis.* Et alibi: *Gratias agentes pro omnibus vobis.*

1. Thessal. 5. v. 18.

ad Eph. 5. v. 20.

PUNCTUM II.

Considera secundò, in quo consistat hæc recognitio & gratiarum actio, & de quo potissimum divinæ bonitati gratias referre nos oporteat. Debemus illi gratias referre, de omnibus beneficiis, in communi, & particulari, cognitis, & incognitis, quorum multitudo est innumerabilis. De omnibus beneficiis naturæ, cujusmodi sunt: creatio, conservatio, nutritio, & sustentatio, vestimenta, lumen, & elementa, & de omnibus servitiis, utilitatibus, & commodis nobis à creaturis exhibitis, de omnibus gratiæ donis, cujusmodi sunt incarnatio, baptismus, & alia Sacramenta, & in particulari, pœnitentia, & Eucharistia, status Ecclesiasticus, omnia quæ nobis obvenerunt pericula, omnes tentationes, quas superavimus, omnia opera bona à nobis exhibita, omnes gratiæ, quas nobis dedit, vel dare voluit, nisi obstaculum posuissemus, omnia peccata commissa, & condonata. Et omnia quæ committere potuissemus, ejus deficiente assistentiâ, & gratiâ, gloria nobis præparata, & uno verbo, omnia beneficia præsentia, præterita, & futura. Ecce gratitudo & recognitio, quæ respicit bona adeò nobis communicata; verùm recognitio & gratitudo Christiani non debet hic sistere, sed extendere se debet etiam ad gratias referendas pro malis immissis, & receptis cujusmodi sunt bella, infirmitates, jacturæ bonorum, & omnia, quæ possunt homini accidere mala, & incommoda, ea ratione, ut illi referamus, gratias æquè pro paupertate, quàm pro divitiis, æquè pro infamiâ & depressione, quàm pro honoribus & exaltatione, æquè pro infirmitatibus quàm pro sanitate, æquè pro incommodis omnibus & malis, quam præ commodis, & omnib⁹ bonis. *Et hæc est virtus particularis, & character proprius Christianorum,* inquit sanctus Hieronymus, *referre Deo gratias etiam pro adversitatibus, cultus Dei in hoc porrò,* ait Augustinus, *maximè constitutus est, quòd anima ei non sit ingrata, unde in ipso verissimo, & singulari sacrificio* Deo *nostræ gratias agere admonemur.* Hoc præstitit, & ad hoc hortatur Psalmita, *venite,* ait, *audite & narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Quid meliùs, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias, hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest*: Et alibi, *gratiæ tuæ debitor, qui non commisi crimina. Christianorum propria virtus est,* inquit Hieronymus, *etiam, in iis quæ adversa putant referre gratias Creatori.* Hoc Tobias opere expressit, ut de eo testatur scriptura: *Non est,* inquit, *contristatus contra Deum Tobias, quòd plaga cœcitatis ei evenerit, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Qui libenter,* inquit Seneca, *beneficium accepit, reddidit, qui grate beneficium accepit, primum ejus pensionem solvit.*

Aug. lib. de spect. & lit. cap. 11.

Psal. 61 v. 15

Aug epist. 77.

S. Hieron. in Epist. 5. ad Eph.

Tob. 2.

PUN-

PUNCTUM III.

Considera media, hanc virtutem tantam gratitudinis practicandi. Primum est conservare charè, & sollicitè memoriam beneficiorum exhibitorum, & receptorum à Deo, illa laudare, multùm æstimare, ex consideratione ejus, qui nobis illa dat, & communicat, insistentes vestigiis illius sancti, qui dicebat: *Octoginta & sex annos illi inservivi, & nullo me hactenus incommodo affecit; quomodo igitur Regem meum, qui me ad adhoc usq; tempus servavit incolumem, contumeliosis verbis possum afficere?* Secundum est, gratias illi referre verbis affectuosioribus, quæ cor & animus potest recogitare, & subministrare, habendo particularem attentionem ad hoc nostrum officium, ubi fit mentio laudum, gratiarum actionum, & benedictionum Deo referendarum. Exempli gratiâ: *In gloria Patri, & benedicamus Domino.* Illa applicantes ad Deo gratias referendas nomine omnium creaturarum, sicut obligati sumus, & sacrificium semper offerre, quantum possumus in hunc finem. Tertium est; Ipsum Deum non offendere propriis ejus donis, ut dicebat sanctus Polycarpus, dum urgebatur, ut Christo renuntiaret ad evadendum martyrium: Octoginta inquit, sex annos Christo servivi, & illo toto tempore nullum mihi intulit incommodũ, sed è converso cumulavit me omnibus bonis, & vos, quod unquam malum ipse vobis fecit? Quartum est, sibi præsentare (dum certi dies proximant, quibus nos recepimus gratias specialiores, ut in die nostri baptismi, die ordinationis, sanctorum Patronorum nostrorum, nostræ conversionis, & festorum solemniorum anni) omnes preces, omnes eleemosynas, omnia jejunia, communiones omnes, & omnia bona opera, quæ sumus facturi, vel quæ fecimus, velut tot hostias, & sacrificia Eucharistica. Ultimum tandem est, jungere amorem, & charitatem gratiis referendis, & maximè habere magnam æstimationem, inclinationem, & teneritudinem erga Dominum nostrum Jesum, qui hæc omnia nobis meruit bona, quæ quotidiè recipimus, quia per ipsum solum omnes divinæ in nobis promissiones, adimplentur, hoc est, quod Apostolus in hodiernâ Epistolâ notavit, quòd quando Deus promittit benedictiones Abrahæ; non dicit: *in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semine tuo, quod est Christus*, ad Galat. 3. v. 16. Ad hoc sanctus Paulinus hortatur: *Et quam vicem dignè huic Domino referre poterimus*, inquit, *in quo & mortui vivimus. reddamus amorem pro debito, ipsi gratias quòd nobis sancti fœnoris remittit usuras, & obligationis immensæ compendium præstat, solum à nobis sui dilectionem repetens; nemo igitur se excuset difficultate solvendi, in nobis est, unde solvamus; Res enim potestatis nostræ est, noster affectus, hunc Domino impendamus, & solvamus.*

Baron. ann 1067. n. 8.

Paulin. Epist. 4. ad sever.

SERMO XLII.

PRO DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

De obligatione quam habemus ad laborandum pro salute nostrâ assequenda.

I. Rationes quæ nos obligant unicè ad laborandum pro nostra salute.
II. Pronunciat quòd tam parum de hoc cogitetur.
III. Modi quibus oportet laborare.

Quærite primò Regnum Dei, & cætera adjicientur vobis. Matth. 6. v.33.

HOc est ipsum Deum, in cujus possessione consistit ipsa beatitudo; hæc est prima divinæ vocationis motio, & desiderium, hic est primus lapis fundamenti justorum, sine quo gratiæ divinæ ædificium nullatenus fundari potest. Unde Dominus per Esaiam: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te in saphiris, & ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Ubi rectè dicit animam fundari in saphiris, saphirus enim est lapis nobilissimus, qui intervenientibus cristallinis centris viret, & subinde translucet aureis quibusdam punctulis, & radiis solis percussus ardentem emittit fulgorem. Quid melius poterat nobis adumbrare prima peccatoris desideria in conversione sua? Videtur enim aliquantulum lucere, quasi aureis punctis, vides illum ad solis aspectum lucere, qui videlicet modò bonas voluntates concipit, & ardorem, modò exiguis conatibus, quasi quibusdam punctulis lucere videtur: Qui modi dicuntur ab Augustino similes conatibus expergisci volentium, donec tandem Deus totum ædificium compleat in lapidibus desiderabilibus, id est, in quos desideria ista anhelant. *Unde*, ait Propheta, *anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te,* Anima in principio suæ conversionis quadruplici desiderio, quasi quatuor rotis ad Deum vehitur. Primum

Esa. 54. v. 11

Esa. 26 v. 9

Primum est per modum naturæ, in suum finem tendentis, ut lapis ad centrũ quo desiderio omnis Creatura in suum finem relabitur, juxta illud Augustini: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Secundum est desiderium elicitum quidem, dum anima in tenebris est, sed quod tamen terminatur in eum, qui nos salvare potest, tale est illud, de quo Propheta ait, *Anima mea desideravit te in nocte.* Tertium desiderium est, quo fertur in omnia opera consequentia salutem, & veram conversionem: Quo excitatus David ait, *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Quartum denique est, quo anima fertur in omnem amplitudinẽ bonorum cœlestium, quatenus diversis virtutibus acquiruntur. Quo Propheta permotus dicebat: *sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Et hoc est quod suadet Salvator his verbis. *Quærite primò Regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.* Matth. 6. v. 33.

Lib. 1. Conf. cap. 1.

Psa. 118. v. 12.

Psal. 62. v. 2

PUNCTUM I.

CONsidera juxta verba præfixi textus, rationes, quæ nos obligant unicè laborare ad salutem nostram assequendam. Prima est, quia illud est solum intentum & unicum Dei desiderium, quo ille nos creavit in mundo, & conservat, & illum obligavit suum filium mittere in mundũ, & quotidiè mille nobis, & infinitas dare gratias, & Angelos suos, qui sunt spiritus administratorii mittere, ut nos custodiant, dirigant, & in omnibus præservent, tueantur, ac contra omnes inimicorum nostrorum cursus defendant; ob hoc monet nos scriptura: *Deum time,* inquit, *& mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo,* vel, ut advertit sanctus Hieronymus, *ad hoc enim natus est omnis homo.* Ergò concludit sanctus Bernardus. Sic, *Hoc est omnis homo, ut absq; hoc nihil sit omnis homo.* Altera est, quia hoc negotium comprehendit vitam, & mortem æternam animarum, & corporum nostrorum, in quo stabilitur vel ruina nostra totalis, vel gloria, honor, & omnium bonorum possessio æternalis. Unde provenit, quòd in scriptura vocat negotiũ negotiorũ, quô majus, & majoris momenti nõ est dabile, significare volẽs hominẽ propriè, non habere aliud negotiũ propter quod laboret, nisi hoc unicũ; quod pulchrè denotatur in Daniele: *Ingressus est Daniel domũ suã Annaniæq; Misaeli & Azariæ, sociis suis indicavit negotium.* Ad hoc hortatur Apostolus, *Rogamus vos fratres, ut operam detis, ut quieti sitis, & vestrum negotium agatis,* Et re ipsa, Estne homo reperibilis in mundo ita inconsideratus, tam exilis judicii, & providentiæ, qui, ut se occupet næniis, vel lusibus puerorum vellet suam fortunam periculo exponere, & familiam suam subjicere ruinæ. Si scimus sapientes, ut ait spiritus sanctus, primò erimus pro nobis ipsis, quæ nos maximè concernunt, cogitantes.

Eccles. 12. v. 16.

Daniel. 2. v. 24.

1. ad Thess. 4. v. 1.

Deplora hic cœcitatem maximæ partis hominum, & super omnia Ecclesiasticorum, qui non aliud quærunt, & intendunt se evehere, & in mundo ditare, tempus lusibus, & jocis transigere, ædificare, negotiari, & similia pertractare, negotium

negotium interim suæ salutis negligentes, inter quos innocentiores laborant continuè in acquirendis scientiis pro aliorum instructione seipsos negligentes. *Optimus rerum æstimator*, ait sanctus Bernardus, *est, qui nihil sibi præferendum putat.*

Bern.serm. 2. in Cant.

PUNCTUM II.

SI requiras, unde proveniat hæc cœcitas ita extraordinaria, illa provenit ex triplici fonte, seu scaturigine principali. Prima provenit ev peccato originali, quod replevit intellectum omni ignorantiâ, & obscuritate, ut non possit videre res concernentes beatitudinem; voluntatem defectibilitate, & imbecillitate, ut non possit sentire, vel amplecti quidquam laudabile, vel meritorium. Ob hoc justè homines incurrunt reprehensionem Psalmistæ: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ob hoc, ait sanctus Gregorius, *Cœcum quippe est genus humanum, quod à parente primo à paradisi gaudiis expulsum, claritatis supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur, sed tamen per Redemptoris sui præstantiam illuminatur*: altera provenit ex peccatis actualibus, & passionibus, quæ propter perturbationes, & confusiones, quas animæ ingerunt, afficiunt ut homini jam visus, multum debilitatus per peccatum primi parentis, adhuc magis obnubiletur, & offuscetur, ut jam multò minùs videant, aut videre possint res necessarias ad suam salutem, illas non considerantes, nec quærentes, aut ullum gustum circa illas percipientes, quasi nullo modo illæ eos concernerent, Tertia provenit ex nimiâ sollicitudine quam suscipiunt rerum terrenarum, & providentiæ excessivæ circa temporales necessitates, quæ nos impediunt multum, ne debitâ libertate feramur in res spirituales, & alterius vitæ. Ecce! quam ob causam Dominus, & Salvator noster tam longum hodiernâ die instituit sermonem, & tot adfert rationes, nos ipso effectu cupiens retrahere ab illâ nimiâ sollicitudine temporali, nam, sicut fide credimus, si providentiâ Dei curam habet avicularum, & providet minimis animalculis terræ, & si Pater noster sit penetrans, & perfectissimè prospiciens omnes nostras necessitates, habens potentiam, & voluntatem nobis subveniendi, & in omnibus providendi, quomodo possumus adhuc in minimam devenire diffidentiam, circa hæc bona nobis defutura? Et maximè si simus Ecclesiastici, qui à tempore primæ susceptæ tonsuræ, intelligi fecimus, quòd nos oporteret renunciare hisce omnibus, de futuro sollicitudinibus; dum crines in syncipite abrasi sunt, omnes nimiæ sollicitudines è corde nostro excludi debuerunt. Audi Christum in Evangelio: *Dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro quid induamini, nonne anima plus est quàm esca, & corpus plusquàm vestimentum, Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neq; metunt. neq; congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa, nonne vos plures magis estis illis? Et de vestimento quid solliciti estis! Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neq; nent. Dico autem*

Psal. 4. v 3.

Greg. hom. 2 in Evang.

Matth. 6. v. 25. *autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ, cooopertus est sicut unum, ex istis, si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur. Deus sic vestit: : quantò magis vos, modicæ fidei?* Vide nunc, quantum inquietudinis, & anxietatis habueris, & quas susceperis sollicitudines superfluas, & inutiles bonorum temporalium, & mundanorum, visusne unquam est bonus servus sollicitus, quis cras illi panem daturus sit ad manducandum, dum bono servit Domino? Et unus Ecclesiasticus potestne diffidere sine summâ Dei injuriâ, quòd ipsi res necessariæ sint defuturę, dum suæ satisfacit obligationi? Ideò, ait Salvator, nolite solliciti esse, ut intendatis unicè illi negotio, quod vobis maximè commissum est de terrenis. *Quærite primùm regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.* Sed mi bone Deus, quæ sunt hic media adhibenda?

PUNCTUM III.

PRimum medium est, se ab his omnibus superfluis liberandi curis, & singulariter æstimare statum nostræ salutis, & illum præferre aliis omnibus rebus, ex eo quòd nihil sit tanti æstimandum; quia si hoc non fecerimus, quidquid aliâs fecerimus, nihil faciemus. Ideò dicit Christus Marthæ: *Martha, Martha*
Luca 10. v. 41. *sollicita es, & turbaris erga plurima, porrò unum est necessarium.* Alterum est, nos totaliter applicare, & impendere in hunc finem omnes nostras cogitationes, omnia verba, & opera dirigentes, renovantes sæpe firma proposita, salutem nostram operandi, & nos salvandi, quidquid constiterit; rejicientes generosè, & viriliter, quidquid nobis potest esse obstaculum, undecunque proveniat, & super omnia omnes nimias anxietates circa res, & necessitates temporales. Sumamus exemplum mundanorum in suorum negotiorum curâ, & sollicitudine. Quid non faciunt, dum processum, vel litem magni momenti habent? Quomodo illi sint solliciti? Nihil cogitant, nihil loquuntur aliud euntes, & venientes, dona & munera præsentantes, precantes, & sollicitantes apud judices, & advocatos, omnia in eum faciunt finem, ut sollicitent pro fœlici successu sui procesûs. Facimus nos idem in negotio ex quo dependet tota nostra fœlicitas, vel infœlicitas æterna? & non contenti, ut nos pro nostro particulari omnia in hunc finem adhibeamus media, conamur etiam alios instruere, & populos informare, ut hanc appræhendant virtutem? si pugnæ, & conflictus, quos oportet expectare, & subire pro executione hujus boni intenti, contradictiones carnis, mundi, & Dæmonis deterreant, memineris lectionis, quam tibi hodiernâ die dat Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Memineris & ver- Matth. 6.
bi Christi, *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt, scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Primas apud nos curas*, inquit sanctus Eucherius,

Eucher. Epist. ad Valeria. quia prima habentur, obtineant, summasque sibi sollicitudinis partes, salus, quæ summa est, vendicet. Hæc nos occupet in præsidium, & tutelam sui, jam non solum prima, sed sola. Dicendum cum sancto Bernardo, *Anima mea in manibus* meis semper, eligamus potius ardere quàm cedere: Et sicut quod in manibus nostris tenemus, non facile obliviscimur, sic nunquam obliviscamur negotium animarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris.

Bern. serm. 1. in vigil. Nat.

SERMO XLIII.

PRO DOMINICA DECIMA QUINTA POS PENTECOSTEN.

De Filio viduæ in Naim resuscitato.

I. Duæ primæ veritates in hodierno Evangelio à Christo propositæ mortem concernentes.
II. Tertia veritas expressa â Christo concernit resurrectionem.
III. Tres instructiones ex illis eliciendæ.

Cùm appropinquaret Iesus portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur Filius unicus matris suæ, & accedens tetigit loculum ejus, & ait, Adolescens, tibi dico: surge.
Lucæ, 7. v. 12.

DEfunctus hic juvenis erat. Hîc nemo cujuscunque ætatis sibi vitam longam promittat; nascendo enim morimur, & quasi aqua dilabimur, & quando nam morituri sumus nescimus; hora enim omnibus incerta. Ipsa nativitas utique exponit hominem, sicut incertitudini mortis, sed & incertitudini salutis. A momento enim pendet æternitas. In certitudine quidem mortis, quoad horam, exponitur homo suæ nativitatis momento. Infans enim â vitæ ortu usque ad occasum non habet instans certum. Unde sanctus Augustinus: *Cætera*, ait, *nostra bona, & mala incerta sunt; sola mors certa. Quid est quòd dico: verbis Conceptus est puer, fortè nascitur, fortè abortum facit, fortè crescit, forte non crescit.* fortè

August. serm. 21. de verbis Domini.

Apocal. 3. v. 3. *forte senescit, forte non senescit*: Et infrà. *Respice omnia mala, ubicunque forte erit, forte non erit*; *unde bene loquitur Dominus*: *Veniam ad te, tanquam fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te*: Debitum est æternum sine certo termino, qui ergò nativitatem sibi proponit, continuè timori se exponit, quia nullum vitæ instans securum â morte. Unde Psaltes Domino loquens, *In manibus tuis* ait, *sortes meæ*. Nihil autem inconstantius sortibus esse novimus. Hebręus ad hunc locum Prophetæ: *Habet in manibus tuis terminos vitæ meæ*, & septuaginta interpretes, *In manibus tuis tempora mea*. Ergò â nativitate time, & de fine salutis sollicitus esto; quia, sicut hora mortis, sic punctum æternitatis tibi incertum est, & multa sollicitudo bonæ vitæ tibi necessaria est: *Militia enim est vita hominis super terram*. *Varius enim*, ait David, *eventus est belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius*. *Nescit homo, an amore, an odio dignus sit, sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt, ab adolescentiâ suâ*. Ideò maximè laborandum est, ut homo semper sit paratus.

Psal. 30. v. 16.

Iob. 7. v. 1.

2. Reg. 11. v. 25

Eccles. 9. v. 1

Gen. 8. v. 21.

PUNCTUM I.

Considera primò in historiâ Evangelicâ hodiernæ diei tres veritates, quas Dominus, & Salvator noster nos docet: Prima est incertitudo mortis, quæ sine distinctione, & differentia juvenes, & senes rapit, ut doceat nos semper esse paratos, & invigilare diligenter super custodiam nostram, nec fidere juventuti, robori, vel sanitati corporis: *Nescit porrò homo finem suum*. *Memor esto, quoniam mors non tardat*; & Christus in Evangelio: *Estote parati, quia, quâ horâ non putatis, filius hominis veniet?* Altera est admirabilis providentia Dei eripiendo sæpe eos ex unâ familia, qui videbantur utiliores, chariores, & robustiores, sicut hunc juvenem, qui erat unicus filius matris suæ, & â quo debebat expectare suæ senectutis subsidium, & consolationem viduitatis, quod quandoque facit, ut puniat parentes nimiè amãtes, & quasi idololatrantes proprios filios, velut ipsis præripiat occasionem peccatorum, in quæ jam infantes illa ætate feruntur, & ut impediat malum, & separet à talibus animabus electis, quæ si vitâ longiori fruerentur, in malum, & damnationem caderent: *Raptus est*, inquit sapiens, *ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. *Sicut in diebus Noë, ita erit adventus filii hominis, sicut enim erant ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus filii hominis*.

Eccl. 14. v. 12.

Luca 12. v. 40.

Sap. 4. v. 11

Marci 16. v. 37.

Admirare hic stupiditatem, & cœcitatem plurium hominum, qui tam rarò cogitant de hoc ultimo momento, decisivo illorum æternitatis, semper remittentes in crastinum, ut se præparent, nõ potentes sibi persuadere, quòd fortè insperatè deprehensi rapiantur, dum minimè cogitant, non obstante, quòd ipsa experientiâ quotidiè videant ante oculos suos, tot subitaneè, dum minimè cogitant, eripi, & non curent semper esse parati, ut compareant coram judice, & hanc vitã miseram in meliorẽ cõmutent.

PUNCTUM II.

COnfidera tertiam veritatem omni consolatione repletissimam, quam Dominus, & Salvator noster nobis manifestat in Evangelio, dum resuscitans suo tactu hoc corpus, nos assecuerat de resurrectione corporum nostrorum, quæ uno die continget, virtute verbi ejus. Eâ de causâ ait sanctus Ambrosius: *Quòd ferebatur in feretro ligneo: quia spem resurgendi habebat, ferebatur in ligno.* Ex eo, quòd sicut lignum videtur mortuum hyemali tempore; adveniente tamen tempore verno vitam resumit, & incipit vegetare, frondescere, & crescere, ita etiam anima postquam fuerit seperata â corpore, denuò illi reunietur, ut vitam incipiat perfectiorem. Hoc est mysterium, quòd appellat sanctus Paulus, fundamentum spei nostræ, quod ita describit: Ubi prohibet Christianis hanc immoderatam tristitiam propter mortem sibi propinquantem, ex eo quòd mors Christianorum non sit in veritate, nisi somnus dulcis. Ex quo excitabuntur uno die, ut fruantur vitâ, quæ nulli amplius erit subjecta necessitati somni, & ob hanc fidem sepulchra eorum appellantur cemiteria, quod Græcè vult, dormitoria, hoc est tandem, quod repræsentant omnes fere ceremoniæ, quæ observantur in sepulturis defunctorum, dum corpora balsamo condiuntur, dum deferuntur cum facibus, dum aquâ benedictâ asperguntur, dum incensantur, & similia. Quæ omnia futuram resurrectionem denuntiant, *aliâs*, ut inquit Apostolus, *vana est gloria nostra*, adeò monet, *non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Elice hic firmum fidei actum hujus veritatis indubitatæ, & ut magis hâc in historiâ proficias, subjuncta seriò considera.

1. ad Thessal.

1 ad Cor. 15. v. 17.

1. ad Thess. 4. v. 12.

PUNCTUM III.

COnfiderare tres instructiones ex præcedentibus nos oportet. Prima est, discere, quòd sicut una est mors corporalis, quæ corpus terræ mandat in feretro ligneo, ita etiam est una mors spiritualis causata per peccatum, quæ animam sepultam tenet in feretro passionum, & concupiscentiarum suarum: *Quis est iste tumulus tuus, nisi mali mores*, ait sanctus Ambrosius: *tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est: sepulchrum enim patens est guttur eorum, unde verba mortua proferuntur. Quid enim aliud est, nisi quasi in quodam feretro, & hoc superni funeris instrumento jacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor inundat? Hi sunt funeris nostri portitores.* Altera est, quòd sicut illa Mater istius juvenis suis lachrymis meruit resurrectionem Filii sui, qui non poterat pro se orare, ita Ecclesiastici, qui sunt Patres spirituales Christianorum videntes suos filios in peccata cadere, incapaces pro se flere debent ad Deum pro illis suum recursum habere, impendere lachrymas, agere pœnitentiam, & rogare ut illos dignetur convertere, & resuscitare. Tertia tandem est, quòd sicut oportuit Dominum, & Salvatorem nostrum facere miraculum, ut hunc juvenem resuscitaret, & pristinæ vitæ spirituali restitueret,

Amb. lib. in Lucam cap. 5.

ita

t a etiam oportet ut quotidie faciat miracula, ut resuscitet animam peccato mortuam, & restituat vitæ spirituali, miraculum hoc, eò majus est, & admirabiliùs, quò ordo gratię major est, ut infinitè superat totũ ordinem naturæ. Eheu! Quoties similia miracula, ut tuam animam suscitaret, operatus est Christus? Toties, quoties tibi peccatum condonavit, te in suam gratiam recepit, majus fecit miraculum, quàm fecerat, aut facere potuisset iu creatione mille mundorum, idque ex totâ suâ bonitate, & misericordia. *Quam cum vidisset Dominus misericordiâ motus est super eam. dixit illi, noli flere; etsi grave peccatum est, quòd pœnitentiæ lachrymis ipse lavare non possis, fleat pro te Mater Ecclesiæ, quæ pro singulis, tanquam pro unicis filiis, vidua Mater intervenit. Compatitur enim quodam spirituali dolore naturæ, cùm suos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri.* *S. Amb in Lucam supra.*

Gratias referas quàm potes maximas, de tot tib factis favoribus, & gratiis, quas adhuc quotidie facit omnibus peccatoribus, qui se ipsos perdunt, quos vult reducere ad recognitionem suæ obligationis ad viam salutis, sed viâ gratiæ suæ, quæ est velut semen, quo debent vivere & vegetari, & te pro tuo particulari, cùm vita Christiani, & multo magis Ecclesiastici, est vita pretiosissima, non mundana, aut carnalis, sed spiritualis & cœlestis, eo modo ambules in viis spiritûs justitiæ, & bonorum operum, ut â fructibus recognoscaris, consilio Apostoli acquiescens: *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus, bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficiemus.* *ad Gal. 5. & 6. v 25.*



SERMO XLIV.

PRO DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

De parvâ æſtimatione, quam quisque ſui habere debet.

I. Cur Eccleſia in memoriam reducit in noſtris officiis ſubjectum humiliationis.
II. In quo conſiſtit principale punctum humilitatis nobis à Chriſto maximè recommendatum.
III. In quo Eccleſiaſtici debent humilitatem practicare.

Cùm invitatus fueris ad nuptias, vade, & recumbe in noviſſimo loco. Lucæ 14. v. 8.

NE ſcilicet incurras ſuperbiæ notam, quæ definitur, perverſæ celſitudinis appetitus inordinatus, ſive intus lateat in animabus ſive extus, ſive intus lateat in animabus ſive extrinſecus etiam ſe prodat. Porrò ſuperbia quatuor ſpecies conſtituit divus Gregorius: *Quatuor*, inquit, *ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur. Cùm bonũ aut à ſe ipſis habere æſtimant, aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant: aut certe cum jactant ſe habere quod non habent: aut deſpectis cæteris ſingulariter videri appetunt.* Prima ſpecies eſt, quando bonum aliquod ſive animæ, ſive corporis aliquis ſibi attribuit, contra quod vitium declamat Apoſtolus: *Quid autem habes*, ait, *quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Tali ſuperbiâ agitabantur illi de quibus Job: *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Tales fuerunt illi, de quibus Pſalmiſta: *Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt!* Altera ſpecies ſuperbiæ eſt, quâ quis ſe à Deo quidem bona habere videtur, ſuis tamen meritis, ſuæ diligentiæ debita exiſtimet: Contra quos Apoſtolus clamat: *Non*, inquit, *ex vobis, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Et ſapiens: *Ne innitaris pruden-*

1. ad Cor. 4. v. 7.
Cap. 11. v. 12.
Pſal. 10. v. 5.
ad Eph. 2. v. 8.
Proverb. 3.

prudentiæ tuæ. Tertia species est, quando quis sibi attribuit bonum quod non habet, aut majus, aut amplius, quàm habet. Hinc ambiuntur status dignitatis, curæ multæ, contra quos Apocalypsis 3. in persona Episcopi Laodicensis scribitur: *Dicis*, inquit *quòd dives sum, & locupletatus*, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & cœcus, & nudus. Quarta est tandem species, cùm ob bona, quæ habemus, aut cæteros despicimus, aut singulares esse volumus, qualis erat ille Pharisæus, qui se publicano meliorem gloriabatur, & qui repræhenduntur in Evangelio à Christo, quòd quærant primos accubitus, & æstimari ab hominibus. Ad quod vitandum hic informat nos, ut, cùm fuerimus invitati, non quæramus in primo loco recumbere, quod est initium superbiæ, sed in novissimo loco, quod est summæ humilitatis indicium.

Apocal 3. v.12.

PUNCTUM I.

Considera primò, cur toties Ecclesia in decursu totius anni nobis ob oculos ponit subjectum, & materiam humilitatis. Primum est, ut nos excitet ad imitationem Domini, & Salvatoris nostri Christi Jesu, qui nihil habet sibi ita recommendatum, quàm hanc virtutem humilitatis, ut manifestè apparet in multis Evangelii passibus, in quibus quandoque comminatur nobis exclusionem à paradyso, si humiles non fuerimus, & sicut parvuli: *Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Quandoque dat in suo regno præferentiam illi, qui fuerit hic ultimus, & minimus, & specialiter in parabolâ hodiernâ, & illa de publicano, quam ante quinque septimanas tractavimus, quam utramque concludit hâc sententiâ memorabili: *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, & omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Ubi verbum *omnis* benè ponderandum est, ut ostendatur, quòd sit lex generalis, personas omnis generis comprehendens in omni loco, in omni occupatione, occurrentiâ, & occasione, quòd obligati sint omnes, & superiores, & inferiores, quilibet in suo gradu servare humilitatem, *qui major est vestrum*, inquit, *erit vester minister. Erunt novissimi primi. Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cœlorum.* Verùm quia humilitas plura habet officia.

Matth. 18.

Matth. 23. v.11.

20. v. 16.

10. v. 16.

PUNCTUM II.

Considera secundò, in quo præcipuè consistat humilitas, quam hodiernâ die, Dominus & Salvator noster vult nobis recommendatam, consistit primò in eo, ut nos minùs æstimemus, quàm omnes alios, & studeamus nos nostro judicio omnibus postponere, & desiderare, & procurare in omnibus, & per omnia semper nostrum proximum nobis ipsis præferre, illum intueri interius velut nostrum superiorem, illi deferre exteriùs honorem, & reverentiam requisitam juxta cujusque statum, Concilio Apostoli acquiescentes, *In humilitate superiores invicem arbitrantes*, & Principis Apostolorum. *Subjecti estote omni Creaturæ propter Deum.* Illo modo omnes sancti egerunt Apostolus se vocat

1. Petr 2. v.13.

primum

primum omnium peccatorum, ait Augustinus, minimum Christianorum, novissimum Apostolorum, & indignum nomine Apostoli: *Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Id est, quia omnibus pejor sum,* inquit Augustinus. *Mihi omnium sanctorum minima data est gratia hæc: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Sanctus Fraucifcus dicebat se maximum peccatorem omnium, qui in mundo unquam fuerant. Sancta Catharina Senensis, suis peccatis attribuebat omnia flagella quæ Deus immittebat. Ratio hujus sentimenti, & judicii, quod de nobis ipsis habere debemus, ait sanctus Bernardus est, quòd, cùm nō sciamus, in quâ simus apud Deum æstimatione, semper est justiùs, & securiùs, ultimum accipere locum, unde postea faciat nos ascendere, timendo, ne, si honorabiliorem occupaverimus locum, debeamus cum rubore, & verecundiâ descendere ad novissimum locum. Quamobrem, inquit magnus ille sanctus, Noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni, noli uni, Dico, soli te comparare, quia non scimus: an non ille ipse, quem judicamus nobis inferiorem, non futurus sit suo tempore divinæ gratiæ adjutorio, & assistentiâ melior, & major, quâm nos, & si non fortè jam de facto sit in voluntate,, & intentione Dei? *Sic in animo,* inquit idem sanctus, *non est planè timenda quantalibet humiliato, horrenda autem, nimiumq; pavenda, vel minimè temerè præsumpta erectio, propterea non mediocrem, vel non penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos Dominus voluit: sed recumbe,* inquit, *in novissimo loco, ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teq; nemini, non dico præponas, sed ne comparare præsumas.* Et hæc est doctrina Salvatoris ut quilibet semper in novissimo se constituens loco, se nemini preferat, sed omnibus postponat.

1. ad Tim. 1. v. 15. Serm. 9 de verbis Apost. ad Eph. 3. v. 8. 1. ad Cor. 15. v. 9. Bern. serm. 37. in cant.

PUNCTUM III.

CONsidera tertiò, in quibus Ecclesiastici possint, & debent hosce gradus humilitatis practicare? & quibus in occasionibus hanc parvam sui testificari æstimationem? Primò in omnibus societatibus, conventibus, & congregationibus publicis, hos debent ostendere, & practicare gradus humilitatis, non affectantes loca honorabiliora, eorum charactere, & dignitate eos ad hoc non obligante, non disputent, nec unquam conquerantur de mundanis præferentiis, præferentes omnes alios in interiori affectu sibi ipsis, nisi necessitate cogantur, tenere primum gradum, & alios antecedere. Secundò, in tribunali sacramentali, se omnibus suis pœnitentibus postponant, illos se multò meliores arbitrantes, ducti consilio ritualis, illos ad hoc inducentis: *Tum verò intimè, atq; in corde suo humiliter, ita de se sentiat, ut pœnitentes, quorum confessiones pœnit. audit, se meliores putet.* Tertiò, in conversationibus, cum confratribus, illis loquantur semper magno cum respectu, & singulari deferentiâ, in omni occasione illis cedentes, in quocunque existant gradu eminentiæ in Ecclesiâ. Quartò, in functio-

Rit. in Rub. de sacram.

functionibus Ecclesiasticis referant ad Deum totum successum quemcunque habere potuerint, se semper considerantes, quidquid tandem fecerint, ut vilia, & contemnenda instrumenta, & servos inutiles, timentes sine intermissione, dum successus non favet, nec ut oportet suum intentum consequuntur, totum provenire propter sua peccata, quæ horum malorum successuum causa sunt, nunquam loquentes de aliorum ministerio cum contemptu; verùm magis illos summè æstimantes, & Ecclesiæ multò utiliores esse, quàm se. Verificantes in se verbum Evangelii: *Cùm feceritis omnia præcepta vobis: Dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Et verbum Apostoli: *Nemini dantes ullam offensionem.* Quintò. In omni eo, in quo seculares eorum eguerint personâ, se faciles accessu exhibeant, excipientes eos gratiosè, & humiliter, parvos æquè ac magnos, pauperes æquè ac divites, infirmos æquè ac sanos, omnibus exhibentes omne obsequium, suo ministerio & functioni conveniens nulli in nullo detrahentes. In Ordinibus Ecclesiasticis se humiliter continentes intra gradû, quem Deus, & Ecclesia illis communicavit, non aspirent ad altiorem gradûm, nisi voce Patrisfamiliâs auditâ, eos obligante ulterius ascendere verbis Evangelii: *Amice, ascende superius.* Tandem in omni occurrentiâ, & occasione, quæ se præsentare poterit, se humiliandi, delectentur singulariter, ac sibi ipsis complaceant, infimum semper tenere locum, vim, & energiam verbi Evangelii sequentes: *Recumbe in novissimo loco:* quod significat sibi complacere, & singulariter in illo quietari sine anxietate, vel desiderio altioris, ita ut verificetur verbum in illis Psalmistæ: *Elegi, abjectus esse in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Vis scire media has aggrediendi & ingrediendi praxes, habeas continuò memoriam tuorû peccatorum ob oculos præsentem, considera tuam fragilitatem, tuam ad malum inclinationem, intuere virtutes, in tuo proximo relucentes, quibus cares; vide super omnia, & intuere sine intermissione exemplum filii Dei, ejus vitam, & modum vivendi, continuò ruminans, & meditans, & cum sancto Paulo, si potes, omnes mensuras ejus humilitatis demetire longitudinem, quæ incipit ab initio usque ad finem vitæ ejus, latitudinem, relucentem in omnibus suis actionibus, profunditatē descendentem usq; ad abyssos, inde nos omnes extrahentem, & ascendentem usque ad supremam coronâ in cœlis, eò omnes, sui imitatores invitantem, & deducentem. Ad hoc invitat Apostolus, dum ita vult Christum habitare, per fidem in cordibus nostris; *In charitate,* inquit, *radicati, & fundati ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* In quo homo se exercere continuò debet, & humiliare eâ cum Augustino inductus opinione, *quod nullū sit peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, â quo factus est homo.* Ideò aliquis docente sancto Thomâ, *absq; falsitate, potest se credere, & pronunciare omnium viliorem, secundùm defectus occultos, quos in se recognoscit, & dona Dei, quæ in aliis latent.*

Luca 17, v. 10. — 2. ad Cor. 6. — Psal. 83. v. 11. — ad Eph. 3. v. 16. — Aug. hom. 23. & 50. hom. — S. Thom. 22. quæst. 161. art. 6. ad 1.

SERMO XLV.

PRO DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

De amore Ecclesiasticorum erga Deum:

I. Motiva quæ nos obligant ad amorem Dei.
II. Quomodo nos Deum amare oporteat?
III. In quo possent Ecclesiastici testificari suum amorem erga Deum.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Matth. 22. v. 37.

HIc exigitur dilectio Dei super omnia, dilectio Dei perfecta, quæ haberi non potest sine perfecta cognitione Dei, & in se, & in ordine ad nos. Si considerare velimus collationem beneficiorum Dei, consideranda etiam est capacitas vasis illa recipientis. Unde Divus Augustinus: *Quia non valet ejus beatitudinis particeps existere aliquis, nisi per intelligentiam, quæ quantò magis intelligitur, tantò plenius habetur. Fecit Deus rationalem Creaturam, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur.* q. d. Deus tantùm gratiæ dat alicui animæ, quantùm illa Deum cognoscit, & amat. Si in Joanne reperiamus cognitionem perfectam, reperiemus sine dubio, & amorem perfectum, Reperimus autem in Joanne veram Dei

Aug. libr. de dilig. Deo cap. 2.

cognitionem, quia nemini Deus tam perfectam sui cognitionem dedit, ut Joanni, Deus loquens Aaron, & Mariæ sorori Moysis de ipso Moyse sic ait: *si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar illi. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ei ad os loquor, & palam, & non per ænigmata, & per figuras Dominum videt.* Si tale Deus perhibet testimonium de Moyse, quale perhibebit de Joanne; cognitio Dei quippe in Joanne, & sublimior, & familiarior, sicut de se testatus fuit: *Quod fuit,* inquit, *ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus (id est perfectè cognovimus) & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ &c.* Plurimi Deum cognoverunt, sed non ita perfectè, ut Joannes, qui

Num. 12. v. 6.

1 Iohan. 1.

qui mysteriorum divinitatis perfectissimam habuit cognitionem. Unde de illo dicitur apud Prophetā: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad Lybanum, & tulit medullam Cedri, summitatem frondium ejus avulsit, & transportavit eam in terram Chananæam.* Ad quod alludens sanctus Hieronymus: *Virginitatis*, inquit, *alis cucurrit ad dominum, qui in secreta divinæ se nativitatis immergens, ausus est dicere, quod ventura secula nesciebant: In principio erat verbum.* Ergò Joannes habuit perfectissimam Dei cognitionem, ergò & amorem perfectissimum, quem continuò suis in omnibus exhortationibus inculcavit, Dicens: *præceptum Domini est*, si hoc fiat, hoc satis est.

Ezech. 17. v. 3.

Hieron. lib. 1. contra Iovin.

PUNCTUM I.

CONsidera primò, motiva, quæ nos obligant ad perfectum Dei amorem. Sanctus Bernardus hæc comprehendit sex verbis, dum ait, Quòd Deum amare debeamus propter seipsum, & amare propter nosipsos. *Diligamus Deū propter se, diligamus propter nos.* Propter se, quia nihil est reperibile dignius, & quod magis amari debeat propter nos, ratione bonorum, & beneficiorum, quæ ab eo recipimus, propter se, hoc est dicere, propter suam majestatem infinitam, propter supremam ejus potentiam, propter bonitatē ejus essentialem, propter ejus immensam sanctitatem, & propter omnia alia attributa, quæ illum summè reddunt amabilem: Propter nos, hoc est dicere, propter gratias, favores, & benedictiones quas quotidie nobis communicat. Fac calculationem ex te omnium bonorum, & testificationum, quas tibi sui amoris testificatus est, quæ tibi dona communicaverit, quas benedictiones spirituales, & corporales fuerit elargitus, quos favores & gratias præstiterit, & è converso tua calcules servitia, quæ illi præstitisti, vel reddidisti? si vilissimus, & abjectissimus mundi homuncio tibi vel centessimam partem hujusmodi beneficiorum, & bonorum exhibuisset majorē recognitionis, & grati animi testificationem sine comparatione illi ostenderes, quàm ipsi Deo præstas & ostendis. Estne possibile; quòd minus recognoscamus gratias Dei, quâm gratias hominis; & quòd propter exilem spem, propter vile delineamentum, propter fugibilem voluptatē, quæ nobis offertur, amamus Creaturas usq; ad oblivionem nostri ipsius, & propter Deum tam bonum, tam magnum, tam potentem, tam pulchrum, tam liberalem, & in omnibus tam amabilem, non sentimus nisi frigiditatem, & indifferentiam nullo tracti ad Deum amandum affectu, quasi nihil in eo inveniretur amore dignum? Doleas, & ex imo cordis doleas, & pœniteas, de tempore tam malè impenso amori creaturarum; audi sanctum Bernardum: *Vultis à me audire,* inquit, *quare, & quomodo diligendus sit Deus? Causa diligendi Deum, Deus est, modus, sine modo diligere, propter seipsum diligendus, quia nihil fructuosius diligi potest.* *Factus est eis*, inquit Propheta, *Salvator in omni tribulatione eorum, in dilectione sua ipse redemit eos, & portavit, & elevavit eos cunctis diebus seculi.*

Bern. tract. de dilig. Deo.

Esa. 63. v. 8.

Ioan 3 v.16 Et ipſe Chriſtus in Evangelio: *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Et nos quid huic rependere amori, amori non ſatisfit, niſi amore. Ideò ad hoc hortatur Apoſtolus: *Eſtote*, inquit, *imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationis hoſtiam.* (ad Eph. 5. v. 1.)

PUNCTUM II.

OPortet amare, ait Salvator noſter, *ex toto corde*, & omni animi extenſione, ac omnium affectionum intimâ, & maximâ applicatione, habendo maximam, & ſublimiſſimam ejus divinæ majeſtatis æſtimationem, honorando, adorando, & præferendo omni Creaturæ, aut cuicunque excogitabili, nobis complacendo, in ejus magnitudine, & ſublimitate, illum laudando, & ſummas illi gratias de illis referendo, velut de noſtro proprio bono. *Ex tota mente.* Hoc eſt, ex omnibus viribus, facultatibus, & potentiis, referentes omnes actiones, locutiones, cogitationes in ejus gloriam, laudem, & honorem. *Ex totâ animâ.* Hoc eſt totaliter illi adhærendo unione intimâ, & perfectiſſimâ, ac tali, quâ major non ſit dabilis. Ecce quod operatur charitas in animâ, impendit exercitiis amoris totum cor, animum totum, os, & manus, quæ ſunt tres partes referibiles ad tria præcepta primæ tabulæ perfectiſſimè obſervanda: Cor ad illũ amandum, os ad glorificandum, manus ad bene ob ejus amorem operandum. Verùm, quia omnes hæ amoris teſtificationes ſunt communes obligationes concernentes omnes Chriſtianos.

PUNCTUM III.

COnſidera tertiò, in quo particulariter, & ſpecialiter Eccleſiaſtici reddere debeant teſtificationem ſui amoris in Deum ſpecialioris. Prima, & principalis probatio, ac teſtificatio noſtri erga Deum amoris, eſt ſuſcipere curam ſalutis proximi: *Petre*, inquit, Salvator, *amas me? paſce oves meas.* Poterat illi dicere inquit S. Chryſoſtom. Petre ſi amas me, exerceas te in jejuniniis, auſteritatibus vitæ, tranſigas noctes in vigiliis, protegas oppreſſos, monſtra te Patrem orphanorũ, ſis viduis conſolatio, deſolatis refugium, omnibus omnia factus, nihil de his omnibus loquitur, verùm ſolùm dicit, *paſce oves meas*, ac ſi dicere vellet, vis dare; & oſtendere probam infallibilem tui amoris in me: æſtimes animas, ut eas æſtimavi, eas requiras, ut requiſivi, curam habeas gregis commiſſi, quem redemi, non auro, vel argento, aut re ſimili; ſed propriâ morte, propria mei ſanguinis uſque ad ultimam guttam effuſione. *Paſce oves meas.* Quod illi præcipit, & replicat vice triplici, ut oſtendat, quomodo oporteat paſcere oves corde, ore, & operatione; corde amando, ore prædicando, orando, conſolando, & alias verbi functiones exhibendo; operatione, illis aſſiſtendo, pauperibus ſubveniendo, reconciliando inimicos, contrariantes, & rixantes quietando, viſitando infirmos, carceribus incluſos, in hoſpitalibus detentos, & ſimilia exercendo charitatis proximi opera; Quæ ſanctus Chryſoſtomus ſimilibus pene verbis expreſſit: *Quodnam hoc uno majus*

commo-

Chrys. lib. 2. de Sacerd. cap. 5.

commodum existat, quàm si ea nos facta præstare constiterit, quæ quidem dilectionis charitatisq; in Christum exempla esse, Christus nos docuit? Hic enim cum Apostolorum Principe verba faciens: Petre, amas me? atq; illo id confitente adjungit, si amas me, pasce oves meas. Interrogat discipulum Magister, num ab eo amaretur? non, ut id ipse edoceatur, verùm, nos ut ipse doceat, quantæ sibi sit curæ gregis hujus præfectura. Et paulò pòst: *Illi quidem licebat hujusmodi verbis Petrum affari. Si me amas Petre! jejunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter, injuria pressis patrocinare, orphanis Patrem te exhibe, viduæ item te maritorum loco habeant. Nunc verò prætermissis omnibus his. Quidnam ille ait? Pasce oves meas.* Vide nunc, quomodo Deum ames? quoties de die illius recorderis? Quoties de illo loqueris cum debito honore, respectu, & reverentiâ? Quid pro illo facias? Verùm si curam susceperis animarum, sive in qualitate Pastoris, Vicarii, Confessarii, vel Cathechistæ, quem amorem sentis te pro illis habere? Quam suscipis illarum curam, quam illis assistentiam, vel obsequium reddis? Hic est lapis Lydius, & nota infallibilis ad recognoscendum infallibiliter Christi, & Dei in nobis amorem: *In hoc cognovimus*, ait sanctus Joannes, *charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ad quod, ut fiat veraciter, hortatur idem omnes: *Filioli mei, non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate.* Pœniteas nunc, & verè pœniteas de tot in hoc genere commissis à te erroribus, culpis, & delictis, constitutas te in statu de cætero vitæ ducendæ correspondentis sanctitati tuæ vocationis, gratiis dandis, & receptis in hoc mundo. & remunerationibus, quæ tibi promittuntur in cœlo; Ad hoc te Apostolus hortatur per curam, quam habere te oportet, tuæ salutis. *Obsecro vos in Domino, ut dignè ambuletis, vocatione quâ vocati estis.*

1. Ioan. 13. v. 16.

Ibid. v. 18.

ad Eph. 4. v. 1.



SERMO XLVI.

PRO DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Quomodo adjuvari ab aliis debemus; eosque pariter adjuvare in viá ſpirituali.

I. Prima inſtructio à Domino data in Evangelio.
II. Tres aliæ inſtructiones ex eodem Evangelio eliciendæ.
III. Reflexio ad dignoſcendum noſtrum in virtute profectum.

Et ecce offerebant illi paralyticum jacentem in lecto.
Matth. 9. v. 2.

Licet inter omnes tribulationes, quæ homini contingere in hac vitâ poſſunt, nulla major, aut naturæ magis contrarior, quàm ſit morbus; Optandus tamen eſt quandoq;, idq; ob triplicem rationem; tria enim ſunt in mundo, quæ peccato incentivum præbent, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, hunc triplicem Cerberum reſcindit morbus, concupiſcentiam quidem carnis; quid enim in carnem morbidam concupiſcentia? ubi emorbida caro potiùs mortem ſapiat, quàm vitam? Conſueverant Ægyptii mortis effigiem convivantibus oſtendere ſingulis dicentes: Hoc intuens epulare. Quis ſeipſum intuens languidum non majori terrore afficiatur? Dicam amplius, adamavit aliquis formoſſimam aliquam mulierem, ſed videat eam languidam, & moribundam, audiat judicium ejus, nonne pavebit? *Pro eo*, inquit Propheta, *quòd elevatæ ſint filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum, ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus ſuis compoſito greſſu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas &c. & erit pro ſuávi odore fœtor, & pro Zonâ funiculus, & pro criſpanti crine, calvitium, & pro faſciâ pectorali cilicium.* Feruntauctores, & maximè ſanctus Marcellus, in vita ſancti Petri, noluiſſe Petrum, filiam ſuam Petronillam à febri liberare, cùm tamen ceteros

Eſa. 3. v. 16. & ſeq.

cæteros solâ umbrâ sanaret; quia noverat inquit, morbum, illi multum prodesse, ut virginitatem probaret. Jugularet morbus concupiscentiam oculorum; qui enim morte dejectus, non dicat cum patientissio Job? *Omnia contemnens, nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Et cum Psalmista, *homo cùm introierit, non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria ejus.* Et cum Esau: *Ecce morior, quid mihi primogenita proderunt.* Jugulat & morbus superbiam vitæ: De luto enim nostro nos admonet, quia sumus terræ cinis: Comparatus sum, inquit Job, luto, & assimilatus sum favillæ, & cineri. Ita morbi, & infirmitates dantur hominibus ad salutem, & emendationem.

Iob. 1. v. 21. Psal. 48. v. 18. Genes 25. v. 23.

PUNCTUM I.

CONsidera quatuor excellentissimas instructiones nobis in Evangelio hodierno signatas, in circumstantiis patrati miraculi, quas ad longum describit sanctus Lucas. Prima est, quòd ad faciendum fructum in vitâ spirituali necessarium est, habere aliquam personam, quæ nobis reddat idem obsequiū quod hodiè paralytico redditur, ut Domino, & Salvatori nostro præsentetur, hoc est, habere directorem fidelem, & illuminatum, qui nos suis precibus & consiliis adjuvet, qui nos manu ducat, qui nobis innotescere faciat omnes divinas voluntates, omnes fallacias, & retia Diaboli nobis detegens: *Ecce*, inquit scriptura, *viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus.* Hoc est, consilium sancti Ambrosii, occasione hujus paralytici, vultis, inquit ille magnus sanctus, impedire fraudulentias, & insultus communes inimici, & facere in virtute ante omnia progressum, eligite hominem sanctum, discretum, qui sit capax vos deducere ad finem, ad quem vos vocant divinæ, & æternæ præordinationes, animam tuam, ut præstantissimum, quod habes, depositum, ejus committite manibus, & directioni. Eâ de causa sapientia æterna constituit gratiam directionis in Ecclesiâ suâ, quæ specialiter datur Ecclesiasticis, qui directionem habent animarum, quæque tenet gradum suum inter gratias gratis datas, cujus usus, & profectus non respicit eum, qui illa gratificatus est, & potitur, sed fructum, & emolumentum proximi, ex eo quòd Deus tali confidit aliorum directionem, non tamen suiipsius, ut illum continuò in statu subjectionis, & dependentiæ contineat, & nō gloriet. egens ab alio adjuvari, in quo ipse alium adjuvat. *Primùm omnium*, inquit S. Ambrosius, *quod ante diximus, unusquisq; æger petendæ salutis precatores debet adhibere, per quos vitæ nostræ compago resoluta, actuumq; nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformentur. Sunt igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem, ad superiora erigant, quorum rursus adminiculis, & attollere, & humiliare se facilis ante Iesum locetur divino videri dignus aspectu.*

Luc. 5. v. 18

Amb. in Lucam.

PUNCTUM II.

ALtera instructio est, quòd facto firmo proposito, vitæ in melius mutandæ oporteat omnia obstacula,

quæ

quæ nobis possunt obesse ad modum horum hominum, qui rupto tecto domûs, paralyticum transportârunt, ut ad pedes Salvatoris submitterent, hoc est, facere exulare omnes respectus humanos, omnes mundanas considerationes, intricationes, & fallacias mundi, passiones, inordinatas, tepiditates, curiositates, vanitates, & similia. Tertia est, se purificare ab omnibus peccatis, generali confessione factâ in principio suæ conversionis, & concipere firmas ab omni peccato aversiones, qualicunque parvo, aut magno, & ab omnibus occasionibus, & incidentiis, quæ nos possunt in illud inducere. Ita loquitur Dominus, & Salvator noster, antequam perfectè sanet paralyticum; illud dicens, quòd peccata ejus sint illi dimissa, *Remittuntur tibi peccata tua.* Quarta est præcipere pravæ inclinationi nostræ, & universis passionibus, quæ prædominantur in nobis, ut subsint directioni rationis rectæ, mortificationi subjaceant, & dirigantur eo modo ad bonum, quo ante nos inducebant, & dirigebant ad malum, quod nobis repræsentatur per lectum, quem præcipit Deus, ut tollat, & vadat in domum suam, quod erat consilium sancti Doctoris, & directoris, & figura ordinatæ directionis passionum inordinatarum in obsequium rationis rectæ, reductarum: *surge, tolle lectum tuum, & ambula.* *Unicuiq; porrò*, juxta Apostolum, *datur manifestatio spiritus ad utilitatem, alii quidem datur per spiritum sermo scientiæ, alii discretio spirituum.* Sic isti deferentes paralyticum *non invenientes, quâ parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante ipsum*, inducti haud dubio instinctu spiritus, quo inducebantur ferre auxilium misero paralytico. Variis enim modis proximus est dirigendus, ideò dicit scriptura, *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi*, nempe adjutus gratiâ Dei, & boni directoris circumspectione, & advertentiâ.

1. ad Cor. 12. v. 7.

Luca 5.

Gen. 4. v. 7.

PUNCTUM III.

Vide nunc, & animadverte, quantum in virtutibus profeceris, quæ sint obstacula, & impedimenta tibi plus molestiæ, difficultatis, & repugnantiæ adferentia, illa ut superes, ad progressum majorem faciendum in virtutibus? Qualem sentis in te aversionem â peccatis, & occasionibus periculosis? Quod imperium exerces in tuas passiones; qualem æstimationem, & opinionem habes de tui Magistri directione? submisistine te unquam illi, ut oportet? Habesne personam aliquam, cui cor tuum omni confidentiâ, & libertate aperias, sequerisne ejus consilia, & monitiones? Quomodo alios diriges, juxta tuæ obligationis exigentiam, si nunquã fueris ipse ab alio directus? Quâ viâ eos deduces? Ignorasne scripturam, maledictionem illi comminari, qui solus est; quia si ceciderit, non habet, qui eum elevet? Noli ergò ulteriùs dicere, non egeo alterius adjutorio, sufficienti ipse instructus sum scientiâ, discretione sufficienti præventus sum, ut me dirigam,

1. ad Cor. 1. v. 5. rigam, verùm te magis ex toto corde submittas consilio, dejectioni; & moderationi alicujus personæ, quam à Deo petieris. Hoc erit medium utilissimum attrahendi gratias, & benedictiones è cœlo, quæ dantur, & communicantur specialiter humilibus, & parvulis, & quòd nulla tibi gratia deest, sive ex illis, quæ sunt ad salutem necessariæ, sive ex illis, quæ sunt utiles, ut tibi, & aliis proficias, ut loquitur Apostolus hodierna die in suâ Epistolâ: *In omnibus divites facti estis, ita ut nihil vobis desit in ullâ gratiâ.* Nec nobis deerit ulla gratiâ, si sanctorum adhærentes vestigiis, illorum exemplo & consilio dirigamur. *Nisi quisq;*, inquit Augustinus, *adjuvetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat. Est autem justum consilium, ut qui se à potentiori adjuvari vult, adjuvet & inferiorem, in quo est ipse potentior.* Et sapiens: *Melius est, duos esse simul, quâm unum habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* Et alibi: *nec dicas*, inquit, *sufficiens mihi sum.*

August. serm Domini 3.

Eccl. 4. v. 9
Ibid 10.
v. 26.

SERMO XLVII.

PRO DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

De malo & infoelicitate Presbyterorum, qui indignè ad Altare accedunt.

I. Ad Ecclesiasticos propriè Salvator noster dirigit verba hujus Parabolæ; Amice.

II. Et illos redarguit, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?

III. Punitio à Deo inflicta illis, qui accedunt ad Altare, sine hac veste nuptiali.

Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?
Matth. 22. v. 12.

MIrum videtur obmutuisse, cùm in promptu videatur responsio facilis: Domine, veni talis, qualis eram, dum me vocarent, ducentes, etiam pauperes invitari. Absque dubio autem est legitimam fuisse reprehensionem, adeoque justam, ut non habuerit cui ille quod reponeret ad sui defensionem, primò quidem, quia Rex non petebat ab eo a vestem dispare facultatibus ejus, sed ut illam saltem mundam haberet, quod nuptias decet. Sic Deus à nobis exigit cordis puritatem, juxta verbum sapientis: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit Regem amicum.* Oportet ergò quærere cordis munditiam, quia, cùm peccata admissa intollerabiliter maculent animam, turpem, fœtidam, & abominabilem, & sibimet ipsi odiosam efficiant, si quæ lateant adhuc, nondum ejecta per sacramentalem confessionem, si puritatem amamus, nos statim curabimus emundare, quia imò etsi solùm venialia sint, minimè patiemur nos, vel ad momentum conspersos hisce pulveribus inveniri, ne quid minimum sit, quod possit oculis sponsi purissimi displicere. Mirum est, quantum aliqui timuerint has maculas, quantoque studio nitorem conscientiæ procuraverint. Sanctus Ludovicus missarum solemniis nunquam voluit interesse, nisi peccata confessus, & Sacerdos factus ferè quotidie confessione præmissâ, operari divina non intermittebat. Beatus Rogerius perfectissima contritione, & intensissimo cordis dolore obtinuit à Domino plenariam omnium peccatorem remissionem, confitebatur tamen sæpissimè, idque magnâ cordis amaritudine, septies, vel octies, die uno: Ita illi amabant cordis puritatem, & munditiam vestis nuptialis, ne incurrerent reprehensionem, & reprobationem.

Prov. 22. v. 11.

Sed: in vita ejus. Cap. 6.

Annal. Fran. Tom. 2 An. 1287. n. 9.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, Etsi omnes Christiani gloriari possint, ob nimium excessum divinæ bonitatis, dum sunt in gratiâ, se esse amicos Dei. Hæc nihilominus qualitas amici est magis propria, & particularior Ecclesiasticis, prout Salvator noster ipse testatur, ipsis loquens in personis suorum Apostolorum, ait, *jam non dicam vos servos, sed amicos.* Et alibi, *Dico vobis, amicis meis. Ita*, ait Augustinus, *nomen constituit amici, ut auferat servi, ut non in uno utrumq; maneat, sed ut alterum, altero decedente succedat.* Ratio, ob quam hoc honarat titulo illos, amici, est, quòd pro ipsis fecerit ultra omne illud, quod fieri poterit, vel imaginari pro unâ personâ, quam quis amat: Non solùm, quando illos creavit, redemit, baptizavit, sicut reliquos Christianos, verùm magis, quando illos elegit ex omnibus, ut illis daret accessum ad omnes, ut forent mediatores, & legati populi ad Deum, quando illos misit tantâ cum potestate, quam â suo Patre receperat, quando illis communicavit suorum secretissimorum mysteriorum notitiam, quando ille seipsis communicat intimè quotidie in sacratissimo sacrificio, in orationibus, & quando tandem illis credidit sponsæ

S. August. tract. 93. in Ioan.

Ioan. 15. v 16. suæ curam, ut ipse testatur; *Omnia enim,* inquit, *cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri; ego elegi vos de mundo, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Luca 6. v. 10. Et ibidem: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et alibi: *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis. Servus nescit, quid faciat Dominus ejus.*

Referas nunc gratias Salvatori nostro de titulo ita honorabili amici, quem tibi meruit, verùm animadverte, & seriò considera, an huic correspondeas amori? Hoc in duobus patescere facies. Primò, si ejus æstimes personam, & voluntates adimplere ad labores. Secundò, si ejus diligas sponsam. Vide ergò, vel transeuuter quem pro eo foveas amores, & quam de Ecclesiâ habeas æstimationem: Eheu! ait sanctus Bern. lib. 3. de consol. Bernardus, *non sunt omnes amici sponsæ, qui hodie sunt sponsi Ecclesiæ, O miserandam sponsam, talibus creditam paranymphis, qui assignata cultui ejus, proprio retinere quæstui non verentur, non amici profectò sponsi, sed æmuli sunt.* Considera & intuere, quomodo maxima pars beneficiariorum utuntur bonis, quæ illis hæc sponsa dat, & communicat; alii ut se ditent, alii ut se in luxu, & superfluitatibus ostentent; alii ut voluptatibus suis, & malis appetitibus indulgeant; Bern. serm. ad Clerum in Concil. congreg. Remen. *Non est hoc ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instruere, sed prostituere.*

PUNCTUM II.

Considera secundò, redargutionem, seu reprehensionem, quam Dominus, & Salvator noster hodiernâ die illi adhibet, & objicit, qui intraverat aulam convivii nuptialis, sine veste nuptiali, & hanc applica tibi ipsi: *Amice.* Ita tibi loquitur, *mi amice*, cui tot communicavi gratias, propter quem tam multa passus sum, & cui credidi omnes meos thesauros: *quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Non loquor de illâ veste inocentiæ, quam te oportuerat habere, dum statum ingressus es Ecclesiasticum, sed solùm de accessibus, quos quotidie frequentas ad sanctum Altare, Quomodo audes accedere, sine veste nuptiali? Hoc est, sine vitæ innocentiâ, sine puritate intentionis, sine devotione actuali, & sine aliis necessariis præparationibus: Verùm magis, sæpe cum adhæsione ad peccata, cum ad creaturas, quasi innatâ agglutinatione, cum odio, & invidia, & cordis zelotypiâ, cùm imaginatione omnibus plenâ phantasmatibus, indignis, & sanctitate loci, & ministerii dignitate. Tantam habes exterioris hominis curam, & sollicitudinem tuorum vestimentorum, & ornamentorum, ut omnia conveniant, sint debitè disposita, nitita, ut nihil reperiatur, quod vel minime oculos intuentium offendat, & negligis principale, quod est interior hominis constitutio, & concinna morum convenientia, & proportio ad regulas æternales, & legem spiritûs. Non consideras, quid in tuâ lateat animâ, si quidpiam ibi reperiatur, quod Dei oculis displicere queat. Hipocryta es, munda priùs, quod intus est calicis, ut fiat id, quod de foris est, mundum.

Quid tibi videtur, an non ad te hæc diriguntur verba? An non quandoque in hoc infœlici statu constitutus, celebras? Treme, & pertimesce, si te in eo cognoveris culpabilem. Et ut in te plus excites ab hoc aversionis, sequentia seriò considera.

PUNCTUM III.

Considera tertiò, severas punitiones, quas Deus infligit his, qui ad Altare tali in statu accedere non verentur. *Ligatis manibus, & pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* Scis, quales hæ sint tenebræ? Imagineris nunc Presbyterum in inferno constitutum, animadverte horribilia tormenta, quæ oportet ipsum pati: audi lectionem, quam tibi facit; In medio flammarum constitutus, tange paululũ ignem, quo consumitur. Et quisquis tandem fueris, time, & pertimesce in intuitu harum pœnarum: *Ibi erit fletus, & stridor* Lucæ 16. v. 24. *dentium: Crucior in hâc flammâ. Exiguo conceditur misericordia, potentes verò potenter tormenta patientur.* Sap. 6. v. 7. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Eheu!* si inter illos, qui bene vocati sunt, tam pauci sint electi, ex eo quòd non correspondeant excellentiæ suæ vocationis. *Quid erit*, ait sanctus Bernardus, *de illis, qui non sunt vocati? Quid si non vocati?* Humilieris ergò, ad sonum hujus formidabilis vocis, & conare de cætero ita vivere, ut non obliges divinam bonitatem, in te suæ gratiæ miraculum patrare. Renunties, Consilio acquiescens Apostoli, in hodiernâ Epistolâ, omnibus tuis inclinationibus inordinatis, omnibus tuæ vitæ transactis de ordinationibus, vitiis, & peccatis; *induas novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in sanctitate, veritate, & justitiâ. Renovamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ, & inducite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis.* ad Eph. 4. v. 23.



SER-

SERMO XLVIII.

PRO DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

De induratione Ecclesiasticorum.

I. Salvator noster trahit homines ad pœnitentiam variis modis.
II. Sed Ecclesiastici, non minùs ac Judæi, remanent obstinati, omnibus ejus gratiis & vocationibus.
III. Scaturigines, & fontes hujus indurationis.

Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.
Joan. 4. v. 48.

DUrius huic Regulo respondet Dominus, Centurioni vero benignius & Jayro similiter îdēpulsanti; Imò quid amplius ut descenderet in domū suam, manumque super filiam jam defunctam imponeret. Fecit ita Dominus, docens non honorandum quempiam, quia dives est, aut aspernandum alterum, quia pauper, cavendumque ab officio adorandi, & adulandi divites, & vanas personas, quæ solent splendore vestium quandam apud abjectas animas sibi conciliare majestatem sic se permittit mundus hoc fuco decipi, ut homines deformes, ignobiles, & qui domi arctæ fortunæ sunt, appareant gloriosi. Hunc errorem non ignoravit, nec dissimulavit Seneca, *Quemadmodum*, inquit, *stultus est, qui equum empturus ipsum non inspici, sed stratum ejus, ac frenos, sic & stultissimus est, qui hominem ex conditione circumdatæ vestis æstima.* Epist. 37. Graviter haud stultitiam, & iniquum judicium perstringit sanctus Jacobus: *si intraverit in Conventum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclarâ; & dixerit is ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmet ipsos, & facti estis judices cogitationum iniquarum.* Jacob. 2. v. 1. Absque dubio iniquissimarum, contra & Christi doctinam, & exemplum.

PUNCTUM I.

COnsidera primò, cùm Dominus, & Salvator noster ex fine in mundum venerit, ut homines ad obedientiam traheret, alliceret, & moveret, variis illos attraxit, ac permovit modis, alios interioribus instinctibus, & monitionibus, alios secretis inspirationibus, alios prædicationibus, & exhortationibus, alios prodigiis, & miraculis, alios denique tribulationibus, & afflictionibus temporalibus & spiritualibus, alios aliis modis allexit. Ita hodiernâ die in Evangelio hunc Regulum voluit allicere, ejus filio immittendo periculosam infirmitatem, ut occasione sanationis febris filii, occasionem haberet Patrem sanandi à suâ infidelitate. Illo medio utebatur ad Judæos convertendos, non duntaxat ante suum adventum, sed etiam tempore sui adventûs in mundum, illis mittens Prophetas omni tempore, cum illis corversans, faciens in oculis eorum prodigia, & miracula, illos attrahere allaborans ad veram sui, & Patris æterni cognitionem, ac ad veram cordis conversionem, & sinceram suorum delictorum pœnitentiam, quo nõ obstante non potuit eorum obstinationem, & cordis obduratione flectere, ac ullo modo permovere, sic Mariam Magdalenam & latronem in cruce traxit interiùs: sic Samaritanam, Nicodemum; sic centurionem, & alios permovit; sic Paulum convertit. Ipse id testificatus est in Evangelio: *Nemo venit ad* Ioan. 6. v. 44. *me, nisi Pater meus traxerit eum.* *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes.* Matth. 23. v. 34. *Quæ credita sunt*, inquit Apostolus ad Rom. 3. v. 2. loquens de Judæis, *illis eloquia Dei?* *Multipharium multisq; modis olim* ad Heb. 1. *loquens Deus Patribus in Prophetis, novissime locutus est in filio. In terra visus est, & cum hominibus conversatus est.* Baru. 3. v. 38. *Si opera*, inquit, Christus loquens Judæis, Ioan. 15. *non fecissem, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.* v. 24. *Cùm tanta signa fecisset*, inquit Evangelista, *coram eis,* Ioan. 12. v. 37. *non credebant in eum.* Ideò illos Stephanus justè redarguens: *Dura*, inquit, *cervice, & incircumcisis cordibus! vos semper spiritui sancto resistitis.* Act. 7. v. 51. Et sanctus Gregorius, De nobis ipsis loquens: Greg hom. 5. in Evang. *Quanta nos ejus miracula videmus? quot flagellis affligimur? quantis minarum asperitatibus deterremur, & tamen vocantem sequi contemnimus.* Et Psalmista: Psal. 58. v. 6. *Dabis*, inquit, *metuensibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs.* Admirare hîc ex unâ parte divinam bonitatem, clementiam, & benignitatem, tot utentem modis, & mediis, nos ut ad se attrahat, & permoveat; sed ex alterâ parte obstupescas obdurationem, resistentiam, & obstinationem hominum, hisce omnibus mediis, & motivis, ne ut in minimo motorum, ut tibi vividam hoc recogitatio animo tuo imprimat cognitionem, & continuam recordationem omnium tibi ad hoc concessorum Dei beneficiorum, ex quibus possis trahere, ad tui perfectam ad Deum converfionem, fructum.

PUNCTUM II.

NOli solùm hic considerare incredilitatem, obdurationem, & inflexibilitatem Judæorum, qui credere non possunt, aut se convertere, nisi videant signa, & prodigia, verùm fac super te ipsum reflexionem, ac bene considera, Deum quotidie eadem respectu tui, & in oculis tuis facere sine eo, quòd ullâ ratione videaris hisce fidem adhibere. Non loquor hîc de inspirationibus interioribus, de bonis desideriis, & instinctitibus, tibi omni tempore, & momento immissis, de prædicationibus, & instructionibus, quas quotidie habes, de exemplis bonis, quæ omni tempore vides, de piis, quas facis, lectionibus; sed de infirmitatibus, de bellis, & aliis afflictionibus publicis, & particularibus, quas experiris rigorem ejus justitiæ, quam sentis, quarum toties habes exempla in personis Ecclesiasticis, nonne hæc sunt motiva sufficientia, velut tot Dei prodigia â Deo missa, ut te excitent, ut in te ipsum rediens, te ipsum bene considerans, convertaris? Et nihilominus his non obstantibus permanes insensibilis, & obstinatus, unde provenit tanta cordis duritia in personis tot adeò favoribus præventis? Vis scire?

PUNCTUM III.

DUo sunt hujus obdurationis fontes Principales. Primus profluit ex concupiscentia, hoc est, ex affectione inordinatâ bonorum, honorum, & voluptatum, vel commoditatum hujus vitæ, quæ ita absolutè possidet personam, ut quidquid illi dici potest, nullam, vel minimam in ipsâ faciat impressionem. Illo modo Judæi Dominum nostrum irridebant, ei illudentes, dum loqueretur de divitiis, & bonis hujus seculi; *quia erant avari*, inquit Evangelium, *deridebant eum*. Unde monet Apostolus: *Qui volunt divites fieri*, inquit Apostolus, *incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli; & desideria multa nociva, & inutilia, quæ mergunt homines in interitum: Radix enim omniũ malorum & cupiditas, quam quidem appetentes, erraverunt à fide, & inserverunt se doloribus multis.* Alter fons, & scaturigo hujus obdurationis in Ecclesiasticis, est derelictio divina, quam Deus facit, in punitionem peccatorum eorum præteritorum, & tot resistentiarum, quibus ejus divinas gratias toties illis oblatas rejecerunt, & ubi pervenerunt, quasi in profundum, mundanis immersi tumultibus, & negotiationibus implicati terrenis, non amplius sunt capaces ullius excitationis, vel commotionis interioris ad ullum bonum: Verùm contemnunt omnes monitiones, rident omnes devotiones, internos instinctus impediunt, imò non possunt pati vitam virtuosam proximi: si illis eorum miserabilis status ob oculos ponatur, eum videre non possunt suis obcœcati cupiditatibus; & in multis constituti peccatis, & criminibus, sibi persuadere non possunt, quòd debeant, vel possint, aliter vivere.

Lucæ 14.

1. ad Tim. 6. v. 9.

Sinite

Sinite illos, ait Salvator, *cœci sunt*: sinite illos cœcos incidere in sua peccata, & crimina, unde nunquam possunt expediri, & resurgere. Sinite illos mori in sua cœcitare, non voluerunt se convertere, dum potuerunt, non poterunt etiam, quando volent.

De horum si non fueris numero, Deo gratias referas, lauda ejus divinam bonitatem, sumas ex aliorum infœlicitate fructum; facere melius non posses, quàm duo hæc Apostoli sequi consiliâ, in hodiernâ Epistolâ tibi data. Primò, ut invigiles continuo super custodiâ tuâ, ne traharis cupiditate, aut frequentes societates Ecclesiasticorum irregulariter viventium. Alterum est, ut disponas de futuro, cum vivendi modum, ut non solùm omne vites malum, sed ut totum repares, & recuperes, quòd ante male impendisti. *Videte*, inquit, *quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Et alibi: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, non obediatis concupiscentiis ejus.*

SERMO XLIX.

PRO DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

De patientia, & mansuetudine; quâ Ecclesiastici uti debent erga proximum.

I. Rationes, quæ illos obligant ad hanc mansuetudinem, & patientiam.
II. In quo illis debent hanc testificari.
III. Reflexio.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.
Matth, 18. v. 26.

Hoc

HOC est legitimum remedium peccatoris, si se pedibus DEI prosternat, suorum veniam deprecans delictorum, divinæ, se committens misericordiæ, juxta divinæ legis præscriptionem; ob hoc instituit Deus legem confitendi, ad humiliandum peccatorem, qui se adversus Creatorem contumeliosè, atque arroganter erexerat. *Hæc sunt enim veræ humilitatis insignia, iniquitatem suam quemcunq; cognoscere, & cognitam confessione vocis aperire*, inquit Gregorius. Greg. lmoral lib 22. cap. 13. Nulla meliori ratione placari potest concitatus Dei furor, quàm humiliatione. *Hæc dicit excelsus*, inquiebat Esaias, *& sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen ejus in excelso, & in sancto habitans*, & cum contrito humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum. Unde quò major est humiliatio, eò major, certiorque clementia Domini miserantis. Porrò quis nescit majorem esse humiliationem coram uno gravi viro, atque intelligente, suas confiteri miserias, quàm apud vulgarem, simplicemque æqualem in imperfectionibus, neque defectus adeò ponderaturum. Ideò heroicum est, se propter Deum humiliare, ut fructum humilitatis quis reportet suorum remissionem peccatorum.

PUNCTUM I.

COnsidera primò motiva, quæ obligare possunt Ecclesiasticos ad hanc exercendam patientiam, & mansuetudinem erga proximum; non aliud requiritur quàm ipsa divina bonitas quæ nobis proponitur in hodierno Evangelio, & ejus incredibilis patientia nos tolerans tanto tempore in cordibus nostris delitescentes, & nobis misericordissimè infinita dimittens debita. Visne videre, quâ ratione illius es debitor? Intuere beneficia, quæ recepisti, peccata, quæ commisisti, & si non foret nisi unicum, hoc debitum est tam grande, quod exprimi non potest, nisi per decem millia talentorum. Percurre nunc tibi exhibita beneficia naturæ, & gratiæ, quæ tibi fecit, & contulit. Ponas tibi ob oculos omnia peccata, quæ commisisti, illaque accumules unum super aliud, & fac si potes tuorum supputationem debitorum, & adhuc non est nisi de præteritis, verùm de præsenti, quantam adhuc oportet eum habere patientiam pro malo usu, quem tibi concessi temporis, facis, quod non tibi ob alium conceditur finem, nisi ut te emendes? & de futuro, quantum ejus eges gratiis, & auxiliis, ut continues in bono, & perseveres usque in finem? Ideò bene considera parabolam tibi hodiernâ die propositam de servo debitore. *Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, & cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta; misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Psal. 37. v. 4. Pete & tu, & dic quotidie sincera cordis contritione, & animi humilitate, *& dimitte debita nostra.* Confitere cum Psalmista: *Iniquitates*

 meæ

Psal. 39. v. 13. *meæ supergressæ sunt caput meum.* Et alibi: *Circumvenerunt me mala, quorum non est numerus. Comprahendeunt me iniquitates meæ: & non potui, ut viderem. Longanimis Dominus, & multùm misericors.* Quo non obstante; *egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios; & tenens suffocabat eum dicens, redde, quod debes, & procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem.* O ingratitudinem inauditam! Hoc non est sequi consilium Apostoli: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et alibi: *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut Deus in Christo donavit vobis.* Et ipse Dominus ad hoc nos inducere cupiens: *sic Pater meus cœlestis,* inquit, *faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus vestris.*

Psal. 102. v. 8.

ad Gal. 6. v. 2.

ad Eph. 4. v. 32. 4. Reg.

Matth. 18. v. 36.

Foretne possibile, quòd cùm Deus tanta à te passus fuerit, benignè dissimulaverit, quòd nihil posses à tuo pati proximo; quòd tantâ à Domino tractatus benignitate velles tantâ exigere debita severitate? Et tantâ dimissâ tibi debitorum summâ velles pro minimis debitis urgere alios usque ad suffocationem, & illis in minimo non condonare propter eum, qui tibi condonavit in maximo?

PUNCTUM II.

CONsidera secundò: Quibus in occasionibus Ecclesiastici hanc debent patientiam, mansuetudinem, & benignitatem erga suum proximum exercere. Prima occasio est, ut in tribunali pœnitentiæ se benignos ostendant, peccatores recipientes magnâ cum compassione, illos nunquam rejicientes, durioribus verbis, vel contemptibilibus, verùm magis illos animantes, & excitantes ad spem divinæ misericordiæ. Altera est in conversationibus sint tolerantes cum patientiâ, & benignitate imperfectiones spirituales, & corporales proximi, sine amaricatione illorum humorum imperfectorum, importunitatum inordinatarum, & rudi, & incivili agendi modo. Tertia in injuriis sibi illatis à suis proximis, sint illis libenter condonantes, eâ ratione obliviscentes, ut nunquam ostendant, vel minimum signum ob hoc displicentiæ, rancoris, vel odii, sed potiùs illis venientes obviam, qui eos offenderint ad illos revocandos ad suum debitum, illis exemplum præbendo, ut idem faciant illis, qui illos offenderint; & tandem, ut redeamus ad materiam Evangelii: Hæc patientia, magnitudo, & benignitas debet apparere in computibus, quos Ecclesiastici fecerint cum suis villicis, illos non eo rigore tractantes, ut potissima illorum pars facere consuevit; illos urgendo usque ad ultimum denarium, & quàm primùm terminus positus adest, & super omnia, dum incurrerint jacturas, & si quandoque cogi queant rigore justitiæ, verùm patientiam habendo, quandoque etiam illis partem dimittere, per modum eleemosynæ: Hoc requirit Concilium Agathense maximè à Clericis: *Utpote seditiarios nunquam ordinan-*

dinandos Clericos, sicut, nec usurarios, nec injuriarum suarum ultores.


Bernard. in illud. Ecce nos &c. cap. 4. *An non*, inquit Bernardus, *res omnium passione digna est, videre pauperculos agricolas toto anni decursu laborare pro personis, quæ vivunt in otiositate & quæ impinguescunt eorum sudoribus, sine eo quod minimâ compassione moveantur super illorum miseriam? sudant agricolæ*, inquit, *putant, & fodiunt vinitores, inter hæc; qui, torpent otio, accedente fructuum tempore, innovari sibi horrea jubent, vivunt tritico, bibunt sanguinem uvæ veracissimum, Parum est, impinguantur, & dilatantur adipe frumenti*: Hæ sunt causæ, quæ jam carnifices in judiciis secularibus occupant, hæ sunt querimoniæ ex omni parte provenientes ad pudorem, & confusionem Cleri, & Regularium, hæ sunt, quæ scandalizant Laicos, & quæ deplorant, & lamentantur maxima pars devotarum personarum plurium

Amos 6. v. 6 sanctarum Communitatum, & quod ipse Propheta deflebat. *Væ*, inquit, *qui bibitis vinum in phyalis, & nihil patiebantur super contritione Ioseph*: Estne hoc habere charitatem, vivere, & delitiari de expensis pauperum, quibus impossibile est solvere, minùs sustinere hujusmodi processus, & tot sustinere incommoda, quæ eos deducunt ad ruinam? si Deus eodem rigore erga te uteretur, quò devenires? *serve nequam omne debitum dimisi tibi, nonne ergo te oportuit misereri servi tui, sicut ego tui misertus sum?* Non dicitur, te oportere omninò tua debita deserere, sed duntaxat cum patientiâ requirere, & expectare; hanc quotidie â Deo requiris, cur ergò recusas? *Charitas patiens, benigna est*, *Væ*, inquit sapiens, *his qui perdiderunt sustinentiam!* *Quare non magis injuriam accipitis?* inquit Apostolus.

1. Cor. 13. v. 4. Eccles. 2. v. 16. 1. ad Cor. 6. v. 7.

PUNCTUM III.

Considera modò tertiò, quomodo te in hanc usque horam in similibus occurrentiis, & occasionibus habueris, si usus fueris consiliis, tibi in sacris scripturis, & sanctorum monumentis suggestis? sin minùs firmam fac resolutionem propter honorem tui ministerii, propter bonum exemplum â te proximo debitum, & propter facultatem, & gratiam â Deo impetrandam, facilè unumquemque ad Deum trahendi, & in similem praxin deducendi. Hoc ex teipso facere, & assequi non potes, sed require gratiam â Deo, qui sicut tibi dedit exemplum, non recusabit etiam tibi dare & medium, & auxilium ad se imitandum, si solùm omnem in illo constitueris fiduciam. Ad quod te hortatur Apostolus: *Confortamini in Domino, & in patientia virtutis ejus.* Eph. 2. v. 10.



SERMO L.

PRO DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

De partibus neceſſariis ad firmandum virum Apoſtolicum ad exemplum Jeſu Chriſti Filii Dei, occaſione laudum, quas illi Judæi hodierná die in Evangelio reddebant.

I. Quatuor qualitates exprimuntur hiſce verbis: Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo.
II. Quatuor genera Eccleſiaſticorum in quibus aliqua ex his qualitatibus deficit.
III. Reſolutiones eliciendæ circa hanc materiam.

Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura in aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum. Matth. 22. v. 16.

HIſce Judæi fallaciter accipientes Chriſtum capere in ſermone, Chriſto adulabantur, præcedunt blanditiæ, ſed venenum eſt in ſermone, cupiebant enim ipſi injicere laqueos, veruntamen omnes laquei malitiæ diſſolvuntur, dum producto numiſmate cenſus, Deo, quod erat Dei, & Cæſari, quod erat Cæſaris aſſignatur. In quo ipſi convincuntur, & Chriſtus in nullo ab illis poteſt repræhendi; ſic ſe habet res cum adulatoribus, aliter loquentibus, aliter ſentientibus. Principes adulatoribus, pleni ſunt, in Magiſtratibus non ſedent, niſi adulatores; in cathedris vix prædicant, niſi adulatores, & ſic de cæteris, hi veri incantatores ſunt; blanditiis verborum ſeducere omnes cupientes, & ſe ingerere ſub veſte lupinâ, in ovile ovium, in perditionem ſuam, & aliorum.

PUN.

PUNCTUM I.

COnsidera primò paululum hęc verba, quæ (veritas, vi quadam, extrahit ex ore Judæorum, ad laudem nostri, Magistri, licet intentione ipsum capiendi, & decipiendi:) quatuor excellentissimas qualitates, velut quatuor partes necessarias, ad efformandum veraciter virum Apostolicum, ad exemplum Domini, & Salvatoris nostri Christi Jesu. Prima est veritas vitæ, hoc est innocentia, & puritas, *scimus, quia verax es.* Qualitas, quæ præcedit, velut antesignana, ex eo, ut ait sanctus Dionysius: Quòd oporteat recipere, antè communicare, & hic est ordo universalis constitutus in omnibus rebus divinis, quòd ille, qui debet distribuere, primus debet participare, & divinis repleri bonis, ut hæc aliis communicet, & distribuat. *Hic est ordo naturalis*, inquit Gregorius Nazianzenus; *purgari prius, deinde purgare: sapientia instrui, atq; ita demum alios sapientia instruere, lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & ita alios deducere; sanctificari, & postea sanctificare.* Si ergò velis populum ad amorem, & virtutem excitare, oportet te primò virtutem summè æstimare, & tuum sentimentum, & opinionem, quam possides in corde tuo residentem: patescere facere in operibus tuis; aliâs eris de numero illorum infœlicissimorum, quos Dominus condemnat in Evangelio, qui docent, & non faciunt: *Dicunt, & non faciunt.* Secunda est veritas doctrinæ; *Et viam Dei in veritate doces.* Hoc est scientiam necessariam ad annuntiandas populo omnes divinas voluntates, & ad explicanda omnia oracula cœlestia sinceritate indubitabili, ad distinguendum lepram â leprâ, & ad bonum semen seminandum, & ad expectandum messem fœlicem, & ad obtinendam virtutem, & fortitudinem, omnes confundendi, & confutandi hæreses, ac omnẽ excludendi impietatem, ne cadat in illos dictum Prophetæ: *Ipsi Sacerdotes ignoraverunt intelligentiam.* Tertia est contemptus, & exemptio ab omni eo, quod mundus diligit, cum magno amore paupertatis, *non est tibi cura de aliquo*, hoc est dicere, ita omni affectione bonorum terrenorum es exutus, & nihil sit, quod desideres, aut quæras, quò minùs possis exemptus esse ab omni curâ superfluâ, & anxietate rerum necessariarum hujus vitæ, absolutè paratus, omni secluso quocunque respectu *ad docendum, ad erudiendum, ad corripiendum injustitiam.* Quarta, & ultima est magnitudo, & animi generositas elongans â nobis omnem humanum respectum, ut nullius personæ quæratur favor, vel gratia, ut illis in quocunque genere complacere laboretur, inde aliquid quærens commodi vel utilitatis. *Et non respicis personam hominum. Habentes alimenta*, inquit Apostolus, *& quibus tegamur, his contenti simus.* Et Christus: *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus? Blandimenta*, inquit Gregorius, *respecto intimo terrore despiciat, terrores autem, considerato æternæ dulcedinis blandimento, contemnat.*

Greg Nazianz. Orat 1.

Matth 23. v. 3.

Esa. 56.

2. ad Tim. 3. v. 16.

1. ad Tim. 6. v. 8.

Matth 6. v 31.

Greg. past. 2. cap. 15.

PUNCTUM II.

COnsidera secundò, quatuor genera personarum inter Ecclesiasticos, quibus aliqua harũ qualitatum deest. Prima sunt, qui vivunt deordinatè, quidquid loquantur, prædicent, vel instruant. Illi, ait Evangeliũ, portant suam in suâ fronte damnationem, & sunt ipso
Lucæ 19. v.22. facto judicati. *Ex ore tuo te judico, serve nequam.* Alii sunt, qui nullo modo docent, vel quia omninò sunt incapaces, vel laborem suscipere nolunt, vel si id præstant, id faciunt modo studii politi, nimis & affectati, quod ordinariè transcendit capacitatem suorum auditorum, vel quibusdam modis relaxativis maximis, & principiis seculi, quæ derogant paupertati, & sinceritati doctrinæ Evangelicæ, vel tandem, ut laudes venentur vanas, se reputationi inserant populorum, & si quandoque in particulari vivant sine querelâ. De quibus loquitur
Chrys. op. imp. hom. 10. Chrysostomus, *Qui docet, & facit quod docet, verè ille docet; qui autem non facit, quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat, & melius est, facere, & non docere, quàm docere, & non facere.* Et
Greg. past. I p.2.c.4. ad Tit.1. v 7. sanctus Gregorius Sacerdos si prædicationis est nescius, quàm clamori vocem daturus est præco mutus. *Docentes*, inquit Apostolus, *quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.* Tertii sunt, Personæ mundo adhærentes, quandoque cum servitute indignâ suo charactere. Hi frequentant Magnatum domus, qui negotiationibus, velut mercatores, lucrativis intendunt, qui suscipiunt familias regendas, qui quærunt se ditare, & sibi providere multa bona in futuro, qui loco, quòd sedent studiis, orationi, & prædicationi, impendunt se aliis occupationib⁹, suo indignis ministerio, etsi superficie tenus, & apparenter suis debitis videantur satisfacere obligationibus. *Amant vocari Rabbi, Martyres seculi; mundi professores, discipuli Curiæ*, inquit Blesensis Solùm ducti affectu commodi, & propriæ utilitatis, Ultimi sunt, qui timore servili, & criminali, vel spe sordidâ cujusdam favoris, vel gratificationis temporalis, magnis Mundi blandiuntur, non audentes illos monere, vel adhortari, necessitate etiam exigente, ne veniant in illorum disgratiam, qui se illorum accomodant phantasiis, pro horâ missæ celebrandæ Dominicis, & festivis diebus, contra Ordinem Ecclesiæ, & præjudicium aliorum parochianorum, qui illis locum concedunt in choro Altari proximum, & concedunt sepulturas in locis eminentioribus, & dignioribus in Ecclesiâ, de quibus sanctus Gregorius. *Sæpe Rectores im-* Greg. ibid. sup. *providi*, inquit, *humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiæ, pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia, veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc rursum queritur dicens, non ascendistis ex adverso, nec apposuistis murum pro domo Israel, ex adverso quippe ascendere, & pro defensione gregis voce liberâ hujus mundi potestatibus contraire.*

PUNCTUM III.

VIde nunc, & animadverte seriò, si in aliquo horum culpabilis non inveniaris. Illud de futuro hisce de ordinationibus

tionibus remedium adferas, ne ulterius reincidas, firmas fac resolutiones, & à supremo require Magistro potestatem, audaciam, & fortitudinem ejus exemplo. Primò te impendendi, quotidie aliquo tempore orationis studio. Secundò evitandi, quantum poteris, societates secularium. Tertiò te omnibus superfluis rerum temporalium, & terrenarum, & providentiæ excessivæ, necessitatum temporalium curis liberandi. Quartò tandem, ut te firmum, & animosum præbeas, ut nec precibus, nec minis Magnatum, in iis rebus, quæ divino honoris servitio, vel fortè Ecclesiæ utilitati, & bono præjudicare possunt, ulla ratione cedas, & si fortè hanc de facto susceperis resolutionem, nil ulteriùs restat, nisi eam adimpleas, & firmiter in eâ perseveres. Hæc est confidentia, quam debes collocare vi gratia Dei; si eam ab eo requiras ut oportet. *Confidens hoc ipsum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum ipse perficiet ad* Phil. 1 v. 6.

SERMO LI.

PRO DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

De morte, quam causat peccatum in animá, & media eam resuscitandi.

I. Comparatio inter mortem corporalem, & spiritualem.
II. Tria sunt observanda, exemplo Salvatoris nostri ad resuscitandam, & convertendam animam.
III. Reflexiones.

Domine, filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Matth. 9. v. 18.

Non

NOn credas morbos, mortem, aliaque infortunia filiis tuis casu contingere. Habet continuò Dominus plures rationes, quas tu tuis peccatis fabricas, hujus frequenter meminit scriptura. Unde Psaltes, *In memoriam redeat, iniquitas Patrum ejus, in conspectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur.* Et Tobias, *Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neq; reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.* Et vidua Sareptana dicebat ad Eliam, dum mortuus esset filius ejus. *Quid mihi, & tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, & rememorentur iniquitates meæ, ut interficeres filium meum.* Et pro magno miraculo habetur, quòd Core pereunte, filii ejus non perierint: *Factum est*, ait, *grande miraculum, ut Core pereunte filii ejus non perierint.* Et Heli dicitur per Prophetam: *Ecce dies veniunt*, ait Dominus, *& præscindam brachium tuum, & brachium domûs Patris tui, ut non sit senex in domo tuâ.* Et quid communius est in tota scriptura? *Ob peccatum David filius ejus morte percutitur.* Ob peccatum Giezi posteri ejus leprâ puniti sunt; Ob peccatum Achab, posteri de solio dejecti sunt; ob peccatum Ezechiæ, filii ejus Eunuchi futuri prædicuntur in Aulâ Regis Babylonis. Unde & hæc erat constans opinio in tota lege Moysi, aliquando filios pro parentum peccatis in solidis pœnis mulctari, in quo fundatur interrogatio illa discipulorum, de cœco nato. *Rabbi, quis peccavit, hic? an parentes ejus?* Quod & in præsenti accidere potuit.

Psal. 18. v. 14. — Tob. 3. v. 3. — 3 Reg. 17. v. 18. — Num. 21. v. 10. — 1. Reg. 2. v. 31. — 2. Reg. 12. v. 14. — 4. Reg. 5. v. 17. — 3. Reg. 20. v. 18. — Ioan. 9. v. 2.

PUNCTUM I.

Considera primò comparationes, inter mortem spiritualem animæ, causatam per peccatum, & mortem corporalem. Prima est, quòd sicut mors temporalis totaliter corpus defigurat, & deformat, quantumcunque pulchrum, & omnibus numeris perfectum ante fuerit; ita anima, quæ antè gratia dotata, ita exquisitæ, & admirabilis pulchritudinis erat, ut oculis Dei, & Angelorum summè complaceret, ita per peccatum horribiliter deformatur, & in eum devenit infœlicitatis statum, quòd nihil in corpore inveniatur ita deformatum, putridum, corruptum, vel corrosum horribili lepra, vel aliô contagiosori morbo, quod illi proximet deformitati. Ita describit animam istam Jeremias: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores.* Et paulò pòst statum peccati describens: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum:* Altera est, quòd, sicut mors totaliter privat usu omnium facultatum corporalium, ita peccatum privat animam pariformiter usu omnium suarum facultatum, illam efficiens cœcam, impotentem ad omne opus bonum, & illi aures obfirmans omnibus divinis inspirationibus. *Obscuratum est aurū, inquit Propheta, mutatus est color optimus, & ingressus est â filiâ Sion omnis decor ejus, ambulabunt, ut cœci, quia Domino peccaverunt.*

Thren. 4. v. 7. — denigrata (manuscript) — Thren. 4. v. 1.

Tertia

Soph. 1. v. 17. Tertia est, quòd sicut mors dividit animam à corpore, illud privans vita naturali, ita peccatum separat animam à Deo, illam privans vitâ spirituali, & gratiâ. *Homo comparatus est jumentis.* Psal 48. v. 13. *Ecce! quomodo de grege facta est egregia creatura? Heu tristis, & lachrymosa mutatio. Sicut expirat corpus, cùm animam amittit, sic expirat anima cùm Deum amittit.* Bern. serm. 35. in cant. Aug. serm. 5. de verb. dom.

Quis his omnibus visis, non summum haberet horrorem peccati, quod in nobis causat effectus tam funestos, & perniciosos. Utere hoc medio, ut in te summam inducas, sicut & in populo à peccato aversionem.

PUNCTUM II.

DIsce ex hoc facto, & miraculo, quo Salvator noster hodiernâ die excitavit filiolam Principis, media, similiter resuscitandi, hoc est convertendi animam in peccato mortuam. Primum est, removere omnia impedimenta: *Cum venisset Iesus in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.* Recedite, ait tibicinibus, & populo tumultuanti, hæc omnia removete, voluptates omnes, omnes lusus, omnes tumultus, & perturbationes Spiritûs agitati, Hæc porrò sunt obstacula impedientia, ne peccator convertatur, quæ removenda sunt: *Quis est tumultus tuus? nisi mali mores?* inquit Ambrosius. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, qui autem judicat me, Dominus est, inquit Apostolus.* Illo etiam Christus in resurrectione Lazari usus est medio, dum dixit, *Tollite lapidem;* Removete hunc lapidem, hoc est dicere, removete hanc creaturam, hanc inordinatam adhæsionem, ambitionem hanc, hunc rancorem, & omnia hæc impedimenta, vestram conversionem impedientia, & vestrum ex sepulchro peccati exitum, & ab omni fœtore, infectione, remotionem: *Et deridebat eum.* Sic & mundani irrident, & derident suos monitores, & exhortatores, ut à peccatis avertantur. Ex quo sequitur alterum, ut firment animum contra omnes discursus, insultus, contemptus, & irrisiones hominum, qui, videntes personam mutare vivendi consuetudinem, reprehendere hujusmodi, quàmprimùm consueverunt, vel ad minùs illis obiicere obstacula, oppositiones facere, quæ est subtilior fallacia, & tentatio major Dæmonis, quæ illis sæpius succedit ad suam malam intentionem adimplendam. Si Salvator noster animadvertisset ad irrisiones astantium, & contemptus sui, dum ajebat, quòd filia mortua non esset, illa nunquam redivisset ad vitam. *Et præcepit eis vehementer,* Matth. 5. v. 43. *ut nemo id sciret, & jussit illi dare manducare.* Tertium est, factâ remotione impedimentorum, ut quis omnes respectus humanos non æstimet, ita ut pœnitens per firmas resolutiones aliquo tempore, si sit necessarium, se probet in aliquo se firmans certo bono medio, & hoc est illi dare robur, ut Salvator noster præcepit filiæ resuscitatæ dari ad manducandum, hoc est, illi consulere frequentē usum Sacramenti altaris, & docere dispositiones ad illud dignè recipiendum, ad progressum faciendum in virtute requisitas. Ecce triâ consilia, &

 media,

media, quæ te oportet obſervare reſpectu tuorum pœnitentium.

PUNCTUM III.

VIde modò, qua ratione hiſce mediis; & conſiliis uſq; ad præſens uſus fueris: Nunquid quandoq; quibuſdam abſolutionem dediſti, qui erant in occaſionibus proximis peccandi? ſempernè eos tuis firmaſti conſiliis, tuis diſcurſibus contra tentationes roboraſti, quas poſſent ex parte mundi ſuſtinere? Et tandem non permiſiſti illis nimia facilitate ſacram communionem, nulla priùs præhabita conſideratione debita, aut propoſito, ſeu experimento notabili, quo abſtinuiſſet à peccatis, ſe ipſos ſuperaſſent ad renuntiandum omnibus malis habitudinibus. Verum tu, reſpectu tui, & in te, hæcne practicaſti? Quia media, quæ alios doces quæ ipſe non facis, ipſe vel adhibes, ipſa te condemnabunt. Oportet te poſſe proponere exemplũ populi, ut illum doceas verbo, & exemplo, ut ſubjungit Apoſtolus, non eſt ſolùm ut des documenta ſalutis ſermonibus, ſed etiam ut des exẽpla vitæ bonæ operibus. Imitatores mei eſtote, inquit, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram, ad Philipp. 3. v. 27.

ANNOTATIO.

Cùm hoc opus ad Eccleſiaſticas dirigatur perſonas, non eſt neceſſe, illis indicare, quòd ſi contingat, plures quã viginti quatuor Dominicas poſt Pentecoſten intercurrere, oporteat reſumere Dominicas omiſſas poſt Epiphaniam, reſervando ſemper vigeſimam quartam pro ultima, ut Rubrica illos docebit.

Sermo LII.

PRO DOMINICA VIGESIMA QUARTA, ET ULTIMA POST PENTECOSTEN.

De ſcandalo abominabili, quod cauſant Eccleſiaſtici ſuis malis exemplis.

I. Quam ſit abominabilis male vita Eccleſiaſtici.
II. Quam deſolationem illis cauſat.
III. Reflexiones ſuper has veritates.

Cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, erit tunc tribulatio maxima. Matth. 24. v. 15.

HÆc verba myſticè exponit ſanctus Hieronymus in Matthæum, dicens: *Abominatio deſolationis intelligi poteſt, omne dogma perverſum. Quod cùm viderimus ſtare in loco ſancto, hoc eſt in Eccleſiâ, debemus fugere de Iudæa ad montes, hoc eſt, dimiſſa occidente litera, & Iudaica pravitate appro-*

appropinquare montibus æternis, de quibus illuminat mirabiliter Deus. Confugiamus ad inviolabilem fidei petram, quam Moysi, ut faciem Domini conspicere mereretur; ostendebat Dominus dicens, *est locus apud me, & stabis supra*
Exod. 33. vers. 21. *petram.... Et videbis posteriora mea.* Locus, qui apud Deum est, S. Ecclesia est, fideiq; petra. Qui supra hanc petram stat, neq; in peccatum cadit, vel si cadit, resurgit; *Dei videt posteriora*, id est gloriam *æternam*, quæ posterior est gratia, & cæteris hujus vitæ donis; quæque posterius datus post hanc vitam. Sic Divus Gregorius interpretatus: *Ad Moysen*, inquit, *dicit Dominus, est locus penes me, & stabis super petram. Est locus, apud Deum, videlicet sanctæ Ecclesiæ unitas, in qua supra petram statur, dum confessionis ejus humiliter soliditas tenetur*, de quo loco subjungitur, *tunc videbis posteriora mea. In petrâ enim, id est in sancta Ecclesia stantes Dei posteriora videbimus, quando jam ea, quæ in fine promissa sunt, cœlestis patriæ gaudia contemplabimur.* Itaque in hac fidei petra, scilicet Ecclesia Romana, stemus, in hac vivamus, in hac moriamur, quicunque ad cæleste regnum cupimus pervenire; quod si omnes fecerimus, nulla desolatio abominationis nobis superveniet.

PUNCTUM I.

COnsidera, etsi verba hæc varias possent habere explicationes, possunt tamen bene, intelligi de deordinationibus, quas causat vita scandalosa perversorum Ecclesiasticorum: Quid enim abominabilius esse potest, quam videre locum omni sanctitate plenum, ut est Ecclesia, profanari, & inhonorari vita, & conversatione deordinata suorum ministrorum; videre eorum Deo tot titulis consecratus, triplici charactere obligatus, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis factas esse receptacula Dœmonum; videre quod illi, qui non solum debent esse filii per gratiam, verum etiam qui debent quotidie novos Dei filios generare, facti sint mancipia Sathanæ, & loco, quo deberent per unionem, quam eos habere oportet, ad Christum, ut eorum functiones, & ministeria exigunt, habere unum cum eo Spiritum, hoc est, Spiritum valdè nobilem, purissimum, & perfectissimum, illos videre per conjunctionem, quam habent cum auctore peccati, quod facti sint perversi, viles, sordidi, & abominabiles, ut ille? Illa ratione filii Dei nuncupantur, propter eorum deordinatam vitam, & impiam conversationem: *Filii Beliali filii Diaboli.* Et Job loquens de peccatore: *Abominabilis, & inutilis*, inquit, vel ut alia versio habet *fœtidus, & malè olens.* In hos verè cadit reprehensio Christi: *Ego honorifico Patrem meum*, vos autem inhonorastis me. *Vos* inquit Apostolus, *estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis.* Et Psalmista, *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes. Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.* Tales esse deberent omnes Ecclesiastici: Verum in multos proh dolor! cadere videntur verba Christi: *Vos ex Patre Diabolo estis. Vas immundum.* An non possit Ecclesiastico illa ratione viventi applicari illud Prophetæ Ezechielis dire-

Ioan. 8. v. 49. 2. Corint. 6. v. 16. Psalm. 81. v. 6. 1. Corint. 6. v. 17. Ioan. 8. Osee. 8.

directum ad primum Angelorum, postquam ceciderat: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, tu signaculum similitudinis ejus, plenus sapientia, & perfectus decore?* Ezech. 28. v. 12. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Sardius, Topazius, & Iaspis, aurum opus decoris tui, donec inventa est in te iniquitas.* Et illud Psalmi. Psal. 40. v. 10. *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Qui exornabatur omni decore pulchritudinis, spoliatus per peccatum omni perfectione abominabilis, fœtidus, horribilis, & miserabilis factus est; *Et ecce abominatio desolationis stans in loco sancto*, id est, in loco, in quo sanctus esse semper deberet.

PUNCTUM II.

CONsidera secundò; Desolationem, quam causat vita mali Ecclesiastici. Ex quo provenit ordinariè contemptus, qui fit ejus personæ, & ministerii, Ecclesiæ Catholicæ vilipensio, exagitatio, & reprobatio facta per hæreticos, per libertinos, per seculares, qui eorum exemplo in omne peccatum sine pudore & verecundiâ, sese præcipitant, sibi facilè imaginantes se magis excusabiles, cùm non sint ad tantam obligati perfectionem, quàm Ecclesiastici, *cujus porrò vita despicitur. Quid restat nisi, ut prædicatio contemnatur? Disciplina Domini ex moribus familiæ demonstratur.* Greg. & Amb. de dig. sacerd. S. Chris. hom. 16. op. Imp. Ad hæc adjicies flagella, calamitates publicas, quas sancti Patres attribuunt peccatis Ecclesiasticorum; Estne desolatio par illi quæ destruit, & pervertit totam Oeconomiam Ecclesiasticam, quæ infantes induunt ad malum, eos tandem flammis æternis addicens? Estne tribulatio, & afflictio major, aut esse potest hominibus bonæ indolis, & conscientiæ? Et cogites an illis non magis insupportabile sit, videre Presbyterum in officio, & dignitate Ecclesiastica constitutum, totam desolare Civitatem, & quandoq; provinciam integram suis malis exemplis? Quam ipsis Judæis fuerat abominabile videre Romana, insignia in summitate sui templi exposita quæ erant imagines falsorum Deorum? *Heu, heu domine, ipsi sunt in Ecclesiâ tuâ primi, qui vidētur in Ecclesiâ tuâ primatum diligere, gerere principatum, arcem suam occupaverant, apprehenderant munitiones, & universam consequenter libere, & potestativè tradunt incendio Civitatem: misera eorum conversatio plebis tuæ miserabilis subversio est;* S. Bern. serm. 1. de conv. S. Pauli. Hæc erat scilicet desolatio abominationis apud Judæos, videre in templo vexilla Romanorum, imaginibus eorum plena.

PUNCTUM III.

REcogita modò, qualis abyssus maledictionis, & qualis desperatio Presbytero uni, & super omnia uni Pastori in horâ mortis obventuræ sit, quando non solum clamores suæ conscientiæ propter peccata propria, sed & omnium animarum, quibus fuerit peccandi occasio, vindictam contra illum requirent; qualem restitutionem præstabit? qualem poterit facere reparationem? Quid respondebit Christo Jesu, quando ab eo reposcet animas suas illi commissas, & ipsi ob oculos ponet omnia sua scandala, quæ eas damnarunt, quas salvari volebat, quod ejus comessationes, insolentiæ, & ebrietates exinanierint virtutem crucis, & efficaciam Redemptionis, sacro suo Sanguini subtraxerint, & præpediverint? Recogita in corde tuo omnes tuas actiones, quæ unquam potuerint dare scandalum proximo, vel etiam minimo. Has detesteris coram Deo, renuntians occasionibus omnibus & pete à Domino Salvatore nostro, ut tibi de cætero innotescere faciat omnes voluntates suas, juxta exhortationem Apostoli, in hodiernæ diei Epistolâ, & eam tibi concedat gratiam, ita conversandi, & vivendi, ut non amplius tuum inhonores magistrum, nec ministerium. Verùm magis ut illi sis acceptus, & complaceas in omnib⁹ tuis actionibus & ministeriis. *Postulantes: Vt impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientiâ, & intellectu spirituali, ut ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, omni bono opere fructificantes.* ad Col. 1. v. 9.

FINIS.

